BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

M. T. CICERONIS

PARS PRIMA

SIVE

OPERA RHETORICA ET ORATORIA.

TEXTUM COLLATIS OPTIMIS EDITIONIBUS

RECENSUIT,

VARIETATE LECTIONUM

ET NOTIS ERNESTII SCHUTZIIQUE FERE INTEGRIS, ALIORUM SELECTIS, EXORNAVIT ET SUAS ADDIDIT

J. W. RINN

IN COLLEGIO ROLLINÆO RHETORICES PROFESSOR

VOLUMEN ALTERUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXII

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE

ARGUMENTUM
LIBRI PRIMI E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Rogatus Cicero a Quinto fratre, ut, quoniam quæ sibi adolescentulo de arte rhetorica exciderant, vix jam provecta ætate et usu, quem ex tot tantisque causis consequutus erat, digna essent, aliquid de iisdem rebus politius perfectiusque proferret, quamvis vel fraude inimicorum, vel causis amicorum, vel publicis negotiis impedito, vix otium ad scribendum concedatur, fratri tamen nec hortanti, nec roganti, se umquam defuturum ostendit.

Et quum ipse prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statueret, Quintus autem eam ab elegantia doctrinæ segregaret, et in quodam ingenii atque exercitationis genere poneret, Cicero, quid Crassus et Antonius, viri omnium eloquentissimi clarissimique, de ea re senserint, se expositurum significat, cap. 1.

Hic obiter sæpe quærendum sibi visum esse ait, cur plures in omnibus rebus quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam non solum plures imperatores præstantissimos et reip. rectores egregios, quam bonos oratores fuisse, sed etiam in aliis artibus, in philosophia, in mathematicis, in musicis, in grammaticis multo plures quam in arte dicendi excelluisse. Immo etiam multo plures poetas bonos quam oratores reperiri. Quod hoc mirabilius debere videri, quod dicendi ratio non abditis e fontibus hauriatur, sed in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versetur; neque vero dici possit, aut plures ceteris artibus inservire, aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut præmiis ad perdiscendum amplioribus commoveri, cap. 2-4.

Quare nullam aliam esse causam excellentium oratorum paucitatis, quam rei quamdam incredibilem magnitudinem ac difficultatem, cap. 5. Neminem esse posse oratorem omni laude cumulatum, nisi sit omnium rerum magnarum artem ac scientiam consequutus. Se tamen, ne hoc nimis immensum infinitumque videatur, ipso Græcorum exemplo sepositurum a ceteris

dictionibus eam partem dicendi, quæ in forensibus disceptationibus judiciorum ac deliberationum versetur, neque vero his libris quemdam ordinem præceptorum ab incunabulis puerilis doctrinæ repetiturum, sed potius quæ in hominum eloquentissimorum, Crassi potissimum et Antonii, disputatione versata sint, narraturum esse, cap. 6.

Quum igitur ann. Urb. cond. 662, Livius Drusus, tribunus pl. judicia quæ lege Servilia Glaucia solis equitibus tradita essent, ut iterum cum senatu communicarentur, contenderet, consul autem Philippus, qui patronus dignitatis senatoriæ esse debebat, vehementius in causam principum inveheretur, ludorum Romanorum diebus L. Licinius Crassus colligendi sui causa se in Tusculanum contulerat. Eodem venerant socer ejus Q. Mucius Scævola et M. Antonius, consiliorum ejus in rep. socius et summa cum Crasso familiaritate conjunctus. Cum ipso Crasso exierant adolescentes duo Crassi maxime familiares, C. Cotta et P. Sulpicius, cap. 7. Hi primo die, quum multum inter se de rep. colloquuti essent, postero Crassus sermonem de dicendo intulit.

In quo primum Sulpicium et Cottam ob egregiam dicendi facultatem, quam adepti sint, collaudat; eloquentiam enim esse omnium artium maxime admirabilem, utilissimam, jucundissimam; eamque nec in foro solum, sed etiam in otio dignitatem suam tueri, quum nihil sit jucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis. Neque vero alia quam eloquentiæ vi homines ad humanum cultum civilemque deductos esse, eamdemque jam constitutis civitatibus leges ac jura descripsisse, cap. 8.

Scævola cetera Crasso assentitur, duo tamen ei non concedit, unum, quod ab oratoribus civitates et ab initio constitutæ et sæpe conservatæ sint; alterum, quod orator etiam remoto foro et senatu in omni genere sermonis et humanitatis perfectus esse debeat, cap. 9, 10. Cui Crassus ita respondet, ut primam Scævolæ reprehensionem silentio prætereat, alteram vero hoc argumento diluat, quod, etiamsi sibi multas artes philosophi vindicent, orator tamen, nisi omnes philosophiæ partes, eam certe, quæ sit de vita et moribus, cognitam ac tractatam habere, omninoque omnibus artibus, quæ sunt libero dignæ, perpolitus

esse debeat, quibus ipsis si in dicendo non utatur, tamen apparere, utrum sit earum rudis, an didicerit, cap. 11-16.

Scævola, cap. 17, negat se amplius cum eo luctaturum; at ipsius exemplo tamen, quippe qui omnia bene calleat, quæ in forensibus rebus, civilibusque versentur, neque tamen illam scientiam, quam adjungat oratori, complexus sit, veretur, ne plus ei tribuerit, quam res et veritas ipsa concedat.

Crassus eum jubet meminisse, se non de sua, sed de oratoris facultate dixisse, et Antonius, cap. 18-20, ei concedit, multo locupletiorem in dicendo futurum, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit; quod etsi difficile sit iis, qui ante, quam ad discendum ingressi sint, obruantur ambitione et foro, tamen in ipsa re ponendum esse atque eloquentiæ natura.

Sulpicius insperanti sibi et Cottæ, cap. 21, sed valde optanti utrique cecidisse fatetur, ut in istum sermonem Crassus et Antonius delaberentur; petitque, ut jam quid de omni genere dicendi sentiant, subtiliter persequantur. Crassus ipse hoc genus sermonis refugit, et potius ab Antonio, quod vellent, petendum esse monet. Sed quum eum Cotta haud dimitteret, eique quæstionem proponeret, « an existimet artem aliquam esse dicendi », primum iterum elabi tentat, et Græcorum morem in scholis ad quamcumque quæstionem respondendi ridet. Admonitus tamen a Scævola, humanitatis esse non defugere eam disputationem, ad quam illum duo excellentes ingeniis adolescentes cupiant accedere, primum docet sibi artem dicendi aut nullam, aut pertenuem videri. Ceterum non esse eam quidem negligendam, sed tamen alia quædam esse ad consequendam eloquentiam multo majora, cap. 22-24.

Nempe, cap. 25, naturam primum et ingenium multum valere; etsi adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio non sint deterrendi. Diligenter tamen esse oratori providendum, non ut iis satisfaciat, quibus necesse sit, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat judicare, cap. 26. Quare optimos etiam oratores in exordienda oratione perturbari; cujus rei causas Antonius, cap. 27, uberius exponit; ac nihil rarius perfecto oratore inveniri posse fatetur. In quo Crassus miratur in arte histrionum tenui ac levi plus di-

ligentiæ quam in arte dicendi, quæ maxima sit, adhiberi, et iterum collaudatis adolescentibus ob egregiam indolem ad dicendum, denuo sermonem alio transferre cupit, cap. 28, 29. Sed iterum instanti Cottæ et quærenti, quid præter naturæ dona assumendum putet, respondet studium et ardorem quemdam amoris, cap. 30. Quum autem studia nihil prosint perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo ferat deducatque, aliquis cognorit, rationem studii sui exponere aggreditur. Breviter igitur expositis artis rhetoricæ capitibus exercitationem maxime commendat, cap. 31, 32.

In qua primum probatur ab eo consuetudo, causa aliqua posita consimili causarum earum, quæ in forum deferantur, quam maxime ad veritatem accommodate dicendi; deinde vero monet, optimum esse quam plurimum scribere, quum stylus sit optimus et præstantissimus dicendi effector et magister. Qua in exercitatione utilissimum esse græcas orationes latine vertere, cap. 33. Reliquas exercitationes breviter perstringit, cap. 34.

Tum Scævola a Cotta rogatus petendo impetrat a Crasso, ut, quæ peranguste referserit in oratione sua, copiosius explicet, cap. 35, 36.

Crassus igitur primum juris civilis cognitionem oratori necessariam esse demonstrat exemplis hominum, qui juris ignorantia turpiter lapsi essent, castigatque primum impudentiam eorum qui absque illa scientia judicia privata obeant, quum sæpe maximæ sint causæ in quibus certetur de jure civili, cap. 38-40; deinde etiam inertiam ac segnitiem, quum cognitio juris neque magna, nec difficilis sit, præsertim si aliquando ad artem redactum fuerit, cap. 41; præterea ejus mira quædam sit in cognoscendo suavitas et delectatio, cap. 42; denique juris scientia iis, qui ei præsint, honorem, gratiam, dignitatem afferat, cap. 43; senectuti autem celebrandæ honestissimum præbeat perfugium, cap. 44.

Secundo loco Crassus breviter monet, publica quoque jura, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debere, cap. 45.

Hoc modo studiorum oratoris fontibus a Crasso demonstratis, illud insuper Sulpicius requirit, ut etiam vias earum rerum rationemque exponat, cap. 46. Id autem Crassus Antonio demandat, cap. 47.

Antonius, cap. 48, se deprehensum fatetur, quod ea requirantur ab ipso, quorum ignarus sit, et quia, quod in causis vitare soleat, Crasso cogatur succedere. Tum oratorem sic describit, ut sit is, qui verbis ad audiendum jucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus, sitque præterea voce, actione et lepore quodam instructus. Tum adversus Crassum disputans negat, oratorem civitatum regendarum aut philosophiæ peritissimum esse debere, cap. 50, 51; præsertim quum philosophorum præcepta pleraque a sensu vulgi valde abhorreant, cap. 52-55. Neque vero juris scientiam oratori ita necessariam esse, ut Crassus putaverit, sine causa igitur et impudentiam et inertiam adolescentium, qui jurisprudentiam non addiscant, accusari, cap. 56-59. Nec reliqua studia historiæ, juris publici, antiquitatis etiamsi adjuvent oratorem, ei prorsus necessaria esse, præsertim quum non ita multum spatia habeant studiosi, si velint exercitationibus a Crasso recte commendatis operam dare. Ad harum studium et laborem juvenes vehementer incitandos, reliqua ab oratoris proprio officio ac munere sejuncta esse, cap. 60, 61.

Quæ quum dixisset Antonius, Sulpicius et Cotta dubitare visi sunt, cap. 62, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Crassus autem Antonium fortasse, ut artem refellendi ostenderet, non quod vere ita sentiret, oratorium munus tam exiguis finibus circumdedisse suspicatur. Tanto facilius eum, quæ ab eo de officiis præceptisque oratoris quæsita sint, secundum hunc diem expositurum; hodie enim sat multa dixisse.

Tum Scævola libenter se auditurum fuisse Antonium, nisi in Tusculanum ad Lælium ire constituisset. Non enim sibi tam molestum fuisse, quod jus civile pervellerit, quam jucundum, quod se id nescire confessus sit, cap. 62.

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE.

DIALOGUS, SEU LIBER PRIMUS.

I. (1.) COGITANTI mihi sæpenumero, et memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima republica[1], quum et honoribus, et rerum gestarum gloria florerent, eum vitæ cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo, vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit quidem[2], quum mihi quoque initium requiescendi, atque animum ad utriusque nostrum præclara studia referendi, fore justum et prope ab omnibus concessum

I. 1. ***Republica, quum et honoribus.*** Pall. aliquot, item Memmianus, *quequomodo*, unus et alter *quomodo;* quod et in Francisci Pithœi libro quem excussit Gulielmius. GRUT.

2. *Ac fuit quidem, quum.* Sic edidi e vestigiis MSS et edd. vett. Nam MS Erlangensis plane habet : *Ac fuit quidem*, sed sine *quum*. Ed. Ascens. 1 non habet *quidem*, sed pro eo *tempus illud*, nescio unde; quod Aldus et ceteri omnes sequuti sunt. *Tempus illud* est a glossatore, qui ex aliis locis Ciceronis addidit, ut Inv. 1, 2, init. ad Div. X, 8. Quod e MS E. edidimus, est exquisitius et optimis scriptoribus usitatum. Pearcii MSS omnes caruere pronomine *illud;* a plerisque abfuit *tempus*. Edd. primæ omnes habent : « ac nunc mihi quoque » : sed id plane repugnat sequentibus: « quam spem consiliorum atque cogitationum etc. » Ceterum « quam spem c. etc. » est pro « sed eam spem c. etc. » quod paullo durius est, a nostro sermone in primis æstimantibus. Et Cicero subinde pronomen *qui*, cujus usu, ex imitatione Atticorum, valde delectatur, duriuscule, ad sensum certe nostrum, usurpat. ERN.

arbitrarer, si infinitus forensium[3] rerum labor, et ambitionis occupatio[4], decursu honorum, etiam ætatis flexu, constitisset. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum, quum graves communium temporum[5], tum varii nostri casus fefellerunt. Nam, qui locus[6] quietis et tranquillitatis plenissimus fore[7] videbatur, in eo maximæ moles[8] molestiarum, et turbulentissimæ tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, inter nosque[9] recolendas. Nam prima[10] ætate incidimus in ipsam perturbationem disciplinæ veteris[11]; et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen; et hoc tempus omne[12] post consulatum objecimus iis fluctibus, qui,

3. *Si infinitus forensium*. Lambinus, syllaba priore expuncta, obtrusit nobis *finitus*, sed contra omnes Pall. novem, quos ea propter consului, præterque rationem, uti ostendit Franc. Hotomannus libro II Observ. c. 5. Grut.

4. *Et ambitionis occupatio*. Hotomannus, Observ. lib. II, cap. 5, emendat *ut amb.* quomodo item placebat Gulielmio : abnuunt tamen omnes MSS, de quibus Pal. pr. et sec. item præterea Pith. et Mem. *cursu*, non *decursu*. Grut.

5. *Communium temporum*. Casus illi quos Cicero cum ceteris civibus communes habuit, id est, reipublicæ calamitates.

6. *Qui locus*. Intell. quod tempus vitæ meæ.

7. *Plenissimus fore*. Pal. pr. sec. item Mem. et Pith. denique C. a Gulielmio consultus, *plenus*. Grut.

8. *Maximæ moles molestiarum*. Adscivi vocem *moles*, quod exstaret in illa veteri editione, firmaretque eam Pal. tert. sept. nonus, omisere ceteræ membranæ ob similitudinem ejus cum voce sequenti; asseruerant eamdem dudum auctori nostro Victorius, lib. XVI, cap. 19; Turnebus, lib. XV, cap. 2. Sed nemo obtemperavit. Grut. — *Moles* abest a Guelf. 1, 2, 3, ed. Gothofr. Sch.

9. *Inter nosque*. Sic MS Erl. et edd. pr. usque ad Ald. quod recte etiam Pearc. edidit. Vulg. *interque nos*. Ern.

10. *Prima ætate*. Anno U. cond. 667, et consequenti, quum Tullius ageret annum vicesimum, exarsere bella civilia Cinnæ, Marii et Sullæ, qui contra pristinum morem oppressa patriæ libertate, principatum invadere tentabant. Paust.

11. *Ipsam perturbationem disciplinæ veteris*. Bella scilicet Marii et Sullæ; et Sullæ dictaturam, qua forma reip. mutata est.

12. *Et hoc tempus omne*. Hos de Oratore dialogos Cicero scripsisse pu-

per nos a communi peste depulsi[13], in nosmet ipsos redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum, vel angustiis temporis, obsequar studiis nostris, et, quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causæ amicorum, vel respublica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam. Tibi vero, frater, neque hortanti deero, neque roganti : nam neque auctoritate quispiam apud me plus valere te potest, neque voluntate.

II. Ac mihi repetenda est veteris cujusdam memoriæ[1] non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quæ viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi. Vis enim, ut mihi sæpe dixisti, quoniam quæ pueris[2], aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris[3] inchoata ac rudia exciderunt, vix hac[4] ætate digna, et hoc usu, quem ex causis,

tatur anno U. C. 698, secundo vero anno post ejus reditum, quum Clodianorum furore actus in exilium cessisset. Pearc.

13. *A communi peste depulsi.* Haud aliter Pall. omnes; non video tamen quid sibi velit vocabulum *peste :* nescio an reponendum *pectore depulsi*, aut simile quid. Sed potius totum eradicandum est, ut volebat Lambinus. Grut. — Sensus est, ab evertenda republica probibiti.

II. 1. *Veteris cujusdam memoriæ*, etc. Sensus est : repetere debeo, quod olim cogitare me memini, sed nondum perspicue vel ipse explicavi, vel ab aliis explicatum reperi ; nam proderit ad explicandum id, quod requiris. Ern. — Verba *non satis explicata rec.* J. V. L. in editione vertit gallicus interpr. *un souvenir un peu confus*, et hic verus esse sensus videtur.

2. *Quoniam quæ pueris.* Hæc est scriptura Pall. novem, item Pitb. Mem. et C. confirmatque editio princeps : mendosum istud dixit Lambinus, sed bene quod causam nullam reddidit, contentus sequi Victorium, qui publicavit : « quædam pueris ». Gruter. — Verba « quoniam quæ pueris ... consequuti sumus » quasi parenthesi inclusa intelligenda sunt, ut patest ita construi debere sententiam « vis enim ... aliquid proferre ». Post *digna* subaudi *sunt*.

3. *Ex commentariolis nostris.* Libros de Inventione sub annum ætatis vicesimum Cicero scripserat, rudes et impolitos, si cum his conferantur. Porro commentarius, liber est in quem referimus aliquid breviter memoriæ causa. Proust.

4. *Vix hac ætate digna.* Schützius dat : « vix hac sint ætate digna ».

quas diximus, tot tantisque consequuti sumus, aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri: solesque nonnumquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego prudentissimorum [5] hominum artibus eloquentiam contineri statuam; tu autem illam ab elegantia doctrinæ segregandam putes, et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam.

(II.) Ac mihi quidem sæpenumero in summos homines ac summis ingeniis præditos intuenti, quærendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus rebus [6], quam in dicendo admirabiles exstitissent. Nam, quocumque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed prope maximarum. Quis enim est, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces præstantissimos ex hac una civitate [7] pæne innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? Jam vero, consilio ac sapientia [8] qui regere ac gubernare

5. *Prudentissimorum hominum.* Ita Pal. pr. sec. duo Memmiani et Pithœanus, et recte: solet enim Noster opponere prudentiam oratorum loquacitati rabularum. Vulgata *eruditissimorum*. Gautier. — Sch. dat *erud.* cum Guelf. 1, 2, ed. Koh. Victor. Major. — « Prudentissimorum hominum artibus el. cont. » Int. non exsistere nisi ex collectis et connexis inter se omnibus artibus et disciplinis quibus ornari potest ingenium humanum. Bene vertit gallicus interpres: « L'éloquence renferme en elle-même cet ensemble de connaissances que doit posséder l'homme le plus éclairé ».

6. *Cur plures in omnibus rebus.* Ita Memmiani duo, Pith. et C. præter Pal. pr. ac sec. neque enim libet descendere ad ceteros, notæ sequioris. Vulgata, *omnibus artibus*, minus recte: miramur enim omni in re summam excellentiam. Gaut.

7. *Præstantissimos ex hac una civitate.* Lall. « ex hac una civit. præstantissimos ».

8. *Consilio ac sapientia.* Pall. priores numero ac bonitate istud præferunt: posteriores, *sententia*, quod placuit Wouverio, quod et bonus senator

rempublicam possent, multi nostra, plures patrum memoria, atque etiam majorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis ætatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. (III.) Ac, ne quis forte cum aliis studiis, quæ reconditis[9] in artibus, atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude, aut cum boni senatoris prudentia comparandum[10] putet; convertat animum[11] ad ea ipsa artium genera, circumspiciatque, qui in iis floruerint, quamque multi[12]: sic facillime, quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas, judicabit.

III. Neque enim te fugit, artium omnium laudatarum[1] procreatricem quamdam, et quasi parentem eam, quam φιλοσοφίαν Græci vocant, ab hominibus doctissimis judicari; in qua difficile est enumerare, quot viri, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quæcumque possent[2], vel scientiæ pervestigatione[3], vel disserendi ra-

sententia regat rempublicam et privatorum controversias consilio dirimat.

9. *Reconditis in artibus.* Vertit gallicus interpres : « ces arts que l'on cultive dans la retraite » Alii interpretantur *artes*, quæ aliquid habent reconditi. Vide infra, cap. 3, de mathematicis, « quam recondita in parte », et paullo post : « reconditis atque abditis e fontibus ».

10. *Comparandum.* Schützius, *comparandam.*

11. *Convertat animum ad ea ipsa ... circumspiciatque.* Non istud modo habent Pall. nostri, sed et olim impressi sequentes, « convertat animum et ea ipsa ... circumspiciat, quiq. in iis, etc. » GRUT.

12. *Quamque multi : sic facillime.* Sic Pall. quart. sext. sept. oct. rotundius sane vulgato « multi sint : facillime », quod et ejecerat fide unius MS Lambinus. GRUT.

III. 1. *Artium omnium laudatarum.* « Omnium laudatarum artium » est in edd. W. s. l. et a. Lips. ed. Ven. Med. al. quod Pearcius et Schutzius prætulere. Aldus dedit *laudandarum.*

2. *Quæcumque possent, vel,* etc. Pall. plerique et tres Gallicani a Gulielmio excussi, item editio princeps, sic scriptum habent; vulgata *essent, vel,* quod jactantius fuerit quam verius, retinendum tamen putabat Gulielmius. GRUT.

3. *Vel scientiæ pervestigatione.*

tione comprehenderint. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et quam[4] recondita in arte et multiplici subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse[5] ei scientiæ vehementius videatur, quin, quod voluerit, consequutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium pæne infinitam vim et materiam scientiæ cogitatione[6] comprehenderit? Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissimis sint doctrinisque versati, minimam copiam poetarum egregiorum exstitisse[7]. Atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter, et ex nostrorum, et ex Græcorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poetæ boni reperientur. Quod hoc[8] etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur; dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more et sermone versatur: ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque dis-

Schützius dat « vel scientia et pervestigatione ».

4. *Et quam recondita*. Sch. delet copulam *et*.

5. *Studuisse ei scientiæ vehementius videatur*. Schützius delet *scientiæ*, quia *ei* referri censet ad antecedens *genere*.

6. *Scientiæ cogitatione*. Non secus trias Gallicanorum, necnon Pall. priores duo publicati, *scientia et cognitione*, minus nervose; cogitationis enim vocabulo significatur coactio et compressio, qua opus est in tam variis rebus memoria comprehendendis. Ga. — Schützius dat « scientia et cogitatione », quod et Ernestio non displicuerat. Gœrenzio ad Acad. II, 46, placet « scientia et cogitatione », e quibusdam MSS.

7. *Exstitisse. Atque*. Sic interpungendum ut in MS E. ed. a. l. et a. Lips. Ernest. — Vulgo, « exstitisse : atque ».

8. *Quod hoc etiam*. « Quod hinc etiam » Olivet.

junctum, in dicendo autem vitium vel maximum [9] sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.

IV. (IV.) Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures ceteris artibus inservire [1], aut majore delectatione, aut spe uberiore, aut præmiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque, ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse [2] voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis [3] et inventa est et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla umquam vehementius, quam eloquentiæ studia viguerunt. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari [4], qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod præceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione [5] poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo et varietas, multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam,

9. *Vel maximum sit*, pro *est* ex edd. pr. plerisque: nam conjunctivus requiritur. Sed fortasse plane delendum, ortumque, sicut *est*, e vitiosa interpunctione, quæ punctum post *disjunctum* poneret, quum minor esse deberet, ut in ed. s. l. et a. Lips. et MS Erl. Ern.

IV. 1. *Ceteris artibus inservire*. Si fides habenda Pall. melioribus, ut et Pithœano, abjicienda est dictio *artibus*. Gaut.

2. *Eloquentiæ princeps esse*. Memmii scriptus *eloquentia*. Gruterus.

3. *Summa dicendi vis*. Gulielmius putabat *vis* esse a librario: ita Petronius *summa carminis*; sed sic tamen rursum loquitur Noster, de Oratore, lib. I, c. 53, circa finem. Grut.—Schdat: «in quibus etiam dicendi vis».

4. *Totius rationis ignari*. Id est, artis dicendi, quæ præceptis continetur. W. dedit *orationis*, vitiose, ut Lips. et alii libri alibi. Ern.

5. *Cogitatione*. Int. *meditatione* et *exercitatione*. Ern.

quam suo quisque studio assequutus esset, adjungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nunc quoque sunt, exposita præmia[6], vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero (ut multis rebus possumus judicare) nostrorum hominum multum ceteris hominibus[7] omnium gentium præstiterunt. Quibus de causis, quis[8] non jure miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? (v.) Sed nimirum majus est hoc[9] quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum.

V. Quis enim aliud[1], in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiæ propositis præmiis, esse causæ putet, nisi rei quamdam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem? Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda, non solum electione, sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi; quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis, aut excitandis expro-

6. *Exposita præmia*. Gruterus dat *proposita*, notatque in Pall. esse *exposita*. Ceterum utrumque expungi posse arbitratur.

7. *Multum ceteris hominibus omnium gentium præstiterunt*. Manifeste spurium est *hominibus*, itaque uncis inclusi. *Ceteris* intell. ingeniis. Opponuntur ingenis Romanorum et aliarum gentium. ERN. — *Hominibus*, quod Ern. uncis incinsit, recte defenditur ab Heusingero ad Cic. Off. I, 22, 7. SCH.

8. *Quis non j. m.* Schützius, *qui non j. m.*

9. *Majus est hoc*. Scilicet eximium esse oratorem.

V. 1. *Quis enim aliud*. Tosan. Pith. Memm. item Pal. pr. ac sec. «quid enim quis aliud». GRUT. — Quam lectionem Schützius edidit, addens auctoritatem MS Guelf. 1, Ox. U. 2. α. γ.

menda est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiæque, et eruditio libero digna, celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate conjuncta. Tenenda præterea est omnis antiquitas exemplorumque vis; neque legum, aut juris civilis[2] scientia negligenda est[3]. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam[4]? quæ motu corporis, quæ gestu, quæ vultu, quæ vocis conformatione ac varietate moderanda est; quæ sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat : in qua quum omnes in oris, et vocis, et motus moderatione elaborent, quis ignorat, quam pauci sint, fuerintque, quos animo æquo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? quæ nisi custos inventis cogitatisque rebus[5] et verbis adhibeatur, intelligimus, omnia, etiamsi præclarissima fuerint in oratore, peritura[6]. Quamobrem mirari desinamus, quæ causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est; hortemurque potius liberos nostros, ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut præceptis, aut magistris, aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam, se id, quod expetunt, consequi posse confidant.

VI. (VI.) Ac mea quidem sententia nemo poterit

2. *Aut juris civilis.* Schützius dat *ac juris civ.* cum Guelf. 1, 2.

3. *Negligenda est.* Liber Langii *concedenda est.* GRUT.

4. *De actione ipsa plura dicam?* Id est, multa. Sed id non est Ciceronis et melioris ætatis. Itaque spurium judico. ERN.

5. *Cogitatisque rebus.* Schützius dat *ordinatisque.* Hoc, inquit, reponendum esse ex Augustini Princip. rhetor. pag. 295, ed. Pith. vidit Burmannus.

6. *Fuerint in oratore, peritura.* Sic interpungendum, non « fuerint in oratore peritura ». ERN.

esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consequutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quæ, nisi subest res ab[1] oratore percepta et cognita, inanem quamdam habet elocutionem, et pæne puerilem. Neque vero ego hoc tantum[2] oneris imponam nostris præsertim oratoribus, in hac tanta occupatione urbis ac vitæ, nihil ut iis putem licere nescire: quamquam vis oratoris, professioque ipsa bene dicendi, hoc suscipere ac polliceri videtur[3], ut omni de re, quæcumque sit proposita[4], ab eo ornate[5], copioseque dicatur. Sed quia non dubito, quin hoc plerisque immensum infinitumque videatur, et quod Græcos homines non solum ingenio et doctrina, sed etiam otio studioque abundantes, partitionem quamdam artium[6] fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quæ in forensibus disceptationibus judiciorum, aut deliberationum[7] versaretur, et id unum genus oratori reliquisse: non complectar in his libris amplius, quam

VI. 1. *Quæ nisi subest res ab orat.* Pal. pr. ac sec. necnon Pith. et Memmil unus, «quæ nisi sit ab oratore». Grut.

2. *Ego hoc tantum.* Schützius delet *hoc.*

3. *Videtur.* Edd. vett. ed. s. l. et a. Lips. *videatur*, quod recepit Pearcius. Sed *videtur* rectum est. Ern.

4. *Quæcumque sit proposita.* Gallicani illi duo *posita*, quod placuit Gulielmio: nec abhorrerem ab eo ipse, nisi alterum invenissem in omnibus Pall. Grut.

5. *Ab eo ornate.* Schütz. dat *ornate ab eo.*

6. *Partitionem quamdam artium .....video.* Schützius delet *artium.*

7. *Aut deliberationum.* Pearcius e MSS dedit *ac.* Mihi totum hoc *aut deliberationum* suspectum est. Nam in foro non sunt deliberationes: sicut nec consilium populi, sed concilium. Nam orationes, quæ in concione populi habentur vel suadendi vel dissuadendi causa, sunt illæ quidem e genere deliberativo, sed in iis habendis tamen non est proprie deliberatio. Isti, de quibus Cicero loquitur, solam eloquentiam judiciorum persequebantur, et oratori tribuebant. Infra tamen in eadem re «judicia et conciunculæ» commemorantur cap. 11, unde forte hoc loco *concionum* legendum. Ern.

quod huic generi, re quæsita, et multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum; repetamque, non ab incunabulis nostræ veteris puerilisque doctrinæ quemdam ordinem præceptorum, sed ea, quæ quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum, et omni dignitate principum, disputatione esse versata: non quod illa contemnam, quæ Græci dicendi artifices et doctores reliquerunt; sed, quum illa pateant[8], in promptuque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est, auctoritatem Græcis anteponam.

VII. (VII.) Quum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus[1], pro senatus auctoritate susceptus, infringi jam debilitarique videretur; dici mihi memini[2], ludorum Romanorum[3] diebus, L. Crassum[4], quasi colli-

8. *Sed, quum illa pateant... neque ea interp.* Vel *illa* saltem delendum, vel etiam *ea*. ERN. — Schützius dat « sed quum ea pateant... neque int. »

VII. 1. *Consul Philippus.* L. Marcius Philippus, consul ann. Urb. cond. 663, de cujus oratoria facultate vide Brutum, 47, 50. — *Drusique tribunatus*, etc. Inter eas leges quibus Drusus senatus auctoritatem restaurare tentavit, legem proposuit, qua judicia, quæ e solis equitibus lege Sempronia exercebantur, equitum et senatorum communia essent. De Drusi morte resp. ad Her. IV, 22.

2. *Dici mihi memini.* Sic cum Pearcio edidi e MSS E. edd. W. s. l. et a Lips. etc. Vulgatum *dici memini* est ab Aldo. Non est res famæ, sed Ciceroni ab amico narrata, nempe Cotta. Vid. cap. 8. ERN.

3. *Ludorum Romanorum.* Ludi apud Romanos publicæ religionis pars erant: alii alio in loco, alii alius in numinis honore celebrabantur. Sic erant ludi *Circenses*, *Scenici*, *Apollinares*, *Cereales*, *Florales*, etc. Nobilissimi erant ludi *Romani* vel *Magni*, de quibus vide Tit. Liv. I, 35, a Tarquinio vetere instituti anno U. C. 160.

4. *L. Crassum.* L. Licinius Crassus, celeberrimus orator, præcipuas in his dialogis partes agit. Natus est, ut ex Ciceronis Bruto patet, C. Lælio et Q. Cæpione coss. sive anno U. C. 594. Qua morte defunctus fuerit, fuse refert Tullius sub initium libri tertii de Oratore, cap. 2. PRUST.

gendi sui causa, se in Tusculanum contulisse; venisse eodem[5], socer ejus qui fuerat, Q. Mucius, dicebatur, et M. Antonius[6], homo et consiliorum in republica socius, et summa cum Crasso familiaritate conjunctus. Exierant autem cum ipso Crasso adolescentes[7] duo, Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem majores natu dignitatis suæ collocarant, C. Cotta[8], qui tum tribunatum plebis petebat[9], et P. Sulpicius[10], qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. Hi primo die de temporibus illis, deque universa republica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei colloquuti

5. *Venisse eodem, socer ejus qui fuerat, Q. Mucius dicebatur.* Sic Majurag. Olivet. et probat Heusingerus ad Cic. Offic. III, 21. Ernest. restituit lectionem edd. pr. « venisse eodem, socerum ejus, qui fuisse Q. Mucius dicebatur ». Sch. — Q. Mucius Scævola Q. Scævolæ consulis anno 580 filius, C. Lælii gener, in stoica disciplina jurisque scientia, et omni literarum genere versatissimus. Ad quem audiendum a patre deductus est Cicero sumpta virili toga. Augur fuit an. U. C. 621. Observant eruditi eum cum Q. Mucio pontifice, ad quem, hoc Q. Mucio augure mortuo, se conferebat Tullius, minime confundendum esse. Paust.

6. *M. Antonius.* Orator eximius, natus coss. Appio Pulchro et Q. Cæcilio anno U. C. 611. De quo plura subinde his in libris occurrunt, et præcipue in Bruto, cap. 37. De ejus morte vide lib. III de Orat. cap. 3. Paust.

7. *Adolescentes duo.* Bene additum puto *duo* a Pearcio ex edd. Vict. Steph. Sed ego posui post *adolescentes*, delevique *et* ante *Drusi f.* quod ineptum est, ortumque forte e nota numerali. Ern.

8. *C. Cotta.* C. Aurelius Cotta dicendi laude præstans his temporibus petiit tribunatum, et obtinuit; a quo post Crassi mortem per invidiam depulsus, immo civitate deinde ejectus est. Appian. — Postea tamen consulatum gessit anno U. C. 679. Quum illi decretus esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, ut refert Asconius in notis ad Pisonianam, quum cicatrix vulneris ejus, quod ante plures annos acceperat, rescissa esset repente. De quo plurima inferius et in Brut. c. 55. Paust.

9. *Qui tum tribunatum plebis petebat.* Pearcius in quibusdam MSS reperit *petebatur;* ac id e seqq. repetitum putabat, et pro eo legi volebat *tribunus plebis erat*, quod cum re consentit et historia. Edd. pr. habent fere *qui tr.* (sic) *petebatur.* MS E. « qui tr. pl. petebatur ». Puto ex eo scribendum « qui tribunatum gerebat ». Vulgatum ab Aldo. Ern.

10. *P. Sulpicius, qui deinceps, etc.* Cujus in Bruto Tullius dicendi characterem describit, et sub initium lib. III de Orat. funestam mortem deplorat. Paust.

sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent; eo autem omni[11] sermone confecto, tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaque esset in homine jucunditas, et tantus in jocando[12] lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse videretur, convivium Tusculani.

Postero autem die, quum illi majores natu satis quiessent, et in ambulationem ventum esset, dicebat[13] tum Scævolam, duobus spatiis tribusve factis, dixisse: Cur non imitamur[14], Crasse, Socratem illum, qui est in Phædro Platonis? nam me hæc tua platanus admonuit, quæ non minus ad opacandum hunc locum[15] patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram sequutus est Socrates, quæ mihi videtur non tam ipsa[16] aquula, quæ describitur, quam Platonis

11. *Omni sermone.* Schutzius delet *omni.*

12. *Tantus in jocando lepos.* Pall. duo illi priores *loquendo :* neque aliter Gallicani duo : facitque pro eo superius illud c. 5, « accedat eodem oportet lepos quidam ». Grut.

13. *Et in ambulationem ventum esset, dicebat tum.* Ita Pall. duo. Lambinus id recepit quidem, sed delevit *dicebat*, quod tamen in MSS omnibus. Vulgata, omisso *et*, habebat « in ambulatione ventum esse dicebat, tum ». Grut. — *Dicebat.* Int. ille qui mihi ista narravit, nisi quis plane deleri *dicebat* malit. Ern. — Schutz. hoc verbum delevit.

14. *Cur non imitamur... Socratem.* Apud Platonem in dialogo, qui Phædrus inscribitur, Socrates ad Ilissum, Atticæ fluvium, molliter in herba recumbens, sub alta et patulis diffusa ramis platano, multa disserit. Proust.

15. *Ad opacandum hunc locum.* Pith. et Memmii unus *placandum :* quod tale putabat Gulielmius, ut in id inquiri posse putaret. Palatini adhærescunt vulgato, nisi quod quidam exhibent *occupandum*, alii *oppacandum.* Grut.

16. *Tam ipsa aquula.* Schütz. dat *ista*, notatque : Gœrenzius V. C. in tertio volumine operum Cic. philosophicorum, quod continet libros de Finibus castigatissime editos, lectionem *ipsa aquula* sic defendit, ut sit idem quod *hæc ipsa aquula.* Audirem, si h. l. opus esset, istam aquulam tanta

oratione crevisse: et quod ille[17] durissimis pedibus fecit, ut se abjiceret in herbam[18], atque ita illa, quæ philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est æquius. — Tum Crassum: Immo vero commodius etiam; pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quæ erant sub platano, consedisse dicebat[19].

VIII. (VII.) Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quemdam de studio dicendi intulisse. Qui quum ita esset exorsus, non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam jam essent facultatem adepti, ut non æqualibus suis solum anteponerentur, sed cum majoribus natu compararentur: Neque vero mihi quidquam, inquit, præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit[1]; unde autem velit, deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque[2] in pacatis tranquillisque civitatibus, præcipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est[3] aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus na-

cum vi designare. SCH. — J. V. L. Gœrenzius assentitur.

17. *Et quod ille.* Sic tres Gallicani et duo Pall. item editio princeps: sequentes, *sed quod ille.* GRUT. — *Durissimis pedibus*, quia Socrates facile viæ laborem tolerabat; sæpe etiam nudis pedibus incedebat.

18. *In herbam.* Edd. W. s. l. et a. item MS E. *herba*, quod exquisitius atque fortasse verius. ERN. — Schütz. dat *in herba*, auct. codd. Guelf. 1, 2, 3.

19. *Consedisse dicebat.* Hic facilius feram *dicebat*: nec tamen desiderarem, si abesset. Lambinus quidem deleri volebat. ERN. — Schütz. delevit.

VIII. 1. *Velit... velit.* Sic J. V. L. Lallem. *velis ... velis.* Sine dubio utroque loco legendum *velis*, ut facile quisque sentiet. ERN.

2. *Maximeque in pac.* Schütz. cum Guelf. 1 delet *que*.

3. *Quid enim est*, etc. De oratoris dignitate, atque eloquentiæ laudibus, vide Quint. lib. II, cap. 16, et dialogum de Oratoribus, quem Tacito tribuunt, cap. 5, 6, 7. J. V. L.

tura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? Quid tam porro regium[4], tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare[5] improbos, vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque[6] meditere, quid esse potest in otio aut jucundius[7], aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præstamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis hoc non jure miretur, summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis præstent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero jam ad illa summa veniamus; quæ vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc[8] hu-

4. *Quid tam porro regium.* Lallem. « quid porro tam reg. »

5. *Provocare improbos.* Sic omnes edd. vett. recteque jam pro *integros* restituit Pearcius, quod tamen e codd. venit : nam et Erl. sic habet. ERN. — Cui Schützius assentitur. Contra Gruterus : *integros*, inquit, Pall. meliores a manu prima, et Gallicani duo, et videtur hic locum suum habere debere, ideoque ejeci hactenus vulgatum *improbos*, vocem nihili, hic præsertim.

6. *Forum, subsellia, rostra, curiamque.* In *foro* jus dicebant prætores, et judices ab iis dati : unde causæ forenses appellabantur. *Subsellia* esse tribunorum, triumvirorum, quæstorum, et aliorum minora judicia exercentium scribit Asconius. *Rostra*, locus erat, ex quo dicebant oratores ad populum. *Curia*, ubi senatores et principes civitatis de rep. administranda inter se agebant. PROUST.

7. *In otio aut jucundius.* Lallem. delet *aut*.

8. *Ad hunc humanum cultum.* Pal. sec. item Gallicani, *in hunc*, æque bonum. GRUT.

manum cultum civilemque deducere, aut, jam constitutis civitatibus, leges, judicia, jura describere?

Ac, ne plura, quæ sunt pæne innumerabilia, consecter, comprehendam brevi : sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum, et universæ reipublicæ salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes; atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicæ emolumento esse possitis.

IX. (IX.) — Tum Scævola comiter, ut solebat : Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Lælii, soceri mei, aut de hujus, generi, aut arte, aut gloria detraham; sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi[1] possim concedere : unum, quod ab oratoribus civitates et ab initio[2] constitutas, et sæpe conservatas esse dixisti; alterum, quod, remoto foro, concione, judiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum.

Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delinitum, se oppidis mœnibusque sepsisse? aut vero reliquas utilitates, aut in constituendis[3], aut in conservandis[4] civitatibus, non a sapientibus et fortibus viris, sed a disertis et ornate dicenti-

IX. 1. *Vereor, ut tibi possim.* Edd. vett. « haud tibi possum concedere », servato tamen *vereor*. Ceteræ primæ, *ne tibi*, etc. MS E. *vereor aut*, inde m. sec. fecit *haud*. Apparet incertam scripturam esse. Vulgatum est ab Aldo, ERNEST.

2. *Et ab initio*. Ernest. delet *ab*.

3. *Aut in constituendis*. Addidi *in* cum Pearcio, quod delevit Aldus. Sed edd. pr. habent etiam *constituendis*, ut MS E. non *instituendis*, ut est in vulgatis. ERNEST. — *Aut instituendis* Guelf. 1, 2, Oliv. SCH.

4. *Aut in conservandis*. Sch. Lall. Ern. delent *in*.

bus esse constitutas[5]? An vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut Sabinorum connubia conjunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari? Quid[6] enim? in Numa Pompilio, quid? in Ser. Tullio[7], quid? in ceteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, num quod eloquentiæ vestigium apparet? Quid? exactis regibus (tametsi ipsam exactionem mente, non lingua, perfectam L. Bruti esse cernimus), sed deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? Ego vero si velim et nostræ civitatis exemplis uti, et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adjumenta, per homines eloquentissimos importata: sed, ut reliqua prætermittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et sæpe alias, et maxime censor, saluti reipublicæ[8] fuit. Atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu[9] atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jamdiu nullam haberemus. At vero ejus filii diserti, et omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, quum civitatem vel paterno consilio, vel avitis armis florentissimam accepissent,

5. *Ornate dicentibus esse constitutas.* Schützius dat *ornate dicentibus esse institutas.*

6. *Quid enim? in Numa.* Schützius delet *enim.*

7. *In Ser. Tullio.* Alii *Tullo*, ut Schützius. — *Ti. et C. Sempronios.* Gracchorum nomine notos.

8. *Reipublicæ fuit. Atque is non accurata.* Sic interpunxi ex edd. pr. quod et sua sponte patuit. Sic et MS E. et ed. Lips. MSS quidam *atqui* habent; sed non est necesse ita corrigere. Ern.

9. *Sed nutu atque verbo*, etc. Pro *nutu* editiones pr. Lips. et MSS quidam apud Pearcium *nuda*, male, ut E. Ern.

ista præclara gubernatrice, ut ais, civitatum, eloquentia, rempublicam dissipaverunt[10].

X. Quid? leges veteres, moresque[1] majorum; quid? auspicia, quibus et ego, et tu, Crasse, cum magna reipublicæ salute præsumus; quid? religiones et cærimoniæ[2]; quid? hæc jura civilia, quæ jam pridem in nostra familia sine ulla eloquentiæ laude versantur; num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? Equidem et Ser. Galbam, memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Æmilium Porcinam, et C.[3] ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus perculisti[4], ignarum legum, hæsitantem in majorum institutis, rudem in jure civili; et hæc ætas nostra, præter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere aliquo disertorum, jus a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, juris ignara est.

(x.) Quod vero in extrema oratione, quasi tuo jure sumpsisti, oratorem in omnis sermonis[5] disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque præessem[6], qui aut interdicto tecum contenderent[7], aut te ex jure manu

10. *Rempublicam dissipaverunt.* Ita Pall. novem, sed enim Pithœanus, *disparuerunt*: forsan *disperaverunt*, annotatum Gulielmio. GRUTER. — *Rempublicam dissip.* Vide eamdem quæstionem de incommodis eloquentiæ in isto dialogo de eloquentia, qui Tacito tribuitur, cap. 40.

X. 1. *Moresque majorum*, etc. Schütz. dat *mosque majorum* cum Guelf. 2, 3.

2. *Cærimoniæ.* Lallem. Ern. *cæremoniæ*

3. *Et C. ipsum.* Sic MS E. edd. pr. vulgatum *Cn.* est ab Aldo. *C.* verum esse res docet, et locus Ciceronis infra, cap. 34, et alia.

4. *Perculisti.* Edd. vett. vitiose *perpulisti*, solita confusione. MS E. *perculisti.* ERN.

5. *In omnis sermonis disputatione.* Lambinus ex nescio quibus MSS reposuit *in omni sermone*, sed reluctantibus Palatinis Gallicanisque. GRUT.

6. *Multisque præessem.* Gruterus qui dat *præissem* haud aliter, inquit, Pall. aliquot; meliores nihilominus *præessem*, quomodo in cusis ante Lambinum.

7. *Interdicto tecum contenderent.*

consertum[8] vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim tecum lege[9] primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique, in suo genere, physici[10] vindicarent[11], ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi justo sacramento[12] contendere non liceret. Urgerent præterea

Interdictum, prætoris est edictum quo jubet aliquid vel fieri, vel omitti. Sententia est: Multi tibi litem intenderent, et lege ne prætoris edicto tecum agerent, quod eam rem, quæ pertinet ad alias artes, nimirum in omni disputatione copiose versari, tamquam oratori propriam vindices illi, ac tribuas. Paust.

8. *Ex jure manu consertum.* Pearcius dedit *manum.* Sic intelligendum, non scribendum aut pronuntiandum. Ern. — Manum conserere est proprie in prælio venire ad manus. Transfertur autem a militiæ certaminibus ad fori contentiones. Scilicet petitor, et is a quo petebatur, dicto die, in agrum litigiosum conveniebant, simulatoque conflictu, quasi per vim expellebatur ex agro petitor: hic deinde ad prætorem appellabat de vi, ac petebat, ut sua sibi restituerentur. De hac locutione plura Gellius, lib. XX, cap. 10. *Manu* pro *manus* dicitur expuncta more Veterum *s*: *consertum* in supino a *consero*, quod est *committo*. Ceterum hujus loci sententia est: Multi repeterent ac restitui postularent, adhibita solemni juris formula, rem a te contra jus fasque occupatam. Paust.—Ceterum ex industria Cicero Scævolam jurisconsultum inducit juris vocabulis et formulis utentem.

9. *Agerent enim tecum lege.* Schutzius delet *lege*, auctoritate cod. Ox. B.

10. *Ceterique, in suo genere, physici.* Sic interpungendo tollitur difficultas, propter quam Pearcius recepit *jure suo*; quod mihi alienum videtur. Nam id est jam in *lege agerent*, et sqq. *In suo genere* est in sua quique secta; ut Epicurei, etc. MS E. omisit *genere*. Ernest. — Schützius edidit *suo jure*. Hoc, inquit, Car. Langius ad Cic. Læl. cap. 20, ex antiquo libro eruit, probante Heusingero.

11. *Vindicarent, ornati homines.* *Vindicarent*, sublata copula *que*, edidit Pearcius, ut est etiam in MS E. Ern. — Pal. pr. ac sec. spernit *que*, *ornati homines*: est ad oram primo *vindicaret ornati omnes*, quod mallem. Grut.

12. *Justo sacramento.* «Sacramentum litis genus erat, simile sponsionis». Varro. — Et qui petebat, et qui infitiabatur, de aliis rebus utrique quingentos æris apud pontificem deponebant, de aliis item rebus certum numerum assium. Qui judicio autem vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad ærarium redibant. Sacramentum dixit pecuniam lite depositam apud pontificem. Decepti sunt qui legerunt hic *apud pontem*, non *apud pontificem*. Sensus est igitur: Philosophi disciplinarum possessione dejecti, tecum interdicto contenderent, quemadmodum ii qui ab agro dejecti sunt: aut vindiciarum litem sibi intenderent, et disciplinas suas sibi assererent: aut jure possent agere tecum, et deposita pecunia contendere. Streb.

philosophorum greges, jam ab illo fonte et capite Socrate; nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitæ didicisse, nihil omnino quæsisse, nihil scire convincerent; et quum universi in te impetum fecissent, tum singulæ familiæ litem tibi intenderent. Instaret Academia, quæ, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret [13]. Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam [14] hæc ipsa, quæ propria oratorum putares [15] esse adjumenta, atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere; ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros, scripsisse ostenderent. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate contingitur [16]. Quamobrem ista tanta, tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. Satis id est magnum, quod potes præstare [17], ut in judiciis ea causa, quamcumque tu dicis, melior et

13. *Negare cogeret.* Hoc ex edd. pr. usque ad Junt. etiam Lips. reposui. Vulgatum *scire negaret* est ab Aldi correctione. Illud multo est efficacius et melius. *Negaret* est in MS E. sed sine *scire*. Ernest. — Cui Schütz. assentitur.

14. *Etiam.* Schützius hoc verbum expunxit.

15. *Putares esse.* Sic edidi e vestigiis ed. W. quæ habet *putes esse*. Pearcius dedit *putasses*, ut habet Erl. unde factum putat *putas esse;* idque probavit Burm. ad Suet. Cæs. p. 188, a. Sed nulla ratio est quare hoc tempore utatur h. l. Ern.

16. *Contingitur.* Est a Pall. neque divertit Tosanus, aut Pithœan. Sicque etiam editio Victorii. Grut. — Pearcius edidit *conjungitur*. Et sic in edd. pr. omnibus reperi ante Aldum. Sed *contingitur* elegantius est, idque prætuli ob librum Erlens. auctorem. Curt. lib. V, cap. 10, 12, *Dariam cognatione contingens*, et sic sæpius idem. Ernest.

17. *Quod potes præstare.* Obtrudunt nobis MSS passim *potest*, neque ab eo abhorrere possum. Gruter. — *Quod potest præstare.* Ita subauditur *orator:* sed obstant voce. sqq. *quamcumque tu dicis.*

probabilior esse videatur; ut in concionibus et sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate, posse.

XI. (XI.) — Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scævola, ista inter Græcos dici et disceptari solere. Audivi enim summos homines, quum quæstor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Charmadas [1], et Cli-

XI. 1. *Charmadas*. Vulgo pro *Charmadas* legimos *Carneades*, male omnino: hic enim Crassus dicit se quæstorem, *postea* vero Antonius se proconsulem, vidisse *Carneadem*, contra auctoritatem veterum scriptorum. Laertius enim ex Apollodoro scribit *Carneadem* mortuum esse anno U. C. 625. Crassus vero quæstor fuit anno U. C. 643, et Antonius proconsul anno 652. Immo Cicero ipse in Acad. Quæst. dicit Carneadis legationem incidisse in ann. 599. Si igitur Crassus quæstor vidit *Carneadem*, Carneades post legationem vixit annos 44, et si Antonius proconsul eum vidit, vixit annos 53 post legationem: quod verisimile non videtur. Sed ulterius ex ipso Cicerone probaturus sum, neque Crassum, neque Antonium vidisse *Carneadem*. Primo in lib. III, cap. 18, Crassus dicit, « cujus (Carneadis) etsi ego multos auditores cognovi Athenis, etc. » Ex quo loco colligo Crassum non vidisse Carneadem; quia si eum vidisset, non soceri aut Metelli usus esset judicio, sed suo. Porro dicit ibi Crassus Metellum *adolescentem* fuisse, quum audiret *Carneadem affectum ætate*: Metellus vero consul fuit anno 645; ergo non credibile est Carneadem vixisse usque ad quæsturam Crassi, hoc est, pæne ad consulatum Metelli, multo autem minus ad proconsulatum Antonii. Secundo, in lib. II, cap. 37, itemque in hoc ipso loco non de homine quem novit Crassus loquitur, sed dicit « hominem, ut ferebant, etc. » Tertio, ut se habet vulgata lectio, *Carneades Carneadis* auditor fuit, quo quid ineptius? His rationibus adductos vulgatam lectionem rejicio. Cur autem *Charmadas* reposui paucis sciat lector. 1° Cant. habet *Carmeades*, Bod. *Carniadas*, quæ vox, si punctum literæ *i* tollas, est *Carmadas*; MSS vero Joan. et Harl. 1 habent *Charmadas* in h. l. et tribus seq. de quibus mox dicturus sum. 2° In Orat. cap. 16, quum dicitur: « Scitum est enim, quod Carneades dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem eodem etiam modo dicere »; nonnulli, quos vidi MSS, habent ibi *Charmadam*, poscente etiam sensu. Patet idem ex lib. II, cap. 88, ubi Jonsio primum notante et Gronovio approbante, pro *Carneadem* jam legimus *Charmadam*, testimonio Plinii et auctoritate MSS. 3° Sextus Empi-

tomachus, et Æschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum[2] illum Carneadem[3] diligentius audierat, hominem omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum. Vigebat auditor[4] Panætii illius tui Mnesarchus; et peripatetici Critolai Diodorus[5]. Multi erant præterea clari[6] in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una pæne voce repelli[7] oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque majorum scientia, ac tantum in judicia et conciunculas, tamquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo, Platoni, cujus tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam[8]: quo in

ricus non semel dicit *Charmadam* vel *Charmidam* Academicum fuisse et Academiæ principem. 4° Idem scriptis mandavit, disputationem quamdam *Charmadæ*, in qua Academicus iste probat rhetoricam non esse artem, et rhetores exagitat; quæ omnia Sexti Empirici testimonia h. l. optime conveniunt. PEARC. — Ernest. et Schütz. Oliv. sequuntur. — *Clitomachus*, philosophus Carthaginiensis; cui nomen fuerat Asdrubal. Carneadis discipulus, et in regenda Academia successor. — *Æschines*, Academicus, Melanthii Rhodii discipulus. — *Metrodorus*, Epicureos, audito Carneade, reliquit.

2. *Ipsum illum*. Sch. *ipse illum*.

3. *Carneadem*. Sic recte legitur ap. Victor. Pearc. Oliv. Male quidam, ut Ernest. *Charmadam*. Sch. cui J. V. L. assentitur.

4. *Vigebat aud*. Schütz. *vigebatque aud*. — *Panætii... Mnesarchus*. De Panætio Rhodio vid. Offic. III, 7; Div. I; Acad. II, 2, 5; N. D. II, 46.

5. *Peripatetici Critolai Diodorus*. Est lectio MSS duorum Pall. et trium Gulielmii, necnon Joann. Maj. et Harl. duorum; testaturque Cicero de Finib. lib. V, cap. 5, *Diodorum* fuisse auditorem *Critolai*. Porro, ea argumenta, quibus probavi *Carneadem* ad quæsturam Crassi non vixisse, satis docebunt ne *Critolaum* quidem in Crassi quæstura viguisse; quod tamen præ se fert vulgata lectio, « et Peripatetici Critolaus et Diodorus ». PEARCIUS. — Quem sequuntur Ern. Schütz.

6. *Clari*. Sic Guelf. 1, 2, 3. Vulgo *præclari*. SCH.

7. *Voce repelli*. Sic MS E. omnes edd. pr. idque restituit Pearcius. Vulgatum *repelli voce* est ab Aldo, qui videtur clausulam versus hexametri vitare voluisse; nec eam vitavit. ERN.

8. *Gorgiam*. Gorgias Platonis dialogus, in quo rationem edocet, qua futiles rhetorum sophistarum argutiæ refellebantur. Tullius sive ex sua, sive ex Crassi sententia non recte censuit

libro in hoc[9] maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus[10] irridendis ipse esse orator summus videbatur. Verbi enim controversia[11] jam diu torquet Græculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis.

Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in jure, aut in judiciis possit, aut apud populum, aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum[12], neque sine legum, morum[13], juris scientia, neque natura hominum incognita, ac moribus[14], in his ipsis rebus satis callide versari, et perite potest. Qui autem hæc cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit[15] de maximarum rerum scientia?

in illo dialogo derideri oratores. Non veram rhetoricam, sed adulterinam tantum, ut cuivis legenti patet, traducit. Neque vero paucos induxit in errorem hic dialogus, ut observavit Quintilian. lib. II, cap. 15: «Plerique, inquit, dum pauca ex Gorgia Platonis a prioribus imperite excerpta legere contenti, neque alia ejus volumina evolvunt, in maximum errorem inciderunt: creduntque eum in hac esse opinione, ut rhetoricam non artem, sed peritiam quamdam gratiæ ac voluptatis existimet, etc.» PROST.

9. *In hoc max. admirab.* Sic omnes edd. ante Aldum, qui delevit *in;* quare in promptu est. Sed melius est quod edidimus, estque et in MS E. In eo paullo ante est, *quo justum*, cui altera manus superscripsit *cujus sit.* ERN.

10. *In oratoribus irridendis.* Pal. sec. et Pith. respuit *in*, et sic alibi loquutum annotavit Gulielmius; nominatim lib. IV ad Attic. ep. 1. GRUTER.

11. *Verbi enim controversia.* Maximo animorum æstu contendunt inter se Græci, quis orator dicendus sit, an ille qui tantum in causis forensibus valeat, an qui de re qualibet ornate possit dicere. PROST.

12. *Omnium rerum publicarum.* In vulgatis duæ postremæ voces male conjunguntur, neque enim necesse est ut is omnes respublicas cognoscat, qui romanam velit cognoscere: necesse est autem, ut publicas res omnes romani imperii sciat, qui de eo administrando dicturus est. PEARC.

13. *Morum.* Schützius dat *moris*, auct. Maprag. et cod. Guelf. 1, 2.

14. *Ac moribus.* Recte, etsi præcessit *morum*, quod reposui fide membranarum omnium, quum prius fuisset *moris*: prius enim signat consuetudinem gentis publicam; istud vero privati cujusque indolem. GRUT.

15. *Quid huic abesse poterit*, etc. Int. nulla deerit scientia earum rerum

Sin oratoris nihil vis esse, nisi composite, ornate, copiose eloqui: quæro, id ipsum qui possit assequi sine ea scientia, quam ei non conceditis[16]? Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest. Quamobrem, si ornate loquutus est, sicut fertur, et mihi videtur, physicus ille Democritus: materies illa fuit physici, de qua dixit; ornatus vero ipse verborum, oratoris putandus est. Et, si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est loquutus, quod ego concedo; si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes, et in dicendo suaves, atque ornati fuerunt: sint hæ res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis; oratio quidem ipsa propria est hujus unius rationis, de qua loquimur et quærimus. Etenim videmus, iisdem de rebus jejune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem philosophiæ non satisfecisse, quod non habuerit[17] hanc dicendi in arte aliena[18] facultatem.

XII. (XII.) Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur? Unum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferant[1] proprium; compositam

quæ maximæ sunt utilitatis maximique momenti.

16. *Quam ei non conceditis.* Sic Ald. Victor. Oliv. et tres codd. Guelf. idque bene defendit Heusingerus. SCH. — Ernest. ex add. pr. *concedis*.

17. *Quod non habuerit.* Referendum est ad unum proximum Chrysippum; etsi idem et ad superiores, qua sensum, pertinet: nec hujus generis exempla alia desunt. Itaque conjectura Walkeri, *habuerint*, quam probat Pearcius, elegans illa quidem est, sed non necessaria. ED.

18. *In arte aliena f.* Sic Gulielm. ex Gallicanis: nam Pall. aut « ex arte alienam f. » quomodo olim editi, aut « in arte alienam f. » GRUT.—Schütz. dat *ex arte* cum Guelf. 2, 3.

XII. 1. *Afferant.* Sic sine hæsita-

orationem, et ornatam, et artificio quodam et expolitione distinctam. Hæc autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum atque ornatissimorum, sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia? Quidquid erit igitur quacumque ex arte, quocumque de genere, id orator [2], si tamquam clientis causam, didicerit, dicet melius et ornatius, quam ille ipse ejus rei inventor atque artifex.

Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas, et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam: fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem; sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quæ isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt, nec tenent. Quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quare [3], nisi qui naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo, quod volet, perficere non poterit. Atqui totus hic locus philosophorum proprius [4]

tione edidi pro *afferunt*, qood est contra latinitatem. Sic in seqoentibus est aliquoties. Librarios decepit compendiaria scriptura, qualis est in MS E. Edd. pr, hic valde fluctuaot. Nam ed. s. l. et a. sic habet: « quod ii q. b. dicunt, propriam compositam orationem...distinctam habent »: quod sequuntur Med. Asc. Lips. Ern.

2. *Id orator, si tamquam*. Edd. pr. *orator, si id*. MS E. *orator id si*. Vulgatum est ab Aldo, idque Ciceronis consuetudini magis consentit. Ern.

3. *Quare, nisi qui*. Olim, *quæ, nisi q*. Lambinus correxit *quare*, bene, ut arbitror. Nam in vulgato infra, *quod volet*, locum non haberet, sed deberet esse *ea dicendo perf. n. p.* vitium ortum est eo, quod in MSS *quare* sæpe scribitur *quæ*, ut infra, cap. 38, in MS E. In edd. pr. fere est *que*. Ernest.

4. *Philosophorum proprius videtur*. Haud aliter olim cusi ac MSS nostri,

videtur; neque orator, me auctore, umquam repugnabit[5] : sed, quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint elaborare; tractationem orationis, quæ sine illa scientia nulla est, sibi assumet : hoc enim est proprium oratoris, quod sæpe jam dixi, oratio gravis, et ornata, et hominum sensibus ac mentibus accommodata.

XIII. (XIII.) Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scævola, totum sit a me[1]. Nam ego, quæ sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis; isti, quæ de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis isti[2] suæ nomine, hos rhetoricos et inscribunt, et appellant. Etenim[3] quum illi in dicendo inciderint loci (quod persæpe evenit), ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum[4], de gentium jure, de æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholæ, sua hæc esse omnia[5] propria; nihil omnino ad ora-

quibus præterea est *atque* pro *atqui*. Vulgata est « Atqui hic locus phil. putatur proprius ». Gaur. — Sch. dedit *putatur proprius*, notatque : Gœrenz. ad Acad. I, cap. 6, existimat utramque lectionem *putatur* et *videtur* ex glossa adhæsisse; locumque sic scribendum esse : « Atque totus hic locus philosophorum proprius » sc. *est*. Verum quia sequitur : « neque orator me auctore umquam repugnabit », præferenda est lectio cod. Bodl. *putatur*. Nam hoc addito significatur, esse quosdam qui *putant*, totum hunc locum philosophorum esse proprium, quorum opinioni negat oratorem umquam repugnaturum. Sch.

5. *Repugnabit*. Negabit proprium esse philosophorum.

XIII. 1. *Totum sit a me*. Id est, meæ causæ faveat, meam causam defendat. Nam ego non mutuor ab illis quæstiones philosophicas : isti rhetoricam nostram esse concedunt.

2. *Artis isti suæ nomine*. Schützius delet *isti*.

3. *Etenim*. Vox illa non h. l. vulgarem sensum habet : valet, ni fallimur, tamquam esset, *at enim*.

4. *De communi civium, de hominum*. Lambinus hic frustra fluctuat : nam *jus commune civium* est publicum; *hominum*, est privatum. Gul.

5. *Omnia*. Schützius delet *omnia*.

torem pertinere. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone[6] disputant, hic cum omni gravitate et jucunditate explicet. Hæc ego cum ipsis philosophis[7] tum Athenis disserebam. Cogebat enim me M. Marcellus[8] hic noster, qui nunc ædilis curulis est, et profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset, ac jam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus.

Jam vero de legibus instituendis[9], de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de jure civili[10] generatim in ordines ætatesque descripto, dicant vel Græci[11], si volunt, Lycurgum, aut Solonem (quamquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius, quam Hyperidem, aut Demosthenem, perfectos jam homines in dicendo, et perpoli-

6. *Tenui quodam exsanguique sermone.* Est a Pal. sec. et chartaceo Memmii libro : nam alii aliquot *et exsangui*, plures *et exiguo*, quomodo vulgata. Gaut.

7. *Cum ipsis phil.* Scribendum est *cum istis*, scil. quos commemoravi. Ern. — Oblitus est Ern. paullo ante dictum, « clamabunt, credo, omnia gymnasia, atque omnes philosophorum scholæ », ut sint universi philosophi rhetoribus et oratoribus oppositi. Servanda igitur lectio *ipsis*.

8. *M. Marcellus.* Ridenda Prustei opinio, qui hic agi putat de constantissimo illo Cæsaris inimico, Ciceronis æquali et familiari, qui quomodo ædilis jam curulis, ante Sullana tempora fugisset? At bene, etc.—J.V. L. dicit eum, de quo h. l. agitur, patrem videri illius cui Cæsar ignovit.

9. *De legibus instituendis.* MS Erl. *tuendis*. Sed vulgatum verum. Est enim sermo de legislatoribus. Ern.

10. *De jure civili.* Sic adidi pro vulgato *civium*, quod ab Aldo est. Ita non opus conjectura Lambini *descriptorum*. Non hic attinebat dicere, cives esse in ordines et ætates descriptos : sed jus esse i. o. e. æ. d. Ordines sunt patriciorum et plebeiorum, senatus, equitum, plebis, item classes in censu : ætates pertinent ad juniores et seniores. *Describere generatim*, est etiam II, 33, sed in alia re. Vid. Cl. in h. v. et supra ad Herenn. I. Ern.

11. *Dicant vel Græci.* Pearcius *vel* delet e MSS duobus. Ego transponendum potius puto sic : « vel dicant Gr. » ita bene respondebit alterum : « vel nostros decemviros anteponant ; etc. » Ern.—*Hyperidem.* Vide Quint.

tos; vel nostros[12] decemviros, qui XII tabulas[13] perscripserunt, quos necesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere[14] et Ser. Galbæ, et socero tuo C. Lælio, quos constat dicendi gloria præstitisse. Nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt[15]; sed oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere.

XIV. (XIV.) Etenim sæpe in iis causis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque sumendum[1]. Quæro enim, num possit aut contra imperatorem, aut pro imperatore dici, sine rei militaris usu, aut sæpe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia; num apud populum de legibus jubendis, aut vetandis; num in senatu de omni reipublicæ genere dici[2] sine summa rerum civilium cognitione, et prudentia; num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos, vel etiam exstinguendos (quod unum in oratore do-

X, 1, 77, XII, 10, 2; Dionys. Hal. p. 434; Plut. in Demosthene.

12. *Vel nostros decemviros.* Sch. dat cum Lambino *vel nostri.*

13. *Qui XII tabulas perscripserunt.* Sublatis regum decretis, et populo per viginti annos nullis legibus astricto, constituti sunt anno Urb. cond. 304 decemviri, qui a Græcis leges peterent, quas acceptas tabulis decem æreis inscripsere. Quum autem in primis legibus aliquid desideraretur, anno sequenti alias duas adjecere tabulas: unde et dictæ sunt leges XII tabularum. Paust.

14. *In hoc genere.* Addidi *in* ex edd. vett. quod et P. Victorius servavit. Ern. — *Et Ser. Galbæ ... C. Lælio.* C. Lælium inter Atticos Romanorum oratores Quintil. numerat, aliquanto plus voluptati dedisse Galbam testatur.

15. *Posuerunt.* Hoc Aldus bene induxit. Superiores vel *deposuerunt*, vel *dispos.* ut fere MSS illud MS Erl. Ern.

XIV. 1. *Atque sumendum*, pro vulg. *et assumendum*, ut recte edidit jam Pearcius. Sic ed. pr. et MS E. estque usitatum Ciceroni pro mutuandum, ut alibi videbimus. Ern. — Schützius servavit *assumendum* cum Guelf. 1, 2.

2 *De omni reip. genere dici.* Dici

minatur), sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quæ de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubitabo[3], quod sentio, dicere. Physica ista ipsa[4], et mathematica, et quæ paullo ante ceterarum artium propria posuisti, scientiæ sunt eorum, qui illa profitentur. Illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem. Neque enim, si Philonem[5] illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat, perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est, architecti potius artificio disertum, quam oratoris, fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, quum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades[6] is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, quum eloquentia vincebat ceteros medicos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinæ facultate utebatur, non eloquentiæ[7]. Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes; illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat,

h. l. parum eleganter repetitur, et sine dubio spurium est. Ern.

3. *Equidem non dubitabo.* Schütz. ex edd. vett. restituit *dubito.*

4. *Physica ista ipsa, et mathematica, et quæ paullo ante cet. art.* Ordinem verborum cum Pearcio hunc feci pro vulgato « ipsa, quæ paullo ante, et mathematica, et ceterarum artium », qui est perturbatus. Ern.

5. *Philonem.* De Philone architecto Plin. N. H. VII, 37. Vide etiam, et de Hermodoro, Turnebi Adv. XI, 2.

6. *Asclepiades.* Patria Prusiensis, primum rhetoricæ, deinde pressus inopia, medicinæ operam dedit. Tantum arti suæ fidebat, ut sponsionem quamdam cum fortuna fecisset, ne medicus crederetur, si unquam invalidus fuisset ipse; et victor suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est. Crasso et Pompeio familiaris, eorum ætate floruit circa annum U. C. 650. Plinius, lib. VII, cap. 37. Prust.

7. *Non eloquentiæ.* Hæc verba Sch. expunxit.

neque[8], si id[9] optime sciat, ignarusque sit faciundæ ac poliendæ orationis, diserte id ipsum posse, de quo sciat[10], dicere.

XV. (xv.) Quamobrem, si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quæcumque res inciderit[1], quæ sit dictione explicanda, prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita posui, quacumque de re, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet: tamen illud tenebo, si, quæ ceteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quæ sint in disceptationibus, atque in usu forensi[2]; tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, quum cognoverit ab iis, qui tenent, quæ sint in quaque re, multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum eæ sunt artes, esse dicturum. Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quæret a C. Mario[3] affini nostro, et, quum

8. *Neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque si quid optime sciat*, etc. Vulgatam lectionem defendit Gœrenzius ad Fin. II, 2: « neque si id (quod nescit) optime sciat ignarusque si sit faciendæ ac poliendæ orationis, etc. » putatque hæc poni pro « quod si vel optime sciat ». Verum hæc ratio mihi duriuscula videtur. Particulam *si* quam V. D. in codd. post *ignarusque* repetitam vidit, ego quoque repeti facile patior. Sch.

9. *Si id.* Schützius *si quid.* Vulgat. defendit Gœr. ad lib. de Finib. II, 2. J. V. L.

10. *De quo sciat.* Schutz. dat *quod sciat.* Heusingerus interpolatum putabat.

XV. 1. *Inciderit . . . sit.* W. *inciderunt . . . sint.* MS E. m. 2. « quacumque de re inciderit, quæ sit dictione explicanda ». Ern.

2. *Atque in usu forensi.* Bene *atque* pro *aut* dedit Pearcius, nam sic in libris est. Etiam Erl. a manu secunda. Sed etiam *aut* interdum copulative dicitur. Ern.

3. *Quæret a C. Mario affini nostro.* Hic ille est Caius Marius, celeberrimus Romanorum imperator, in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus, ut refert Paterculus; quem humili loco natum ad amplissimos reipublicæ magistratus singularis virtus evexit. Apud Sallustium dum loquitur, attis orato-

accepert, ita pronuntiabit, ut ipsi C. Mario pæne hic melius, quam ipse, illa scire[4] videatur. Sin de jure civili; tecum communicabit, teque hominem prudentissimum et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit. Sin quæ[5] res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit; forsitan, si ei sit visum (etsi hæc quidem nosse debet orator), cum Sex.[6] Pompeio, erudito homine in philosophia, communicarit[7]: hoc profecto efficiet, ut, quamcumque rem a quoque cognorit[8], de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit. Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est tributa[9], in naturæ obscurita-

riæ imperitum se dicit; et a Plutarcho reprehenditur, quod literas græcas contempserit. Quas se ideo parvi fecisse in eadem oratione testatur, quia ad virtutem parum profuisse oratoribus visæ sunt.

4. *Quam ipse, illa scire. Illa* recte pro *ille* dedit Pearcius. Sic et MS E.

5. *Sin quæ res. Quæ* dedimus pro *qua*, quod sero inductum est post Aldum et Juntam. Asc. Erl. a m. s. *aliqua*. Ern.

6. *Sex. Pompeio*. Philosopho stoico, geometra, jurisconsulto; vid. Brut. 47; Off. 1, 6.

7. *Communicarit: hoc prof. eff.* Vitiosa est hæc vulgatorum et lectio, et interpunctio, « communicabit. Hoc pr. ef. », qua consequens ab antecedente dirimitur. Ed a. l. et a. Lips. habet *communicarit*, ut MS Erl. Ed: autem Lips. post *communicarit* habet modo colon. Utrumque ergo sequutus sum. Sed conjicio, etiam copulam excidisse ante *forsitan*, quemadmodum est in primo exemplo. Ita totum erit hujusmodi: « sin quæ res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit; et forsitan, si ei sit visum (etsi hæc quidem nosse debet orator), cum Sexto Pompeio, erudito homine in philosophia, communicarit: hoc profecto efficiet, ut, quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit ». Ern. — Gœrenzius in cod. MS invenit: « hoc profecto efficiet, ut quamquam rem a quoque cognoverit ». Quam tamen lectionem cur vulgatæ præferamus nescio. Sch.

8. *A quoque cognorit*. Edd. veteres consensu habent *quoquo*, quod servari poterat, ut *cognoverit* eadem de causa, quod tamen nihil refert: et paullo post omnes *cognorit*. *A quoque* intellige a Pompeio vel alio. Ern.

9. *In tres partes est tributa*. Sic MS Erl. quod vulgato *distributa* jure prætuli. Vid. Clav. Ern.

tem[10], in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores; duo illa relinquamus, idque largiamur[11] inertiæ nostræ: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus: cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit[12], ornare dicendo, si modo erunt ad eum delata, et tradita[13].

XVI. (XVI.) Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiæ, Aratum[1] ornatissimis atque optimis versibus de cælo stellisque dixisse; si de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum[2]

10. *In naturæ obscuritatem*, etc. Sc. physicam, dialecticam, ethicam, vel moralem.

11. *Idque largiamur*. Ernest. dat *atque larg.* vulgatum *idque*, inquit, explicare possum, nec est inelegans; sed libri nostri veteres omnes stant pro *atque*. *Idque* est ab Aldo. Schütz. Ernestum sequitur.

12. *Si quando opus erit*. Lallem. *si quando volet*. Idem *quum erunt* pro *si modo erunt*.

13. *Et tradita*. Pearcius addidit *ei*, quod est etiam in MS Erl. sane sine eo durior est oratio. Sed valde suspicor hæc verba esse glossatoris *delata* interpretantis. Ern. — Schützius cum Oliv. *et ei tradita*.

XVI. 1. *Aratum ornatissimis atque opt. vers.* Nomen Arati est in vulgatis alieno loco: « ornatissimis atque opt. vers. Aratum, etc. » Similiter est mox in Nicandro; nec aliter esse potest. Ern. — Racinius filius dicit nullam fuisse Ciceroni causam Aratum laudandi, nisi quod hujus poetæ opera in latinos versos converterat. Sed quas laudes Aratus a Cicerone accepit, eas repetiit Quintilianus, X, 1, ejusque opera magno in honore Romæ fuisse testatur versus ille Ovidii, Amor. I, 15: « Cum sole et luna semper Aratus erit ». Ab eo Virgilius Maniliusque res nonnullas mutuati sunt. Ejus opera non solum a Cicerone, sed etiam a Germanico, Avieno, et, ut quidam putant, a Statio, in latinum conversa sunt. Ipse natus est circa centesimam et vigesimam quintam olympiadem, patriam habuit Solas, urbem Ciliciæ, æqualisque fuit Theocrito, a quo laudatur in sexta ecloga. Fuit idem Ptolemæo Philadelpho atque Antigono Gonatæ familiaris. De illius operibus, vide Bühlium in ea edit. Arati quam protulit, et ea quæ de Arato scripsit *Delambre* in opere inscripto: *la Biographie universelle*. J. V. L.

2. *Nicandrum Colophonium, poetica*, etc. Grammaticum, poetam et medicum, qui vivebat circa centesimam et sexagesimam olympiadem eodem tempore quo Pergamis regnabat Attalus nomine Galatonices. Ejus supersunt duo poemata unum inscriptum Θηριακά, alterum Ἀλεξιφάρμακα. Inter ea quæ perierunt ootabantur

Colophonium, poetica quadam facultate, non rustica, scripsisse præclare; quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac pæne par; in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat jus suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit.

Namque illud quare, Scævola [3], negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere? Numquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer. Sed, ut solebat C. Lucilius [4] sæpe dicere, homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat [5], familiaris, sed tamen et doctus, et perurbanus : sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quæ sunt libero dignæ, perpolitus; quibus ipsis, si in dicendo non utimur, tamen apparet

Georgica, quæ memorat Athenæus pluribus in locis, et de quibus h. l. agit Cicero. Scripserat quoque Ætoliæ, Colophonis et Bœotiæ historiam, quorum operum mentionem faciunt Athenæus, Macrobius, Stephanus Byzantinus et Suidas. Denique præclare laudatur a Quintiliano, X, 1, quum dicit: « Quid? Nicandrum frustra sequuti Macer atque Virgilius? »

3. *Namque illud quare, Scævola.* Tosani liber a Suffrido excussus : « Nam quod illud Q. Scævola », forsan rectius. Gaut.

4. *Ut solebat C. Lucilius... dicere ... sic sentio.* An vero Lucilius hoc dicere solitus est, quod Cicero dicit? Immo, quod Lucilius de poetis dixit, id Cicero de oratoribus dicendum judicat. An excidit *de poetis*, aut ex eo factum est *sæpe?* Nam id quidem redundat. Ern. — Lucilius, poeta satiricus. De quo adi Horatium et Quintilianum passim, sed præsertim lib. IX, cap. 1, 94.

5. *Quam volebat.* Immo, *quam volebam*, sc. propter ingenium hominis et gravitatem. Ern. — Schützius correctionem Ernesti in textum intulit.

atque exstat, utrum simus earum rudes, an didicerimus. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palæstræ, sed indicat ipse motus, didicerintne palæstram, an nesciant; et qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere, an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis judiciorum, concionum, senatus, etiamsi proprie ceteræ non adhibentur artes[6], tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere jactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.

XVII. (XVII.) — Tum ridens Scævola: Non luctabor, inquit, tecum, Crasse, amplius. Id enim ipsum, quod contra me loqnutus es, artificio quodam es consequutus, ut et mihi, quæ ego vellem, non esse oratoris, concederes; et ea ipsa nescio quomodo rursus detorqueres, atque oratori propria traderes. Hæc, quum ego prætor[1] Rhodum venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinæ Apollonio, ea, quæ a Panætio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam, atque contempsit, multaque non tam graviter dixit, quam facete. Tua autem fuit oratio

6. *Etiamsi proprie ceteræ non adhibentur artes. Proprie* pro *propriæ* sine hæsitatione reponendum, etiam sine libris, dudum vidi, et miratus sum in eo non adhæsisse viros doctos. Post in ed. W. et a. l. et a. Lips. et MS Erl. reperi. Sic supra confusa *industrie* et *industriæ*. Sed eadem fiducia rescripsi *adhibentur* pro vulgato *adhibeantur*: nam et ante est, «etsi t. p. n. utuntur». Ern. — Schützius Ernestum in hac ultima correctione reprehendit.

XVII. 1. *Hæc, quum ego prætor Rhodum venissem, et cum summo.* Memmii duo MSS, item Pall. et Pithœanus *quæ quum ego*, etc. quod non damnem. Ern. — Construe, Quum ego prætor venissem Rhodum, ibique hæc quæ tu dixisti, et ea quæ a Panætio audieram, cum Apollonio contulissem. Rhodum venerat Scævola anno U. C. 631. De rhetore Apollonio vid. de Invent. I, 55; Brut. 89, 91. Vide etiam Quintilianum, III, 1, 16, XII, 6, 7.

ejusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras oratoris esse diceres. Quas ego, si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas facultatem[2] istam ornatissimæ orationis adjunxerit; non possum dicere, eum non egregium quemdam hominem atque admirandum fore : sed is, si qui esset[3], aut si etiam umquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto; qui et meo judicio, et omnium, vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. Verum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, quin scias, neque eam tamen scientiam[4], quam adjungis oratori, complexus es; videamus[5], ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat.

— Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea, sed de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus, aut scire potuimus, qui ante ad agendum, quam ad cognoscendum venimus; quos in foro, quos in ambitione, quos in republica, quos in amicorum negotiis, res ipsa ante confecit[6], quam possemus aliquid de rebus tantis suspicari? Quod si tibi tantum

2. *Ad eas facultatem istam ornatissimæ orationis. Facultatem*, recte e MSS et add. Manut. restituit Pearcius: idque habet et W. Miror non vidisse dudum homines, esse vitium operarum in add. Pro *ornatissimæ orationis* Lambinus volebat *ornandæ* : speciose; sed *facultas ornatæ or.* sic dicitur, ut facultas nummorum, pecuniæ, etc. Vid. Cl. Ern.

3. *Sed is, si qui esset, aut si etiam umquam fuisset.* Sic dedimus e vestigiis ed. W. quæ habet *is, qui esset* : sine dubio pro *si qui esset*, idque elegantius est, quam *si quis esset*. Nam et aliæ princ. ed. s. l. et 2. Med. *sed si qui*. Et non video, quare *is* deleri non possit. Ern.

4. *Eam tamen scientiam*. Scilicet universam.

5. *Videamus, ne plus ei tribuas, quam res et veritas*, etc. Fortasse, « vide ne plus ei tribuas, quam res et veritas, etc. » Sch.

6. *Res ipsa ante confecit, quam possemus.* Videtur sic dici, ut cap. 21, « obruimur foro et ambitione, antequam ad discendum ingressi sumus ». *Confecit* est, debilitavit ad discendi laborem. Ern.

in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe, et otium, et hercule etiam studium illud discendi[7] acerrimum defuit : quid censes, si ad alicujus ingenium vel majus illa, quæ ego non attigi, accesserint? qualem illum oratorem, et quantum futurum[8]?

XVIII. (XVIII.) — Tum Antonius : Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quæ dicis; nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit. Sed primum id difficile est factu, præsertim in hac nostra vita, nostrisque occupationibus; deinde illud etiam verendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione, et consuetudine dicendi populari, et forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paullo ante dixisti, quamvis illi ornate et graviter, aut de natura rerum, aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est verborum et lætum, sed[1] palæstræ magis et olei[2], quam hujus civilis turbæ ac fori. Namque egomet, qui sero, ac leviter græcas literas attigissem, tamen quum proconsule[3] in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem[4] commoratus :

7. *Studium illud discendi acerrimum*. Sic plerique e Palatinis; neque secus libri quos evolvit Suffridus noster, quomodo dudum conjecerat Hotomannus. GAUT.

8. *Qualem illum oratorem, et quantum futurum*. Sic Schützius dedit cum Guelf. 1, 2. Vulgo : « qualem illum et quantum oratorem futurum ».

XVIII. 1. *Sed palæstræ*. Pearcius dedit *et palestræ*, non male. Sic et MS Erl. Sed et vulgatum intelligi apte ad hunc locum potest : id est, sed nimis nitet, et artem sapit, adeoque magis accommodatum est auribus doctis et elegantibus, quam populi.

2. *Et olei*. Schützius dat *et otii* cum MS Dresd.

3. *Proconsule*. *Proconsul* habent omnes edd. pr. Aldi quoque, et MS Erl. ERN. — Fuerat consul Antonius anno U. C. 654.

4. *Propter navigandi difficultatem commoratus*. Tusani liber *facultatem*, quod temerarium videri non debet. ERN.

sed, quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quumque hoc, nescio quomodo, apud eos increbruisset, me in causis majoribus, sicuti te, solere versari, pro se quisque ut poterat[5], de officio et ratione oratoris disputabat. Horum alii, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios, lingua celeri et exercitata; oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem; atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quamdam esse virtutem, et, qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse[6] inter se æquales et pares; ita, qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere, atque esse sapientem. Sed hæc erat spinosa quædam et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. Charmadas[7] vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur: non quo aperiret sententiam suam; hic enim mos erat patrius Academiæ, adversari semper omnibus in disputando; sed quum maxime[8] tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi præcepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.

5. *Pro se quisque ut poterat, de officio.* Editio vetustior, « pro se quæ quisque poterat », neque aliter Pall. priores: nam tert. et Memm « pro se quisque poterat », sine *ut*. Quart. quintus, etc. « pro se quisque eorum, quantum quisque poterat ». Gulielmius putabat sufficere « pro se quisque de officio, etc. » omissis intermediis. GRUTER. — *Sicut ipse iste Mnesarchus.* Panætii discipulus, de quo jam supra dictum est.

6. *Easque esse inter se.* Vulgati « easque ipsas a. l. s. », quod habent ab Aldo, qui primus addidit; abestque et a MS nostro. ERN.

7. *Charmadas.* Aliæ editt. habent *Carneades.*

8. *Quum maxime.* Sic corrigendum esse pro *tum maxime*, ut est in vulgg. semper putavi. Ecce sic reperi in MS Erl. Accipio autem non in significatione temporis, sed pro « in primis, potissimum ». Vid. Clav. ERN.

XIX. (XIX.) Disputabant contra diserti homines, Athenienses, et in republica causisque versati, in quibus erat etiam is, qui nuper Romæ fuit, Menedemus, hospes meus; qui quum diceret esse quamdam prudentiam[1], quæ versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum[2] rerum publicarum, excitabatur[3] homo promptus ab homine abundanti doctrina, et quadam incredibili varietate rerum et copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiæ petendas esse a philosophia dicebat[4], neque ea, quæ statuerentur in republica de diis immortalibus, de disciplina juventutis, de justitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse, aut bene moratæ esse non possent, usquam in eorum inveniri libellis[5]. Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur, quærebat, cur de prooemiis, et de epilogis, et de hujusmodi nugis (sic enim appel-

XIX. 1. *Esse quamdam prudentiam.* Intell. *naturalem*, quæ sine philosophia acquiri possit, perspectis rationibus rerum, etc.

2. *Regendarum rerum publ.* Legit *augendarum* Gulielmius, sed præter MSS. Gaut.

3. *Excitabatur.* Hotomannus, Observ. lib. II, cap. 6, conjiciebat *excipiebatur*, quod arripuit Lambinus. Fortasse *exagitabatur*, inquit Gulielmius; sed non opus erat aliquid mutare. Gaut. — Pearcius et ipse nihil mutandum censuit; nam, inquit, sensus est : homo abundans doctrina (Charmadas nempe philosophus), ita respondebat iis, quæ dixerat Menedemus (homo promptus, utpote disertus orator), ut Menedemum excitaret, et ad suam opinionem defendendam acueret. Schützius conjecturam Gulielmii in textum intulit. — Quem philosophum Charmadam multi fecisse videtur Cicero, ut colligas ex aliis locis in quibus a Nostro laudatur : lib. V de Finibus; Academ. lib. II; cap. 6, et alibi.

4. *Dicebat.* Quum semper sic legendum esse pro vulgato *docebat* credidissem, ecce sic in edd. pr. esse deprehendi, *docebat* esse ab Aldo. Vide infra hoc ipso cap. Habet tamen MS E. *docebat.* Ern. — *Dicebat*, sc. Charmadas.

5. *Usquam in eorum inveniri libellis.* Per contemptum ita dicuntur rhetorum scripta infra cap. 23, neque aliter Palat. pr. sec. Memmiani, Pelusanus. Vulgati prius « in eorum libris ». Gr. — Schütz. corrigit, « usquam nisi in eorum libris inveniri », nulla admota auctoritate.

labat) referti essent eorum libri; de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de æquitate, de justitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum[6] libris nulla inveniretur. Ipsa vero præcepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modò eos illius expertes esse prudentiæ, quam sibi adsciscerent, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis[7], apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur; id fieri vitæ dignitate, de qua nihil rhetorici[8] isti doctores in præceptis suis reliquissent; et uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator; quod item[9] fieri nullo modo posse, nisi cognosceret is, qui diceret, quot modis hominum mentes, et quibus rebus, et quo genere orationis in quamque partem moverentur; hæc autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita; quæ[10] isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. Ea Menedemus exemplis magis, quam argumentis, conabatur refellere[11]; memoriter enim multa ex orationibus Demosthenis[12] præclare scripta pronuntians,

6. *In eorum libris.* Apertum fere glossema: certe si resecetur, nihil defuerit sententiæ. Gaut.

7. *Ut et ipsis, apud quos.* Arbitratur aliquid deesse Gulielmius, aut certe legendum « et ut ipsis ». Gaut. — *Ut et ipsis*, etc. Hoc præceptum constituit Aristoteles in primo libro Rhetoricorum.

8. *De qua nihil rhetorici isti doctores.* Schützius delet verba *rhetorici doctores*, ut temere e præcedentibus repetita.

9. *Quod item.* Ed. W. Lips. habet *idem*, quod ex aliis reposuit Pearcius. Si *item* accipimus *pariter*, sensus etiam melior est, quam si *idem* verum est.

10. *Quæ isti rhetor.* Walkerus V. D. conjecit *quam*; bene, ut puto; et id contextus facile docet. Ernest. — Schützius et Lallem. Walkeri conject. recepere.

11. *Conabatur refellere.* Schützius cum Guelf. 1 dedit « refellere conabatur ».

12. *Ex orationibus Demosthenis.* Pith. liber *Demostheni*, ut et infra lib. II, cap. 23, « filium fuisse Demostheni », antique ut et alicubi *Pericli* pro *Periclis*. Gaut.

docebat[13], illum in animis vel judicum, vel populi, in omnem partem dicendo permovendis, non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur; quæ negaret ille[14] sine philosophia quemquam scire posse.

XX. (xx.) Huic ille respondebat[1], non se[2] negare, Demosthenem summam prudentiam, summamque vim habuisse dicendi : sed sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset; non, quid ille potuisset, sed quid isti docerent, esse quærendum. Sæpe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino disputaret, nullam artem esse dicendi : idque quum argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut et blandiri[3], et suppliciter insinuare iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus, et rem gestam exponere, et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere, et ad extremum deprecari aliquid, et conqueri; quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas; et quod consuetudo, exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret, et eloquendi celeritatem incitaret : tum etiam exemplorum copia nitebatur. Nam primum, quasi dedita

13. *Docebat, illum in animis vel judicum, vel populi.* Sic ut supra Ernest. rescribit *dicebat.* Sic, inquit, ed. a. l. et a. et sic correxerat in exemplo ed. W. manus docta. Ern. — Quem Sch. sequutus est.

14. *Ille.* Int. de ipso Menedemo. Ern.

XX. 1. *Huic ille respondebat, non se negare, Demosthenem*, etc. Int. Charmadas. Sed id *ille* non est in edd. posterioribus, nam in textu Aldino sive exciderat, forte propter viciniam alterius *ille*, sive auctore MSS deletum erat. Nam et a MS E. abest. Ern.

2. *Non se negare.* MS E. « non negasse ». Ern.

3. *Ut et blandiri, et suppliciter insinuare iis, a quibus.* Sic nulli MSS, præter fere Palat. pr. in quo tamen *subtiliter*, quod et in uno Memmiano, nisi quod ibi *insinuari;* at alter « et suppliciter et subtiliter his a quo quid esset petendum ». Pith. habet « et suppliciter quibus », omissis aliis, quomodo item pæne Pall. ceteri, in quibus « ut et blandiri suppliciter iis a quibus esset petendum », quod et in editione principe : neque displicet nimis. Grut.

opera, neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, quum repeteret usque a Corace[4], nescio quo, et Tisia, quos artis illius inventores et principes fuisse constaret; eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent, nec omnino scire curassent[5], innumerabiles quosdam nominabat: in quibus etiam (sive ille irridens, sive quod ita putaret, atque ita audisset), me in illo numero[6], qui illa non didicissem, et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum illi alterum facile assentiebar, nihil me didicisse; in altero autem me illudi ab eo, aut etiam ipsum errare arbitrabar. Artem vero negabat esse ullam, nisi quæ cognitis, penitusque perspectis, et in unum exitum spectantibus, et numquam fallentibus rebus contineretur. Hæc autem omnia, quæ tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta; quum et dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa, aut certe obscura opinio. Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi, qui illa, quæ a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur, cognosset, aut callide aut copiose dicere. In quibus dicere Charmadas[7] solebat, ingenium tuum, Crasse,

4. *Carace ... Tisia.* De his duobus rhetoribus, nec non ceteris qui post hos in Græcia floruerunt, vide c. 58, *Voyage d'Anacharsis.* — De ipsa Antonii disputatione vide Quint. II, 17. Coracem et Tisiam idem, II, 1, 8, nominat inter eos qui primi de arte dicendi tradiderunt.

5. *Scire curassent.* Vulgo *scisse*, ex Aldina: superiores omnes, etiam Lips. *scire.* Bene ergo restituit Pearcius: sed male *putasset* dedit pro *putaret*: refertur enim ad illud tempus, quo ista dixit. Ern. — Schützius dat *scisse* cum edd. vett. et cod. Guelf. 1.

6. *In illo numero.* His in verbis est ταυτολογία, nam idem est, « in quibus etiam »: sed post parenthesin nihil vitii habet. Ern. — Schützius hæc verba expunxit, ut glossatori debita.

7. *In quibus dicere Charmadas.* Sic edidi ex ed. s. l. et a. Med. quæ cuique

vehementer admirans[8], me sibi perfacilem in audiendo[9], te perpugnacem in disputando esse visum.

XXI. Tumque[1] ego, hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito[2] excidit, et pervenit in manus hominum, disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem: quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute, atque dilucide, apud mediocres homines, ex communi quadam opinione[3], dicere; eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quæ vellet, omnesque omnium rerum, quæ ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad discendum[4] ingressi sumus, obrui-

est perspicua lectio. In vulgata *quibus d. s.* frustra conjecturis fatigaront se ingenia doctorum, ot Lamb. et Hot. Pearcii: vitiosom qoidem esse et sioe sensu, in eo consensere. Ab ed. W. plane abest *quibus dicere*. Ern. — Lambioos edidit *quibus adjicere*, qood est conjectaneum Hotomanni; Golielmius malebat « e quibos dicere », scilicet copiose et callide dicentibus. Gaut.

8. *Admirans.* Omnes edd. pr. habent *admirari*, ut MS E. Ern.

9. *Perfacilem in audiendo.* Nam quom rudem artiom omnium se diceret Antonius, non erat cur de artibus eum bominiboa doctissimis æque pugnaoter atque Crassus, qui se molta didicisse fatebatur, contenderet. Str. — De Crassi eruditiooe vide Quiotiliaoom, XI, 2, 50. De eodem sæpe aliis locis Fabius agit.

XXI. 1. *Tumque. Que* abest ab edd. pr. MS E. *itaque;* sed id est in verbis « hac opinioos addoctus ». Ern. — Sch. tamen dedit *itaque* cum Gu. 1.

2. *Me imprudente et invito.* M. Antonios « idcirco se aiebat nullam orationem scripsisse, ut, si qoid superiore judicio actum, ei, quem postea defensorus esset, nociturum foret, non dictom a se affirmare posset ». Valer. Maximus, lib. VIII, cap. 3. Praust.

3. *Apud mediocres homines, ex communi q. opinione.* Vertit gallicus ioterpres: « pour satisfaire le commun des hommes, et mériter les suffrages de ces esprits vulgaires ». Sed verba quæ sequootor, « ex communi opinione », opponuntur istis, « omnes omnium rerum footes, etc. » ideoqoe significant, ni fallimor, ea tantum adhibeodo argumenta, qoæ communia sensus cuilibet ioerudito suppeditare potest.

4. *Ante, quam ad discendum.* Ita legendum indicavit Hotomannoa, Observ. lib. II, cap. 6, confirmatque Pal. tert. quartos, forte et seqoentes; sed non liboit olterius consolere, quum haberem testimooium doorom. Gaut.

mur ambitione et foro; sit tamen in re positum atque natura[5]. Ego enim, quantum auguror conjectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero, fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi majore ac maturiore, et labore atque industria superiore, quum se ad audiendum, legendum, scribendumque dediderit[6], exsistat talis orator, qualem quærimus; qui jure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit: qui tamen, mea sententia, aut hic est jam Crassus, aut, si quis pari fuerit ingenio, pluraque quam hic, et audierit, et lectitarit, et scripserit, paullum huic aliquid poterit addere.

(xxi.) — Hoc loco Sulpicius, Insperanti mihi, inquit, et Cottæ, sed valde optanti utrique nostrum, cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus jucundum satis fore videbatur, si, quum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus; ut vero penitus in eam ipsam totius hujus vel studii, vel artificii, vel facultatis disputationem pæne intimam veniretis, vix optandum nobis videbatur. Ego enim, qui ab ineunte ætate incensus essem studio utriusque vestrum, Crassi vero etiam amore, quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo numquam elicere potui de vi ac ratione dicendi[7], quum et per memet ipsum egissem, et per

5. *Sit... natura.* Sic et Cic. in Bruto, et Quint. in Inst. Orat. perfectam aliquam oratoriæ facultatis imaginem sibi proposuerunt. — *Aliquando.* De se ipso id ex Antonii persona videtur Cicero prædicere. Vid. Laharpe, *Cours de Littérature*, tom. II.

6. *Scribendumque dediderit.* Sic Pal. pr. etiam sec. sed is *dederit*, quod et in Gallicanis: vulgata amplius « scribendumque majore opera dediderit » superflue. Grut.

7. *De vi ac ratione dicendi.* Malim cum Gulielmio legere « de via, ac ra-

Drusum sæpe tentassem : quo in genere tu, Antoni (vere loquar), numquam mihi percunctanti, aut quærenti aliquid, defuisti, et persæpe me, quæ soleres in dicendo observare, docuisti. Nunc quoniam uterque vestrum patefecit earum rerum ipsarum aditum, quas quærimus, et quoniam princeps Crassus ejus sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea, quæ sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini. Quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palæstræ, et Tusculano tuo gratiam, et longe Academiæ illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.

XXII. — Tum ille, Immo vero[1], inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui et potest facere id, quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. Nam me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis refugisse, et tibi cupienti atque instanti sæpissime negasse, ut tute paullo ante dixisti. Quod ego non superbia, neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, præsertim quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum, aptumque cognossem, sed mehercule istius disputationis insolentia, atque earum rerum, quæ quasi in arte traduntur[2], inscitia.

tione » : facillime ultima litera vocis *via* a sequentis voce *ac* prima litera absorberi potuit. Manutius olim edidit *via*, et sic Cicero sæpissime. Lib. I, cap. 25 : « Non rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse ». Lib. III, cap. 36 : « Ancipites vias, rationesque disputandi ». Facile plura exempla proferri possunt. Pearc.

XXII. 1. *Immo vero.* Ed. s. l. et a. Med. et Asc. *enimvero* : illud verum. Post in textu a Pearcio addita *id*, post *facere*, *fateor*, post *quidem*, et *ut* ante *tute*, quæ nos omnia consentientia libris antiquis reperimus, atque secuti sumus. Ern.

2. *Atque earum rerum, quæ quasi in arte traduntur.* Alii, ut Ernestus, dant « traduntur in arte ». *In arte* vitiose absunt ab ed. s. l. et a., Mediol. Asc. ab ed. Lips. abest *in*. Ern. — Pal. pr. *traderentur*, sec. *tradentur*. Verum alteri Memmiano abest *in arte*, recte. Nam tradere artis verbum est, ut liquet ex cap. 28, infra item libro II, cap. 2, initio. Grut.

—Tum Cotta, Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assequuti sumus : de reliquo jam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quæ percunctati erimus, explicaris, dimiserimus.—De his credo, rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus[3] scribi solet, QUIBUS SCIAM, POTEROQUE.— Tum ille, Namque[4] quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire aut posse postulet? (XXII.) — Jam vero,

3. *In cretionibus.* Quum in aliis libris MSS reperissem scriptum, *certionibus*, in aliis *Crassi orationibus*, in aliis *certioribus*, ego *erctionibus* reposui, præsertim quum meminissem jam pridem ita a Fr. Duareno esse emendatum. Est autem *eretio*, ut ducet Ulpianus, titul. 22; Isid. V; Varro, de Ling. Lat. V, 13 : ad Attic. 4 $\frac{1}{2}$, certorum dierum spatium, quod datur heredi ad deliberandum, utrum expediat adire hereditatem, necne; veluti : « Titius heres esto, cernitoque hereditatem in diebus centum proximis, quibus sciorit, poteritque; nisi ita creverit, exheres esto ». LAMB. — Est autem *cernere*, non modo constituere se heredem esse (ut Varro, 6, L. Lat. VI, explicat), verum etiam legitima eretionis verba dicere, hunc in modum : « Quum me Mænius heredem instituerit, eam hereditatem cerno ». Adeoque Ulp. 32, *eretio* duplex : *vulgaris*, in qua adjiciebantur hæc verba *quibus sciam, poteroque; continua*, in qua non adjiciebantur. Ulp. tit. 23. Unde his verbis, « quibus sciam poteroque », tempus bonorum possess. admittendæ utile, nec continuum ostenditur l. 2, ff. « Quis ordo in bonorum possess. » GOTH. — Vera lectio fuit, *conditionibus*. Quid enim ad eretiones formula hæc : « de iis rebus quibus sciam, poteroque? » Quæ ipsa in conditionibus aptissima est. Et verbum *conditio*, etiam juridicum est; quod indicat caput illud juris de Conditionibus et demonstrationibus. Et lectionem priorem, quam Lambinus ejecit, tuetur verbum *conditionis*, quo mox utitur Crassus : « Jam vero, inquit, ista conditione, dum mihi liceat negare posse, quod non potero, et fateri nescire, quod nesciam, licet vestro arbitratu percontemini ». Et sane quæ huc affert Lambinus de eretionibus hereditatum, scilicet heredi cernendam esse hereditatem in diebus centum proximis, quibus scierit poteritque, non valde huc pertinent. Neque enim, postquam sciverit quis cernendam esse hereditatem, amplius datur temporis, possit, necne possit. Præterea non idem est *scire* in herede, at *scire* in Crasso. Nam in herede *scire* est *rescire*, certiorem fieri : at hic Crassus : « de iis rebus, inquit, quibus sciam poteroque »; id est, de iis, quæ ego intelligam. ANON. —Ern. reperit *erectionibus* in MS Erl. J. V. L. testatur esse *crecionibus* (sic) in MSS regiis 7704, 7706, 7753. Pal. tert. quart. sext. sept. *eritionibus*, Pith. *certionibus*, teste Grutero.

4. *Namque quod.* Schutz. dat *nam quod* cum cod. Guelf. 1.

ista conditione, dum mihi liceat negare posse, quod non potero, et fateri nescire, quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitratu percunctemini.

—Atque, inquit Sulpicius[5], hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quærimus : existimesne artem aliquam esse dicendi ?

—Quid? mihi nunc vos, inquit Crassus, tamquam alicui Græculo otioso et loquaci, et fortasse docto atque erudito, quæstiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse, aut cogitasse arbitramini, et non semper irrisisse potius eorum hominum impudentiam, qui quum in schola assedissent, ex magna hominum frequentia dicere juberent[6], si quis quid quæreret? Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam : qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea vero vulgo hoc facere cœperunt, hodieque faciunt, ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa[7], neque tam nova, de qua se non omnia, quæ dici possunt, profiteantur esse dicturos. Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, adduxissem huc Græcum aliquem, qui vos[8] istiusmodi disputationibus delectaret : quod ne

5. *Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit.* Vetus editio, « Atqui, inquit Sulp. hoc ostendi quod modo Ant. » quod et in nonnullis MSS, sed variante litera, *ostende*, meliores : tamen Pall. habent tantum, « Atqui, inquit, hoc ostende quomodo »; neque aliter Memmii liber, nam Suffredi nostri codd. « Atqui, inquit Sulpicius, hoc primum extende quod modo », forsan non male, hactenus; dum deinde expungamus, « quid sentias quærimus ».

6. *Juberent.* Alii MSS *auderent.* — *Leontinum... Gorgiam.* De re cf. Quint. II, 21, 21 : idem multa de Gorgia Leontino passim. Qui discipulus Empedoclis fuit; clarissimumque auditorem habuit Isocratem.

7. *Neque tam improvisa.* Hæc absunt a Lallem.

8. *Vos.* Bene hoc revocavit Pearcius e multis codd. Nam Lamb. Car. Steph. alii *nos.* Sch.

nunc quidem difficile factu est[9]. Est enim apud M. Pisonem, adolescentem jam huic studio deditum, summo hominem ingenio, nostrique cupidissimum, peripateticus Staseas[10], homo nobis sane familiaris, et, ut inter homines peritos constare video, in illo suo genere omnium princeps.

XXIII. (XXIII.) — Quem tu, inquit, mihi[1], Mucius, Staseam, quem peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse : qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem sine usu, neque ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo, atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis, et in hoc domicilio imperii et gloriæ, sit consilio linguaque princeps, cujus vestigia persequi[2] cupiunt, ejus sententiam sciscitantur. Equidem te quum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi numquam eloquentiæ majorem tribui laudem, quam humanitatis : qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentis ingenii adolescentes[3] cupiunt accedere.

— Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scævola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. Nam si

9. *Ne nunc quidem diffic. factu est.* Schützius : « ne nunc quidem est difficile factu ».

10. *Staseas.* Neapolitanus, de quo vid. Fin. V, 3, 25.

XXIII. 1. *Quem tu, inquit, mihi.* Schützius dat : « quem tu mihi, inquit ».

2. *Persequi.* Vict. *qui persequi.*

3. *Excellentis ingenii adolescentes.* Pal. pr. sec. Pith. Memmii duo : « excellentes ingeniis ad. » Gaut.

ars ita definitur[4], ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejunctis, scientiaque comprehensis; non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera hujus forensis nostræ dictionis. Sin autem ea[5], quæ observata sunt in usu ac ratione[6] dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt (id quod fieri potuisse video) : non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed sive est ars, sive artis quædam similitudo, non est quidem ea[7] negligenda; verum intelligendum est, alia quædam ad consequendam eloquentiam esse majora.

XXIV. (XXIV.)—Tum Antonius vehementer se assentire Crasso[1] dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quæ putas ad dicendum plus, quam ipsam artem posse prodesse.

— Dicam equidem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis : quam-

4. *Nam si ars ita definitur. . . ex rebus*. Schützius dat : « nam si ars definitur ... rebus ».

5. *Sin autem ea, quæ*. Schützius delet *ea*.

6. *Ac ratione dicendi*. Schutzius dat : « ac tractatione dic. » ex codd. Guelf. 1, 2, 3.

7. *Non est quidem ea negl*. Schütz. dat cum ed. Omnib. et Lamb « non est ea quidem negligenda; verum intelligendum est ».

XXIV. 1. *Se assentire Crasso*. Gulielmius ita reposuit ex Pith. et duobus Memmianis, eratque item in Pal. pr. sec. non *assentiri*. GRUTERUS. — *Efferatis*. Id est, in publicum proferatis, vulgetis.

quam moderabor ipse, ne, ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero, atque ex forensi usu homo mediocris, neque omnino rudis, videar, non ipse aliquid a me prompsisse [2], sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. Equidem, quum peterem magistratum [3], solebam in prensando [4] dimittere a me Scævolam, quum ei ita dicerem, me velle esse ineptum : id erat petere blandius [5]; quod nisi inepte

2. *Aliquid a me prompsisse.* Annon et qui sponte, et qui inviti loquuntur, omnia *a se promunt?* an vero *a se promere* significat sponte promere? Hæc significatio præpositionis *a* cum verbo *promo* nullibi mihi occurrit. Vide igitur, lector, annon editio Ven. et MSS Norf. Mag. Mead. Harl. 1, Cant. Bal. Wag. Nov. et Joan. vetustissimus suggerant verissimam lectionem *promisisse :* quibus si fides adhibenda sit, sic locum refingas : « non ipse aliquid de me promisisse ». Literæ *e* et *a* in MSS sæpe confunduntur, et litera *d* vocis *de* facile absorberi potuit a litera postrema præcedentis vocis *aliquid*. Eodem modo loquitur Horatius, lib. I, Sat. 4 : « ut si quid promittere de me Possum aliud vere, promitto ». Porro hæc lectio optime quadrat iis, quæ supra dicta sunt : innuit enim Crassus se nolle imitari Græcos, quos in præcedenti capite arguit impudentiæ, quod nulla erat res de qua non se omnia, quæ dici possent, profiterentur esse dicturos; id est, promittebant se omnibus quæstiunculis responsuros esse. Crassus igitur istis græcis magistris, atque artificibus dicendi opponit se, quem vocat « unum e togatorum numero, atque ex forensi usu hominem ». Ut illi, inquit Crassus, artifices sunt, et magistri dicendi, ego vero tantum, quantum mihi opus est, didici; sic illi de se omnia promittunt, ego vero numquam sponte, numquam nisi fortuito, in hujusmodi disputationes venio. PEARC. — Contra Ernestos, *prompsisse* eleganter est, inquit, pro : non mea sponte aliquid a me excogitatum et præparatum protulisse; argutatur h. l. Pearcius. Vitiose veteres quidam *promisisse*, ut Erl. Schützius tamen dedit *a me promisisse*.

3. *Magistratum.* Sic pro *magistratus* edidi, quia sic est in edd. pr. consentit MS Erl. Int. magistratum aliquem : nam alias parum aut nil interest. ERN.

4. *Solebam in prensando dimittere a me Scævolam*, etc. Id paullo fusius explicat Valerius Maximus, lib. IV, cap. 5 : « Consulatum petens L. Crassus, quum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, numquam adduci potuit, ut id præsente Q. Scævola, gravissimo et sapientissimo viro, socero suo, faceret. Itaque rogabat eum, ut a se, dum inceptæ rei deserviret, discederet : majorem verecundiam dignitatis ejus, quam candidæ togæ suæ respectum agens ». PRUST.

5. *Id erat petere blandius*, etc. Voces has duodecim uncis circumsæpiit Gulielmius, tamquam librariorum, et poterant abesse. GUT. — Int. *id*, sc. *esse ineptum* erat suffragia populi suppliciter petere.

fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse unum hominem ex omnibus[6], quo præsente ego ineptus esse minime vellem[7] : quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, quum ipsum dicere[8] numquam sit non ineptum, nisi quum est necessarium?

— Perge vero, Crasse, inquit Mucius. Istam enim culpam, quam vereris, ego præstabo.

XXV. (xxv.) — Sic igitur, inquit Crassus[1], sentio, naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam; neque vero istis, de quibus paullo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum ornandumque sint uberes, et ad memoriam firmi atque diuturni. Et si quis est, qui hæc putet arte accipi posse, quod falsum est (præclare enim se res habeat, si hæc accendi, aut commoveri arte possint : inseri quidem, et donari ab arte non possunt omnia[2]; sunt

6. *Hunc autem esse unum hominem ex omnibus.* Schützius dat : « hunc autem semper judicavi esse hominem unum ex omnibus, quo præsente, etc. », quam lectionem in cod. MS se reperisse testatur Arntzenius ad Mamert. Panegyr. cap. 2.

7. *Quo præsente ego ineptus esse minime vellem.* Schützius dat cum cod. Guelf. 1 : « quo præsente ego ineptum esse me minime vellem : quem quidem, etc. »

8. *Quum ipsum dicere numquam sit non ineptum, nisi*, etc. Delevi *id* ante *ipsum* : nam nulla ed. ante Aldum habet, et sensus melior est. Abest etiam a MS E. Ern.

XXV. 1. *Sic igitur, inquit Crassus, sentio.* Hæc est vera lectio, non « censeo, inquit Crassus », quod vulgati habent : reperiturque in edd. vett. omnibus, etiam MS E. Non intelligo, cur mutatum sit. Et est sermo de judicio rerum ad artem pertinentium, cui *censeo* non aptum : ordinem etiam veterum verborum restitui. Ern.

2. *Omnia; sunt enim illa dona naturæ.* Pearcius distingui vult ante *omnia*, ut ed. W. sed collocatio est paullo durior. Malim deleri *omnia;* nam quocumque loco ponas, aliquid difficultatis nascitur accurate sensum quærenti. Ern. — Schützius hæc

enim illa dona naturæ): quid de illis dicet[3], quæ certe cum ipso homine nascuntur? linguæ solutio, vocis sonus, latera, vires[4], conformatio quædam et figura totius oris et corporis? Neque hæc ita dico, ut ars aliquid limare non possit[5] (neque enim ignoro, et quæ bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quæ non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse): sed sunt quidam aut ita lingua hæsitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu, motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles, ita naturæ muneribus ornati[6], ut non nati[7], sed ab aliquo deo ficti esse videantur. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere, atque profiteri, se esse, omnibus

verba « om. sunt en. ll. d. n. » delevit, quæ jam Grutero suspecta fuerant: verba quæ vulgo hic adducuntur, « omnia sunt enim illa dona naturæ », a nobis expuncta, defendit Gœrenzius, quod nihil iis insit, quod hanc violentiam delendi excuset. At enim nihil inest, quod non multo elegantius ex antecedentibus et proxime consequentibus intelligatur. Itaque in iis glossam potius interpretis supervacuam, quam Ciceronis presse loquentis elegantiam hic agnoscas. Sch.

3. *Quid de illis dicet.* Pall. plures editioque princeps *dicam*, non male. Grut.

4. *Latera, vires, conformatio quædam et figura*, etc. Hanc lectionem late olim defendi. Vid. Cl. in *latus*. Adde infra cap. 57, « lacertis viribusque ». MS E. inepte, « latera, aures ». Ern.

5. *Neque hæc ita dico, ut ars aliquid limare non possit.* De hac re Horat. Art. Poet. v. 407: « Natura fieret laudabile carmen, an arte, Quæsitum est; ego nec studium sine divite vena, Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic Altera poscit opem res, et conjurat amice ». Vide et Quint. Inst. lib. II, c. 19, qui quidem Quintilianus continuo cum Nostro conferendus est.

6. *Sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles, ita naturæ muneribus ornati*, etc. Hic ordo verborum est in edd. pr. et MS E. quem et res desiderat et concinnitas. Itaque bene restituit Pearcius. Vulgo « Ita nat. mun. in i. r. h. ita ornati »; estque ab Aldo. Ern.

7. *Ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse vid.* Sentire mihi videor, hic aliquid deesse, et ad sensum, et ad concinnitatem. Arbitror excidisse *ad dicendum*. Tum vero *ficti* non satis placet in hac sententia. Credo Ciceronem scripsisse *facti*. *Natus* et *factus* sic conjungi apud Ciceronem et alios solent. MS E. habet *electi*. Ern.

silentibus, unum maximis de rebus, magno in conventu hominum, audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente, quam recta videat : ita, quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda sunt, obruit. Neque hæc in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videt[8], C. Cœlio, æquali meo, magno honori fuisse, homini novo[9], illam ipsam, quamcumque assequi potuerit[10], in dicendo mediocritatem? quis vestrum æqualem[11], Q. Varium, vastum hominem atque fœdum, non intelligit, illa ipsa facultate, quamcumque habet, magnam esse in civitate gratiam consequutum?

XXVI. (xxvi.) Sed quia de oratore quærimus, fingendus est nobis oratione nostra, detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude cumulatus[1]. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum, si hæc turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosis-

8. *Videt* recte dedit Pearcius; nam et mox *intelligit* est in eadem forma orationis, et sic est in MS E. a manu prima, secunda fecit *videat*. Ern. — De Cœlio Caldo vid. Brut. cap. 45, et de Vario Hybrida, Brut. cap. 62, 89.

9. *Homini novo*. Credo transpositum hoc esse, et post *æquali meo* ponendum. Ern.

10. *Potuerit*. Sch. *potuit*.

11. *Quis vestrum æqualem, Q. Varium, vastum*, etc. Lapsi sunt plerique librarii et editt. MSS tamen Bod. Harl. 2, et Manutius veram lectionem retinent; delent enim vocem *meum*, quæ vulgo legitur post *æqualem*. Et Car. Stephanus vocem *meum* testatur a quibusdam veteribus libris abesse. Veram autem hanc lectionem voco, quia Q. Varius non fuit æqualis Crassi, sed Cottæ et Sulpicii, ut patet ex libro de Cl. oratoribus, c. 49 : « æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius, etc. » Porro si rejiciatur *meum*, non inelegans est antithesis : Crassus enim duo exempla profert, C. Cœlium æqualem suum, et Q. Varium Cottæ ac Sulpicii æqualem. Pearc. — Sequitur Pearc. Ernestus addens, Nec *quis vestrum* dixisset Cicero, sed tantum *quis* ut ante.

XXVI. 1. *Cumulatus*. Idem Pearc. recte sic edidit, pro vulg. *cumulandus*: sic ed. s. l. et a. Med. Asc. A. Lips. Junt. et sic bene respondet « detractis omnibus vitiis, orator, atque omni laude, etc. » Ern.

simis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quærimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quæritur necessaria, sed animi libera quædam oblectatio, quam diligenter, et quam prope fastidiose judicamus? Nullæ enim lites, neque controversiæ sunt, quæ cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est; sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat judicare. Ac, si quæritis, plane, quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui[2], et tacendum putavi. Mihi etiam, quique optime[3] dicunt, quique id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt, et in exordienda oratione[4] perturbantur, pæne impudentes videntur: tametsi id[5] accidere non potest. Ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem, variosque eventus orationis, exspectationemque[6] hominum pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commovetur[7] in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo,

2. *Semper tacui, et tac. put.* Schützius dat: « et tacui, et tac. put. » quod suasit Gœrenzius ad Academ. lib. II, cap. 8.

3. *Quique optime.* Schützius « qui quam optime ». Unus Gœrenzii codex quem laudat ad Fin. V, 31, habet simpliciter « mihi etiam qui optime dicunt »; quod quidem verius esse viro doctissimo facile concedo. Sch.

4. *In exordienda oratione perturbantur.* Sic edd. vett. pro vulgo *ordienda oratione*, at sic edidit jam Pearcius. Ern.

5. *Tametsi id accidere non potest.* Manutius exhibet: « statim id nec accidere non potest ». Atque hanc lectionem sequutus videtur gallicus interpres, qui vertit, *et c'est ce qui ne peut manquer d'arriver*, quamquam in texto latino unam tantum negationem editor servavit.

6. *Exspectationemque hominum.* Sch. « hominumque exspectationem » cum Guelf. 2, 3.

7. *Etiamsi commovetur.* Edd. vv. et ceteræ ante Aldum, *commoveatur*, non male. Ern.

sed non faciendo id, quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. Quem vero non pudet (id quod in plerisque video), hunc ego non reprehensione solum, sed etiam pœna dignum puto. Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso[8] sæpissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi, et tota mente, atque omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum ac debilitatum metu[9] viderit.

(XXVII). Hic omnes assensi, significare inter sese[10], et colloqui cœperunt. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset[11] ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

XXVII. — Tum Antonius, Sæpe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te, et ceteros summos oratores, quamquam tibi par, mea sententia, nemo umquam fuit, in dicendi exordio permoveri. Cujus quidem rei quum causam quærerem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset[1], ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas:

8. *In me ipso*. Non bene Pearcius conjecit *ipse*: est enim in oppositione « in vobis animadvertere soleo, et in me ipso sæpissime experior »; et sic libri omnes. Ern.

9. *Debilitatum metu viderit*. Pighius legit ex MSS *vidit*, estque melius altero. Gdt.

10. *Assensi, significare inter sese*. Pearcius edidit *assensum sign*. Mihi vulgatum exquisitius videtur. *Significare* simpliciter est, signa dare annuendo, arridendo, etc. Sic *significatio* dicitur Sext. 49. Ern.

11. *Non modo non obesset*. Palat. pr. ac sec. item Pith. non agnoscunt illud *non modo*. Memmiani vero alterum *non* respuunt; et vero utraque lectio habet quo se defendat; videaturque *non modo* adjectum a librariis. Gdt.

XXVII. 1. *Ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret*, etc. Videatur aliquid deesse. Sed sic Cicero et alibi, ut II, 77: « ut in quoque patronorum minimum esse putant ». Ern. — Subaudi *facultatis*.

unam, quod intelligerent ii, quos usus ac natura docuisset, nonnumquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere[2]; ita non injuria, quotiescumque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere. Altera est hæc, de qua queri sæpe soleo : ceterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valitudine impediti non potuisse consequi, id quod scirent, putantur : Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut, crudior fuit : oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiæ peccatum videtur. Stultitia autem excusationem non habet : quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit, aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius judicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis judicatur : et, qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cujus[3] autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut æterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

XXVIII. (XXVIII.) Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quæ orator nisi a natura haberet, non multum a magistro adjuvaretur : valde tibi assentior, inque eo vel maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui, quum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque; et ad quam quemque[1] artem

2. *Eventum dicendi procedere*. Gulielmius putabat sine exitio sententiæ exterminari posse « eventum dicendi », et verum est. GRUT. — Non satis fidelis nobis videtur versio gallica, *que le succès n'est pas toujours proportionné aux efforts*. Voces *ex sententia* valent, ni fallimur, « secundum exspectationem ac votum oratoris, secundum opinionem quam de eventu causæ habebat ».

3. *Cujus autem*. *Autem* abest a Guelf. 2, 3. SCH.

XXVIII. 1. *Ad quam quemque ar-*

putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. Satis est enim ceteris artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis[2]; et id, quod tradatur, vel etiam inculcetur, si quis forte sit tardior, posse percipere animo, et memoria custodire. Non quæritur mobilitas linguæ, non celeritas verborum, non denique ea, quæ nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiæ philosophorum, verba prope poetarum, memoria jurisconsultorum, vox tragœdorum, gestus pæne summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Quæ enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea, nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.

— Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui et levi, quanto plus adhibeatur diligentiæ, quam in hac re, quam constat esse maximam. Sæpe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem : non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset. Nihil est enim[3] tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. Itaque ut ad hanc similitudinem

tem. Sic edd. s. l. et a. Med. Asc. Lips. pro *quamcumque*. Recte recepit Pearcius, qui et ipse in aliquot edd. pr. reperit. Ern. — *Quamcumque* Pall. posteriores. Priores enim *quamque*. P. Manutius maluit, « ad quam quemque artem », quomodo et antiquissima editio; sed minus placet. Gaut.

2. *Artificiis percipiendis, tantummodo similem esse hominis.* Aliquid habere humani. Intellige de ingenio, de facultatibus.

3. *Nihil est enim... offenderis.* Int. nihil enim difficilius effugit oculos nostros, nihil memoriæ nostræ tenacius adhæret, quam vitium semel a nobis perspectum.

hujus histrionis oratoriam laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat? nihil nisi ita, ut deceat, et uti omnes moveat atque delectet? Itaque hoc jamdiu est consequutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter: mihi enim volo ignosci, ceteris ipse non ignosco. Nam qui non potest, qui vitiose facit, quem denique non decet, hunc (ut Apollonius jubebat) ad id, quod facere possit, detrudendum puto.

XXIX. (XXIX.) — Num tu igitur, inquit Sulpicius, me, aut hunc Cottam, jus civile, aut rem militarem jubes discere? Nam quis ad ista summa, atque in omni genere perfecta, potest pervenire?

—Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quamdam ac præclaram indolem ad dicendum esse cognovi, idcirco hæc exposui omnia; nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam; et quamquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen hæc, quæ sunt in specie posita [1], de quibus plura fortasse dixi, quam solent Græci dicere, in te, Sulpici, divina sunt. Ego enim neminem, nec motu corporis, neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem, aut suaviorem mihi videor audisse; quæ quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quæ habent, modice et scienter utantur [2], et ut ne dedeceat. Id enim est maxime vitandum, et de

XXIX. 1. *In specie posita.* Intellige dotes corporis naturales quas infra memorat.

2. *Modice et scienter utantur. Modice* non est, quod vulgo; nam id per se intelligitur in iis, qui mediocria

hoc uno minime est facile præcipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias[3] his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio; quem sæpe audio dicere, caput esse artis, decere: quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. Sed, si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur.

— Minime vero, inquit Cotta: nunc enim te jam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, quidquid est istud, quod tu in dicendo potes. Neque enim sumus nimis avidi: ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, idque ex te quærimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assequutus es), quoniam, quæ a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid præterea esse assumendum putes.

XXX. (xxx.) — Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium, et ardorem quemdam amoris? sine quo quum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos; quos, quum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. Sed profecto studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. Quare, quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacumque est, facultate quæritis, exponam vobis quamdam, non aut perreconditam, aut

habent dona naturæ: sed ratione, s. modo et ratione, ut Cicero dicere solet, ad legem certam. Ern.

3. *Paterfamilias.* Videlicet non ex arte, et recondita aliqua doctrina, sicuti professor solet, sed ex communi sensu, sicuti paterfamilias ab hoc artificio r motus cum liberis loqui possit.

valde difficilem, aut magnificam, aut gravem rationem consuetudinis meæ, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat.

—Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque precibus umquam, nec insidiando, nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex ejus scriptore et lectore Diphilo suspicari liceret; id spero nos esse adeptos, omniaque jam ex ipso, quæ diu cupimus, cognituros.

XXXI. (XXXI.)—Tum Crassus, Atqui arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam te hæc admiraturum, quæ dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam, cur cuperes, non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. Nam principio illud, quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo me ista omnium communia et contrita præcepta didicisse: primum, oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate; deinde, esse omnem orationem aut de infinitæ rei quæstione, sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata. In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quæri solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. Exsistere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie[1], aut ita, ut

— *Quoniam retines nos in hoc studio, nec ad*, etc. Alludit ad ea quæ supra dicta sunt in fine cap. 28, et initio cap. 29.

XXXI. 1. *Contrarie.* Quum scripti quædam partes inter se contrariæ videntur, vel quum sensus, ut dicimus, cum litera pugnat. De quibus omni-

a sententia scriptum dissideat : his autem omnibus partibus subjecta quædam esse argumenta propria. Sed causarum, quæ sint a communi quæstione sejunctæ[2], partim in judiciis versari, partim in deliberationibus; esse etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur; certosque esse locos, quibus in judiciis uteremur, in quibus æquitas quæreretur[3]; alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur. Quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque componere[4]; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria sepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate : etiam illa cognoram, et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent; deinde rem demonstrandam; postea controversiam constituendam; tum id, quod nos intenderemus, confirmandum; post, quæ contra dicerentur, refellenda; extrema autem oratione, ea, quæ pro nobis essent, amplificanda et augenda; quæque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

XXXII. (XXXII.) Audieram etiam, quæ de orationis ipsius ornamentis traderentur : in qua præcipitur pri-

bus vide, si placet, Rhetoricorum libros, et eum qui inscribitur Partitiones Oratoriæ.

2. *Sejunctæ.* Eas dicit causas, quæ communes non sunt; ut supra dixit « in infinitæ rei quæstione, sine designatione personarum et temporum ».

3. *In quibus æquitas quæreretur.* Pro vulgato *quæritur*, recte sic edidit Pearcius : nam id ordo et ratio scribendi postulat, etsi omnes libri vulgatum habent. Sic et alibi faciendum erat. Ern.

4. *Dispensare atque componere.*

mum, ut pure et latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore : singularumque rerum præcepta cognoram. Quin etiam, quæ maxime propria essent naturæ, tamen his ipsis artem adhibere[1] videram : nam de actione et de memoria quædam brevia, sed magna cum exercitatione præcepta[2] gustaram.

In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur, quam ego si nihil dicam adjuvare, mentiar. Habet enim quædam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat, et quo intuens, ab eo, quodcumque sibi proposuerit, minus aberret. Verum ego hanc vim intelligo esse in præceptis omnibus, non ut ea sequuti oratores, eloquentiæ laudem sint adepti, sed, quæ sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse, atque id egisse[3]; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum : quod tamen, ut ante dixi, non ejicio; est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. Et exercitatio quædam[4] suscipienda vobis est :

Sic Pall. omnes et primitus cusi. Vulgati exinde *disponere*. Gaut.

XXXII. 1. *Adhibere*. Ern. Schütz. Lallem. *adhiberi*.

2. *Magna cum exercitatione præcepta*. Pearcius addi voluit *percepta*. Non bene; nec assequutus est sensum loci : non per longam exercitationem præcepta a Cicerone percepta erant; immo gustaverat tantum; sed præcepta, quæ gustarat, conjuncta fuerant cum magna exercitatione. Ern.

3. *Atque id egisse*. Frigidum esse videtur. Credo Ciceronem dedisse : « ad artemque redegisse ». Hoc tota sententia et res desiderat. Cf. c. 41, extr. Ern. — Schützius dat ex emendatione sua *atque digessisse*. Vulgatam interpret. atque hanc artem ita ex his observationibus finxisse.

4. *Et exercitatio quædam*. Non dubitavi scribere *et* pro *ea*, ut jam Strebæus et Gulielmius voluere; non enim de exercitatione dictum erat : sed quid præceptis accedere deberet, explicare volebat. Ern. — Pall. omnes nil variant in lectione « ea exerc. quædam », nisi quod unus indicet alias legi *quidem*. Lambinus excudit *præterea exerc. quædam*. P. Manutius publicavit « ejus exercitat. quædam ». Gaut.

quamquam vos quidem jampridem estis in cursu; sed, iis[5], qui ingrediuntur in stadium, quique[6] ea, quæ agenda sunt in foro, tamquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra prædiscere ac meditari.

— Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus: attamen ista, quæ abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus[7], quamquam sunt nobis quoque non inaudita. Verum illa mox: nunc, de ipsa exercitatione quid sentias, quærimus.

XXXIII. (xxxiii.) — Equidem probo ista, Crassus inquit, quæ vos facere soletis, ut, causa aliqua posita consimili causarum earum, quæ in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate. Sed plerique in hoc vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguæ celeritatem incitant, verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere, homines, perverse dicendo, facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito sæpe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. Caput autem est, quod, ut vere dicam[1], minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus), quam plurimum scribere.

5. *Sed, iis, qui ingrediuntur in stadium.* Ern. dat *ii* pro *iis*, quia, inquit, nullum verbum est, unde *iis* pendeat: sed *ii* vel *hi* refertur ad *possunt*. Et sic habent edd. pr. MS E. Sch. autem et J. V. L. Ernestum in hac correctione merito reprehendunt: nam *iis* referendum ad «suscipienda est». — *In stadium.* Haud aliter Lambini liber scriptus, si non fallit: nam sane Pall. omnes «ingred. ad studium». Grut.

6. *Quique ea.* Int. ingrediuntur, nisi quid excidit. Ern. — Non equidem puto; construe: «qui possunt prædiscere etiamnunc exercitatione quasi ludicra ea quæ agenda sunt in foro».

7. *Audire cupimus.* Subaudi: copiosius tractata.

XXXIII. 1. *Quod, ut vere dicam.*

Stylus[2] optimus et præstantissimus dicendi effector ac magister : neque injuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit; hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim[3], sive artis sunt loci, sive ingenii cujusdam atque prudentiæ, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, anquirentibus nobis, omnique acie[4] ingenii contemplantibus ostendunt se et occurrunt; omnesque sententiæ, verbaque omnia, quæ sunt cujusque generis maxime illustria, sub acumen styli subeant et succedant necesse est; tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam oratorio numero et modo. Hæc sunt, quæ clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur; et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio, quum remiges inhibuerunt[5], retinet tamen ipsa navis mo-

Memmii liber alter *verum*, quod præposuerim priori scripturæ. GRUT. — In ed. Ernesti abest *quod*, sine dubio operarum vitio.

2. *Stylus*. Proprie significat graphium, hoc est, acum ferream, qua Romani veteres, quum in obductia cera tabulis scriberent, utebantur ad formandas in cera literas. Hic stylus metaphorice sumitur pro exercitatione scribendi frequenter et per otium. — Hoc Tollii præceptum habet Quintilianus, lib. X, cap. 3. Recurrit etiam libro tertio de Oratore, cap. 49.

3. *Omnes enim, sive artis sunt l.* Sic interpungendum : *omnes* enim, sc. loci, refertur ad « ostendunt se e. o. » Pro *sunt* MS E. *sint*, non male.

4. *Acie*. In edd. pr. est *arte*, male. ERN.

5. *Quum remiges inhibuerunt*. Lambin. notavit legendum *sustinuerunt*. Lamb. lectionem probo, causasque,

tum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum : sic in oratione perpetua, quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata.

XXXIV. In quotidianis autem cogitationibus[1] equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis, pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quæ maxime cujusque rei propria, quæque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut

quas ille omisit, insuper affero. Cicero hos oratorios libros prius, quam Academicas Quæstiones scripsit : ex libro autem XIII, Ep. ad Att. Ep. 21, colligere possumus ipsum in istis Acad. libris, qui nunc desunt, monitu Attici scripsisse *inhibere remos* pro *sustinere* : postea vero observatis nautarum formulis, jubet Atticum legere *sustinere*. Dicit enim : « inhibitio remigum motum habet, et vehementiorem quidem, remigationis navim convertentis ad puppim ». Quod igitur de illo in Acad. Quæst. loco Cicero dicit, de hoc ipso loco, quem expendimus, dicendum est : hic enim requiritur ea vox, quæ significet cursum navis esse tardatum. Ipsius igitur Ciceronis monitu vox *sustinuerant* recipienda est. Pearc. — Sed ex ipso hoc epistolæ ad Atticum contextu colligitur Ciceronem, quo tempore dialogos de Oratore scripsit, nondum hoc verborum discrimen notavisse; quippe dialogi scripti fuere anno 698, epistola vero illa ad Att. anno 708. Forsan putabat Pearcius a Cicerone aliquid hoc in loco correctum et immutatum fuisse : et sane alias occurrunt loca ab ipso auctore emendata. J. V. L.

XXXIV. 1. *Cogitationibus equidem mihi adolescentulus proponere*. P. Manutius corrigebat *commentationibus*, Pearcius *exercitationibus*, quod in ed. Lips. est. Sed *cogitatio* esse potest *commentatio*. Sic cap. superiori conjunguntur pro synonymis *cogitatio* et *commentatio*. Ergo res ad libros redit. Edd. pr. habent vitiose *concitationibus*. Aldus et Junta edidere vulgatum, nescio unde. At scriptura MS E. tamen videtur legenda *commentationibus* ; immo vix aliter legi potest, certe nulli ceterarum lectionum convenit. Ern. — Lamb. dedit *concertationibus*, Schutzius *commentationibus*, quod latere dicit in lectione codd. Guelf. 2, 3, *concitationibus*.

Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem. Ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum græcas orationes explicarem[2]. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quæ legerem græce, latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova nostris essent, dummodo essent idonea. (XXXIV.) Jam vocis, et spiritus, et totius corporis, et ipsius linguæ motus et exercitationes, non tam artis indigent, quam laboris; quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem[3], quæ in arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et

2. *Explicarem.* Vertit gallicus interpres, *traduire :* fideliter, ni fallimur. Non enim exercitatio, de qua agitur, in ea fuit, ut aperto libro græco adolescens latine declamaret ea quæ græce legerat : nec similis erat hæc exercitatio Carbonis exercitationi. Nonnulli hoc uti voluerunt, ut probarent versionem illam Demosthenis Æschinisque, cujus nunc fragmenta supersunt, ab adolescente Cicerone factam esse. Ceterum de Carbone vid. Brut. cap. 27.

3. *In ea exercitatione non sane ... istam loc. simulacrorumque rationem.* Memoria artificialis, de qua consulendus lib. III ad Herennium, cap. 21. Maxime in eo continetur, ut loca et imagines quædam animo informentur, quibus velut imponantur et inhæreant ea, quorum volumus meminisse. Loca sunt, verbi gratia, domus aliqua, ubi limen, cubicula, fenestræ, etc. Imagines, aliæ sunt hominum et ferarum, aliæ rerum anima et motu carentium, ut arborum, lapidum, etc. Quæ imagines certo inter se ordine collocatæ res ipsis affixas facilius exhibent. Vide Fabium, l. XI, cap. 2. Paust.

umbratili medium in agmen[4], in pulverem, in clamorem, in castra, atque in aciem forensem. Subeundus usus omnium, et periclitandæ vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. Legendi etiam poetæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores[5] et legendi, et pervolutandi, et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, et, quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum atque dicendum[6]. Perdiscendum jus civile, cognoscendæ leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina reipublicæ, jura sociorum, fœdera, pactiones, causa imperii cognoscenda est. Libandus[7] etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos; quo, tamquam sale, perspergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quæ sentiebam, quæ fortasse, quemcumque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percunctantibus respondisset.

XXXV. (xxxv.) Hæc quum Crassus dixisset, silentium est consequutum. Sed quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum vide-

4. *Medium in agmen.* Hæsi aliquando in hoc verbo, cogitavique *solem;* quod *sol* et *pulvis* solent in hac sententia jungi. Sed *agmen* est sensu militari accipiendum, de exercitu iter faciente belli causa: nam etiam milites in umbratili exercitatione discunt incedere more militari. Ern.

5. *Ac doctores.* Sch. dat « atque doctores ».

6. *Eliciendum atque dicendum. Perdiscendum jus.* Pal. sext. et oct. « atque discendum jus », tert. quint. sept. « eliciendum atque perdiscendum jus ». Pal. pr. et sec. item Pith. et Memm. non migrant a vulgato, quam quod præferunt *eligendum.* Grut. — Schütz. delet « atque dicendum », auctoritate Guelf. 1, 2, Ox. a. a.

7. *Libandus etiam ex.* Hanc lectionem amplectuntur Pall. numero octo; unus solum habuit *liberandus*, quod Lambinus invenit in quatuor MSS. Grut. — Lallem. dat « Libandus est etiam ».

batur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum. — Tum Scævola, Quid est, Cotta, inquit, quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod præterea a Crasso requiratis? — Immo id[1] mehercule, inquit, ipsum attendo. Tantus enim cursus verborum fuit, et sic evolavit oratio[2], ut ejus vim atque incitationem adspexerim, vestigia ingressumque vix viderim; et tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venirem[3], non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis[4]: sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta ejus ingenii per quædam involucra atque integumenta perspexi; sed ea quum contemplari cuperem, vix adspiciendi potestas fuit. Ita neque hoc possum dicere, me omnino ignorare, quid possideat, neque plane nosse, ac vidisse[5]. — Quin tu igitur facis idem, inquit Scævola, quod faceres, si in aliquam domum[6], plenam ornamentorum, villamve venisses? Si ea seposita, ut dicis, essent, tu valde[7] spectandi cupidus

XXXV. 1. *Immo id.* Schütz delet *immo*, aucturitate codd. Guelf. 1, 2, 3. Nec agnoscit Nonius.

2. *Et sic evolavit oratio.* Si recta est lectio, intellige: avolavit, prætervolavit: quod est verbum in hac sententia usitatum. In ceteris distinctio vulgaris est vitiosa. Interpunxi igitur paullo post sic: « rebus constructis ac reconditis: sic modo, etc. »

3. *Venirem.* Schütz. dat *venerim*, cum Guelf. 1, 2, 3.

4. *Constructis ac reconditis.* Reposuit Lambinus *restructis*, libris, ut inquit, omnibus reclamantibus, veritate ipsa flagitante, a quo seorsim sentio una cum Gulielmio. Grut.

5. *Nosse, ac vidisse.* Pith. Memm. Pal. pr. *invidisse*, probo: dicta enim *invidia*, quod nimia accurate quid intueatur, etc. Gulielmius tamen putabat primitus fuisse *introvidisse*. Grut.

6. *Domum, plenam ornamentorum, villamve.* Sic edidi ex ed. W. Id expressit, sed paullulum mutatum ed. s. l. et a. « vel in villam ». quod et ed. Lips. habet. Aldus dedit *illam*, ut ad domum referretur: quod sane bene latinum est. Ern. — Gruterus dat *villamque*. Est, inquit, a Pal. pr. nam editio prima « vel villam », sequentes *illam*, sed male. Omnes enim scripti *ullam* aut *villam*.

7. *Tu valde.* Delevi *que* cum ed. W.

esses; non dubitares rogare dominum, ut proferri juberet, præsertim si esses familiaris. Similiter nunc petes a Crasso, ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco, quasi per transennam[8] pretereuntes strictim adspeximus, in lucem proferat, et suo quidque in loco[9] collocet. — Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scævola (me enim, et hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gravissimo, qui genus hujusmodi disputationis semper contempserit, hæc, quæ isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere) : sed tu hoc nobis[10] da, Scævola, et perfice, ut Crassus hæc, quæ coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet. (XXXVI.) — Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea; neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere ejus in causis oratione delector : nunc vero, Crasse, mea quoque etiam causa rogo, ut quoniam tantum habemus otii, quantum jamdiu nobis non contingit[11], ne graveris exædificare id opus[12], quod instituisti. Formam enim

quod melius est. MS E. « tu, qui valde ». Mox, « si esses familiaris », scilicet ei cujus illa domus, vel villa, pro *esset*, ex ed. W. et aliis script. et edd. Tum *petes* pro *petis*, ex ed. W. A. Item MS E. Non enim refertur ad *facis*. Ed. s. l. et a. Med. Lips. habet *petas*. Confusionem peperit vitiosa interpunctio. Ern.

8. *Per transennam*. Per cancellos fenestris oppositos, visui tamen pervios. Metaphora ducta est a mercatoribus, qui mercibus pretiosis, quas a prætereuntibus nolunt contrectari, tales cancellos objiciunt. Itaque per transennam accipere, idem est, quod nec propius, nec sigillatim intueri.

9. *Suo quidque in loco*. *In* addidimus ex edd. vett. et ceteris plurimis, quibus MS E. consentit. Ern.

10. *Sed tu hoc nobis*, etc. Pal. pr. ac sec. item Memm. et Pith. « sed tu hanc nobis veniam, Scævola, perfice, etc. » neque displicet, sic et supra cap. 1 : « date nobis hanc veniam, ut ea quæ sentitis ». Gaut.

11. *Non contingit*. Schütz. Lallem. « non contigit ».

12. *Exædificare id opus*. Gruterus omittit *id* cum Pall. duobus prioribus et Gallicanis, qui habent etiam *exædificari*.

totius negotii opinione majorem melioremque video; quam vehementer probo.

XXXVI. — Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te hæc, Scævola, desiderare, quæ neque teneo, ut ii, qui docent; neque sunt ejus generis, ut, si optime tenerem, digna essent ista sapientia ac tuis auribus. — Ain' tu? inquit ille[1]. Si de istis communibus et pervagatis[2] vix huic ætati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quæ tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes et incitarentur et reprimerentur[3], de historia, de antiquitate, de administratione reipublicæ, denique de nostro ipso[4] jure civili? Hanc enim ego omnem[5] scientiam, et copiam rerum, in tua prudentia sciebam inesse; in oratoris vero instrumento tam lantam supellectilem numquam videram. (XXXVII.) — Potes igitur, inquit Crassus (ut alia omittam innumerabilia et immensa, et ad ipsum[6] tuum jus civile veniam), oratores putare eos, quos multas horas[7] exspectavit, quum in campum pro-

XXXVI. *Ain' tu? inquit ille.* Sic Pearcius e MSS duobus dedit, recte. Hanc lectionem desiderat *etiamne*, in quo *ne* ineptum esset, si verum esset *an tu*, quod vulgatum est: Item *possumus*, quod eo referri non potest.

2. *Et pervagatis* præceptis, quæ rhetores omnes usurpaverunt.

3. *De naturis hominum.....incitarentur et reprimerentur.* Pro « istis omnibus » solum est in Mammiano et Palat. pr. ac sec. « de naturis; quomodo hominum mentes incitarentur et reprimerentur ». Et forsan cetera sunt a librariis. GAUT. — Schützius dat cum ed. Omnib. « incitantur et reprimuntur ».

4. *De nostro ipso.* Sch. « de i. n. »

5. *Hanc enim ego omnem.* Sic fere Pall. at enim Memm. « hanc ego an omnem, etc. » forte, « hanc ego ante omnem », inquit Gulielmius: est in Pal. octavo: « hanc enim ego meam omnem; etc. » GAUT.

6. *Ut alia omittam innumerabilia... et ad ipsum.* Ita duo Pall. primi et unus Memmianus: nam alter et Pith. « ut ad ipsum ». Recepta lectio, « ut alia omittam quæ innumerabilia...et ut ad ipsum ». GAUT.

7. *Eos, quos multas horas.* Locus hic est difficilis, etiam varietate librorum, et vix sanus satis. Edd. pr. habent *expectavi* et *properarem*, cui repugnat nomen *Scævola.* Quid porro *expectavit?* an *toleravit?* « quod », aut

peraret, et ridens et stomachans Scævola[8], quum Hypsæus[9] maxima voce, plurimis verbis, a M. Crasso prætore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere liceret[10], Cn. autem Octavius, homo consu-

simile quid, desiderat sententia. Cetera sunt faciliora. Sunt exempla hominum imperitorum juris civilis, qui per inscitiam a prætore peterent ea, per quæ clientes sui causa caderent necessario: estque locus facetissimus. Res explicatur paullo post. Ern. — *Quos exspectavit* est, puto, « quibus se detineri passus est ». De causa vide infra notas Prustei Pearciique, quorum posterior, rem non facile bis Ciceronis verbis intelligendam explanare conatus est. Hypsæus ergo quum peteret plus quam deberetur, ideoque a prætore repellendus erat, tum ab aliquo forsan monitus, per ignorantiam juris perseverabat; quæ maxima est patroni stultitia.

8. *Scævola*. Non ille Q. Scævola augur, Crassi socer, quo præsente Crassus hic disserit, sed alter Q. Scævola, pontifex, jurisconsultus peritissimus, et tum, quum hoc judicium disceptaretur tribunus erat plebis, anno scilicet Urb. cond. 649. Prust.

9. *Hypsæus*. Causam integram accipe. Ibat Scævola pontifex in campum Martium ad comitia; iter illi per forum fuit; in eo reperit oratores duos inter se litigantes, et graviter ignoratione juris civilis peccantes. Horum uni nomen Hypsæus erat, alteri Cn. Octavius, qui consulatum gesserat anno Urb. cond. 626. Hypsæus accusabat aliquem tutorem, quod pupilli fortunas male administrasset. Hoc « judicium tutelæ » appellatur. Octavius tutorem defendebat. Judex hujus controversiæ M. Crassus, qui tum prætor urbanus erat, nempe anno Urb. cond. 648. Qui judicio tutelæ damnabatur, cogebatur pupillo, cujus rebus male consuluisset, pecuniam solvere, ac damnum resarcire; deinde lege duodecim tabularum jubebatur aliquid ultra pendere, mulctæ nomine. Quod si pupillus, aut ejus patronus plus ab eo peteret, quam deberetur, cadebat causa. Atque hæc regula communis erat ceteris actionibus, ut qui plus petebat quam debebat, causa caderet. Idem causa cadebat, qui ante diem petebat, quod die certo sibi debebatur. Vid. Pandect. lib. XLIV, de Exceptionibus. Hoc petebat Hypsæus, et plus petebat, quam par esset, adeoque debebat causa cadere. Contendebat, inquit L. Crassus, ut ei, quem defendebat, nempe suo pupillo, causa cadere liceret; hoc est, petabat, ut edicto prætoris tribueretur pupillo suo major pecuniæ summa, quam deberetur; quod erat velle causam amittere. Octavius, tutoris accusati defensor imperitus, quum deberet hoc ipso vehementer lætari, quod plus, quam fas erat, peteretur (id enim si objecisset postea, et probasset, causam obtinuisset, ac reum tutorem turpi judicio tutelæ male administratæ, atque omni molestia et periculo liberasset): Octavius, inquam, longa oratione recusabat, ne plus peteretur, hoc est, ne Hypsæus causa caderet, atque ipse litem obtineret. Prust.

10. *Causa cadere liceret*. Ut naturam hujus litis, ejusque quæ in sequenti capite occurrit, bene intelligamus, audi Erasmum in Adag. Chil. V Cent. 2, Prov. 15: « Causa cadere is videbatur qui male agendo jus agendi perdidisset ». « Si quis, inquit Justi-

laris, non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse diceret, turpi tutelæ judicio[11], atque omni molestia, stultitia adversarii, liberaretur? — Ego vero istos, inquit (memini enim mihi narrare Mucium), non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim[12]. — Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed juris civilis prudentia[13] : quod alter plus, lege[14] agendo, petebat, quam quantum lex in XII Tabulis permiserat; quod quum impetrasset, causa caderet : alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod erat in actione, neque intelligebat, si ita esset actum[15], litem adversarium perditurum.

XXXVII. Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, prætoris urbani, familiaris nostri, sedentibus[1], homo ex numero disertorum postulabat[2], ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata

nianus, Institut. lib. IV, de action. agens in intentione sua plus complexus fuerit, quam ad eum pertineret, causa cadebat », i. e. rem amittebat : in proximo paragrapho ostendit Justinianus vocem hanc *plus* quadrifariam intelligi : re, tempore, loco et causa. PEARC.

11. *Turpi tutelæ judicio*. Edd. pr. « turpiculo judicio », uti MS E. *turpicule*, unde vulgata facta est ab Aldo.

12. *Sed ne foro quidem dignos putarim*. MSS et editi interserunt *vix*, quod admitti posse putat Gulielmius.

13. *Juris civilis prudentia*. Pal. pr. sec. Tos. Pith. Memm. *scientia*, quod forsan hic convenientius. GAUT.

14. *Lege agendo*. Alias simpliciter dicitur, « plus petere, quam lex permittit ». Addidit « lege agendo », concinnitatis causa, et ut manifestior stultitia hominis esset. ERN. — Intell. « lege agendo ». Lege agere, est uti actione quam lex nobis concedit, ipsam invocando legem.

15. *Si ita esset actum*. Si passus esset ita agi ab adversario.

XXXVII. 1. *In tribunali... sedentibus*. Nempe in consilio prætoris, qui assessores inde paullatim dicti.

2. *Postulabat, ut illi, unde peteretur*. Pal. pr. sec. Tos. Pith. *illud*. — Hæc fuit causa. Debebat quidem alteri certam pecuniæ summam, solvendam v. gr. ineunte mense januario : alter, seu petitor, non exspectavit ad illud tempus, sed petiit ut sibi solveretur, v. gr. mense decembri ineunte, et accusavit debitorem, quod pecuniam non solveret. Causidicus imperitus, qui debitorem defendebat, quum litem inferre petitori debuisset eo nomine,

exceptio daretur[3], CUJUS PECUNIÆ DIES FUISSET? quod petitoris causa comparatum esse, non intelligebat: ut si ille infitiator probasset judici, ante petitam esse pecuniam, quam esset cœpta deberi, petitor rursus quum peteret, exceptione excluderetur, QUOD EA RES IN JUDICIUM ANTEA VENISSET[4]. Quid ergò hoc fieri turpius, aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, ægris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? Equidem propinquum nostrum, P. Crassum, illum Divitem, quum multis aliis rebus[5] elegantem

quod ante tempus peteret pecuniam (erant enim graves pœnæ positæ illis, qui ante tempus pactionis, vel obligationis litem intenderent: id enim si fecisset, causa cecidisset petitor), hoc postulavit tantum, ut sibi liceret ac debitori quem defendebat uti beneficio legis, et exceptione, quæ vetabat ne pecunia peteretur ante illum diem, quo cœpta esset deberi. Quod quum postulabat, non intelligebat homo juris ignarus, comparatum a se hoc esse in utilitatem petitoris, et adversario suo prodesse. Hinc enim factum, ut petitor postea litem de integro intulerit, tamquam si ea res numquam in judicium antea venisset. Quam litem inferre non potuisset, si infitiator, hoc est, debitor probasset judici ante petitam esse pecuniam, quam deberi cœpisset. Petitor enim, quum postea pecuniam suam peteret apud judicem, exclusus fuisset lege, hoc est, impeditus ne ageret, ac moveret litem: lex enim excipit, hoc est, prohibet ne agatur iterum de ea re, quæ jam in judicium venit, seu quæ jam dijudicata est. PAUST.

3. *Vetus atque usitata exceptio daretur.* Pith. « proventus atque exceptio daretur ». Memm. et Pal. pr. « tempus atque exceptio daretur ». Tos. « locus atque exemptio daretur ». Explicat locum istum Hotomannus, tit. de Exceptionibus in Instit. Justin. item eodem loco Cujacius. GRUT.

4. *In judicium antea venisset.* MS E. « ante non venisset », male; nam est manifeste exceptio rei judicatæ, quia is, unde petitur, contra petitorem utitur, qui ante litem perdidit, quia petierat ante quam dies solutionis fuisset. ERN. — *Non* abest a plerisque MSS Gruteri. Gallicus interpr. sensum non percepit, qui vertit: « pour avoir formé la demande en justice avant les délais »: agitur enim hoc loco de secunda lite a petitore intenta, quum dies solvendi venerit. In prima lite petitor causa cecidit ea exceptione repulsus, quæ vocatur *ante petitionis.* In secunda lite altera repellitur exceptione, quæ vocatur *rei judicatæ*: quia quod semel judicatum est, non iterum potest judicari.

5. *Quum multis al. rebus..... tum præcipue.* Vulgo *tum* aberat ante *præcipue*, ut nihil particulæ *quum* respon-

hominem et ornatum, tum præcipue in hoc efferendum[6] et laudandum puto, quod, quum P. Scævola frater esset[7], solitus est ei persæpe dicere, neque illum in jure civili satis illi arti[8] facere posse, nisi dicendi copiam assumpsisset (quod quidem hic, qui mecum cos. fuit, filius ejus, est consequutus); neque se ante causas amicorum tractare atque agere cœpisse, quam jus civile didicisset. Quid vero ille M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora[9], atque illa ætas in hac civitate ferre maximam potuit, et juris civilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re jamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror; sed tamen idem hoc semper jus[10] civile contempsit.

deret. Ernest. addidit. Edd. pr. inquit, particulæ *quum* substituunt *et*; sed illud melius, videturque correctum esse *quum*, quod ei nihil in sequentibus respondebat. Pearcius tamen *et* recepit, et addidit iterum ante *præcipue*. *Et* non satis convenit, quia « Divitem illum » est cognomen, quocum sequentia non copulantur ita.

6. *Efferendum*. Sic edd. Ven. Med. Menat. Lamb. et Pearcius recte defendit. Ern. tamen tenuit *ferendum*, ut exquisitius. Sch.

7. *Quod, quum P. Scævola frater esset*. Sic quidem etiam Pal. pr. et Pith. ac Memm. Sed reliqui *Scævolæ* præter Pal. sec. In quo tantum, « quod, quum P. Scævola esset », adeo ut non videatur negligendus Tosani collegii liber, in quo, ut monuit Suffridus noster, « quod, quum P. Scævola superesset », de quo consulatur Gulielm. lib. II Verisimilium, cap. 5. Grut. — Habet Ern. « q. q. P. Scævolæ frater esset solitus », additque conjecturam unde lectio nostra orta est. Locus difficilis, inquit, unde varietas lectionis in libris. « Quum Scævolæ fratri » edd. pr. quod nihili est. Vitii sane aliquid inest. Puto excidisse *est*: « quod... esset, solitus est ei persæpe dicere ». In verbis « quum Sc. frater esset », respicitur ad gloriam Scævolarum et scientiam juris civilis. Etsi tantæ dignitatis erat Scævolæ frater, tamen ei sæpe dixit, etc. Ern. — Legendum fortasse: « quod P. Scævolæ fratri solitus esset persæpe dicere ».

8. *Illi arti*. Hæc verba valde olent glossam. Quale enim est, in jure civili non potest satisfacere juri civili? sed si deleas ista verba, omnia bene se habent. Res mihi ita evidens est, ut ea uncis incluserim. Ern. — Schützius Ern. sequutus delevit.

9. *Quantam illa tempora.....ferre maximam potuit*. Pal. pr. sec. *quanta*, item *maxime*, quomodo et Pith. et Memm. placuitque Gulielmio, qui præterea e Tosano revocabat *efferre*. Grut. — Eadem fere habet de M. Catone Quintilianus, XII, 3, 9; 7, 4.

10. *Sed tamen idem hoc semper jus*. Legendum potius arbitrabatur

Verum, quoniam sententiæ atque opinionis meæ voluistis esse participes, nihil occultabo, et quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

XXXVIII. (xxxviii.) Antonii incredibilis quædam, et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi hac scientia juris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiæ tueri atque defendere[1]. Quamobrem hic nobis sit exceptus; ceteros vero non dubitabo primum inertiæ[2] condemnare sententia mea, post etiam impudentiæ. Nam volitare in foro, hærere in jure ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus[3], in quibus usucapionum[4], tutelarum, gentilitatum[5], agnationum, alluvionum, circumlu-

Gulielmius *hic*, quam ut contra MSS transponeremus cum Lambino, « idem semper hoc jus ». Gaut.

XXXVIII. 1. *Posse se facile ceteris armis prudentiæ tueri atque def.* Vulgatæ *causas tueri atq. d.* At *se* et *causas* simul stare non possunt: utrum ergo delendum sit, quæri potest. Pearceius sequutus est libros, a quibus abest *se*, ut a Juntina; ego *causas* delevi, quod omittunt et ed. W. s. l. et a. Lips. et MS E. Nam exquisitius est « ingenium se potest tueri », quam « ingenium potest causas tueri ». In hoc nemo hæserit, in illo glossator habet, quod interpretandum putet. Quid sit *ingenium se tuetur* facile intelligitur: nempe, quum efficit, ut ei nihil deesse videatur ex iis, quæ desunt, ut scientia juris, etsi ea careat. Ceterum pro *etiamsi* eædem edd. habent *si*. Ern.

2. *Primum inertiæ..... post etiam impudentiæ.* Schutzius dat « primum impudentiæ ... post etiam inertiæ », quam transpositionem jam Heusingero probatam, sequentibus dicit postulari.

3. *In causis centumviralibus.* Centumviri erant minores judices apud Romanos e singulis tribubus lecti ad exercenda privata de causis minoris, ut plurimum, momenti judicia. Porro erant illi centum quinque, terni scilicet ex unaquaque tribu, tribus autem erant triginta quinque; attamen, quo facilius nominarentur, centumviri sunt appellati. His præsidebat prætor, ut colligimus ex Plinio juniore, ex quo etiam intelligimus centumvirorum numerum ad centum octoginta excrevisse. Paust.

4. *Usucapionum.* Usucapio est jus possidendi et capiendi rem aliquam, quia usus illa fuisti per certum tempus lege constitutum, eamque possedisti. Paust.

5. *Gentilitatum.* Gentilitas est ordo et series hominum, qui sunt ex eadem familia, quique ob eam causam jura quædam habent sibi propria, v. g. hereditatis adeundæ, suscipiendæ tute-

vionum[6], nexorum[7], mancipiorum[8], parietum, luminum[9], stillicidiorum[10], testamentorum ruptorum aut ratorum[11], ceterarumque rerum innumerabilium jura

iæ, etc. Hæc autem jura non obtinebant, neque gentilitate gaudebant servi, liberti, libertini et capite deminuti. Cicero in Topicis. Paust. — *Agnationum.* Agnati virilis sexus propinquitate juncti sunt, quibus, ut gentilibus, propria jura sunt. Paust.

6. *Alluvionum, circumluvionum.* Alluit prædium, vel agrum fluvius, quando præter illum it : circumluit, quando totum instar insulæ cingit. « Alluvio, inquit Justinianus (Inst. II, tit. 1, § 20), est incrementum latens. Per alluvionem autem videtur adjici, quod ita paullatim adjicitur, ut intelligere non possis, quantum quoquo momento temporis adjiciatur ». Paust.

7. *Nexorum.* Nexum, sive nexus, est obligatio civilis : quæ quum contrahebatur, aliquis libram et æs manu tenebat, qui vocabatur libripens. Vide Topica, cap. 5. Præterea civis ille nexus dicebatur, qui quum esset liber, pecuniamque alteri deberet, illi addicebatur in servitutem, ut ipsi pro pecunia quam deberet nec posset solvere, servilem operam præstaret, dum æs alienum dissolveret. Nexus autem dicebatur, quod necteretur, id est, compedibus aut nervo vinctus, et clausus teneretur. Livius, lib. VIII. Addictus etiam vocabatur. Paust.

8. *Mancipiorum.* Mancipium, inquit Isidorus, est quidquid manu capi potest. Aliquando sumitur pro quolibet servo : hic pro aliqua re, quæ accipitur, aut alteri possidenda traditur: vel pro actione, qua id fit. Paust.

9. *Parietum, luminum.* De pariete communi sæpe incidit controversia; de tigno in parietem immisso, de alio pariete aut adjuncto, aut supra communem exædificato, etc. Item de luminibus, v. g. si quis altius ædificet, ac vicini luminibus officiat, si quis prospectum in ædes tuas habeat, etc. Paust. — Cf. Inst. II, tit. 3, § 1.

10. *Stillicidiorum.* Stillicidium est aquæ pluviæ lapsus e tectu : unde possunt oriri lites de servitute stillicidii, de immittendis et recipiendis stillicidiis. Paust.

11. *Testamentorum ruptorum aut ratorum.* Ita MSS Bod. Bal. Mag. Harl. duo et ad oram Nov. necnon editiones Ven. Mediol. Roberti Stephani, Manutii, et Lambini, aliorumque : MSS vero septem *ruptorum aut raptorum* a vera scriptione non multum abhorrentes. Horum auctoritate vocem *aut ratorum* inserui. Pearc.—Gruterus contra delevit quod non exstaret in Memm. aut Pith. totumque haberet Pal. sec. *testamentorum raptorum.* Primus vero ac Tosanus alterque Memmii « testamentorum ruptorum aut raptorum », ut appareat appositum a scribis pro lectione variante. Gruter. — Ernest. ait : dedi cum Pearcio « ruptorum aut ratorum », quod in omnibus edd. pr. etiam MS E. quum in recentioribus tantum sit *ruptorum* : sed mihi utrumque suspectum est, et a glossatore natum videtur. Primum cetera omnia genera simpliciter ponuntur, nec opus erat addere hujusmodi quid : deinde non facile de testamentis ruptis quæstionem esse ipse Cicero docet, cap. 57 : denique ineptum est testamenta rupta et rata, aut alterutrum genus commemorari, quasi de his tantum quæstio esse, et apud centumviros

versentur, quum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus [12], servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiæ [13]. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes, aut etiam majores, gubernare didicisse [14]. Tu mihi quum in circulo [15] decipiare adversarii stipulatiuncula [16], quum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur; ego tibi ullam causam majorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino Ponto Argonautarum navem gubernarit.

(XXXIX.) Quid? si ne parvæ quidem causæ sunt, sed sæpe maximæ, in quibus certatur de jure civili; quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia juris audet [17] accedere? Quæ potuit igitur esse causa major, quam illius militis? de cujus morte quum domum falsus ab exercitu nuntius venisset; et pater ejus, re credita, testamentum mutasset, et, quem ei visum esset, fecisset heredem, essetque ipse mortuus : res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset, egissetque lege in hereditatem pater-

tractari possit. ERN. — Cujus auctoritate Schötaius dedit simpliciter *testamentorum*.

12. *Civis aut peregrinus, servus aut liber*. Recte Pearcius *aut* pro *an* edidit : nam et sine libris hæc lectio certa intelligitur, quia *quare* eam necessario flagitat.

13. *Impudentiæ*. Sic, non *imprudentiæ*, habent edd. pr. idque ipsum res docet verum esse, et imprudentiam hoc loco esse plane alienam. Impudentiæ etiam post mentio c. 41. ERN.

14. *Gubernare didicisse*. Intelligendum e *confiteri*, dicere, aut ejusmodi quid, propter verbum *arrogantiæ* : nam in discendo non est arrogantia. ERNEST.

15. *In circulo*. Id est, in conventu privato, quum privatim aguntur res, sponsiones, vadimonia, etc. *Tabellas* intellige v. c. emptionis, venditionis, syngraphas, etc. ERN.

16. *Stipulatiuncula*. Obligatio est, quam aliquis in se recipit, quum certis verbis interrogatus respondet : *spondes? spondeo. Fidejubes? fidejubeo.* PAUST.

17. *Qui... audet*. An *qui audeat?* Sensus meus latinitatis hoc desiderat.

nam, testamento exheres filius[18]. Nempe in ea[19] causa quæsitum est de jure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatim?

XXXIX. Quid? qua de re inter Marcellos et Claudios patricios[1] centumviri judicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe[2], Claudii patricii ejusdem hominis[3] hereditatem, gente ad se rediisse dicerent;

18. *Testamento exheres filius.* Clarissimus Lambinus, audax scriptorum censor, sed quem non velis fuisse minus audacem, censet hæc tria verba delenda esse; testatur idem se ab uno MS quem vidit abesse. Talæus etiam dicit ea a nonnullis exemplaribus abesse. Utinam quidem in meis MSS idem observassem! quum enim *miles* præcesserat, redundat casus nominativus: et quum in dubio fuit, utrum exheres esset miles necne, non eleganter dici potest *exheres filius.* Porro notandum est me notam interrogationis post vocem *filius* posuisse. Pearc. — Hæc verba Ernestus uncis inclusit ut a glossatore adscripta, et huc tracta e sequentibus: Schützius omnino delevit.

19. *Nempe in ea causa.* Dictio *nempe* non apparet in Pall. duobus aut totidem Gallicanis; et resipit certe glossam. Gaut.

XXXIX. 1. *Inter Marcellos et Claudios patricios.* Seb. dat « inter Claudios, Marcellos et patricios », nulla admota auctoritate. Vid. inf. not. 2.

2. *Ab liberti filio stirpe.* Filius liberti cujusdam e Claudiorum gente intestato decessit, ejusque hereditas lege rediit ad Claudios; quorum duæ familiæ erant, altera patricia, altera plebeia. Claudii patricii vocabantur Pulchri, plebeii vero Marcelli: hi de intestato mortui hereditate certabant. Claudii patricii (quorum familia istius gentis maxima natu fuit) sibi hereditatem vindicarunt jure gentilitatis, quia libertus iste e gente Claudia esset, ipsorumque familia esset prima; et, quamvis servitutem servisset, tamen Claudii patricii contendebant eam injustam fuisse, ideoque se jure gentilitatis privari non potuisse. Claudii vero plebeii, scil. Marcelli, eamdem sibi vindicarunt hereditatem, quia libertus iste stirpe propior Marcellis fuit, quam Pulchris, et quia ista servitute (quam servisset, et quam justam fuisse ii contendebant) jus gentilitatis Claudiis patriciis amissum fuisse videbatur. De significatione vocis *gentilis* audi ipsum Ciceronem in Topicis, cap. 6: « Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est. Quorum majorum nemo servitutem servivit. Abest etiam nunc: qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est ». Pearc.

3. *Ejusdem hominis her.* Sic ex edd. vett. rescripsi, pro *nominis*, quibus consentit MS E. Quid enim est *hereditas nominis?* ab errore quidem operarum hæc lectio orta, decepit etiam doctos homines, ut multæ aliæ

nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis jure dicendum? Quid? quod item in centumvirali judicio certatum esse accepimus, qui Romam [4] in exsilium venisset, cui Romæ exsulare jus esset [5], si se ad aliquem quasi patronum applicuisset [6], intestatoque esset mortuus [7]: nonne in ea causa jus applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in judicio atque illustratum est a patrono? Quid? nuper, quum ego C. Sergii Auratæ contra hunc nostrum Antonium judicio privato causam defenderem; nonne omnis nostra in jure versata defensio est? Quum enim Marius [8] Gratidianus ædes Auratæ vendidisset, neque, servire quamdam earum ædium partem, in mancipii lege [9] dixisset; defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset,

similes. Ern. — Schütz. dat *ejusdem nominis*, deletque antea *Claudii*.

4. *Romam*. Quidam peregrinus (sic appellatur quicumque civis non est) Romam venit, in exsilium ejectus ex urbe sua et patria. Applicuit sese, id est, adjunxit ad romanum civem, quem coleret observaretque, ut cliens patronum, et a quo vicissim defendebatur, ac si civis et cliens suus fuisset. Contigit ut ille peregrinus testamento nullo facto moreretur. Civis romanus, cui peregrinus ille, tamquam patrono addictus fuerat, ejus hereditatem postulavit apud decemviros, ea de causa, quod iste peregrinus ad ipsum applicuisset sese, et veluti ipsi dedidisset. Hoc applicationis jus appellat Cicero. De isto jure antea obscuro, quia raræ sunt hujusmodi causæ, dicendum causidico fuit, adeoque illustrandum et patefaciendum. Prusteus. — Vide Turneb. Advers. XXIV, 32.

5. *Cui Romæ exsulare jus esset*. Ed. W. Lips. addunt negationem « e. R. e. jus non esset ». MS E. *Romam*.

6. *Applicuisset*. Vulgo *applicavisset*. J. V. L. secutus est aliquot e MSS Regiis.

7. *Esset mortuus*. Hic lacunam sit necesse est, quam neminem reperi deprehendisse. Nempe consequens deest, quo genus causæ et quæstionis tradatur, nempe, an hereditas illa ad patronum illum redeat, ut libertorum, necne, etc. De applicationis jure vide Cl. Ernest. — J. V. L. censet nihil abesse.

8. *Quum enim Marius*. Rem omnem paullo fusius explicat Cicero, de Off. lib. III, cap. 16. Prust.

9. *In mancipii lege*. In pactione, in venditionis conditionibus. — *Quo quidem in genere familiaris noster M. Buculeius*. Controversia illa hujusmodi fuit. Buculeius, quum venderet ædes suas Fufio, hæc verba in pactione scribi voluit: « Lumina (id est, fenestras) uti nunc sunt, ita recipio », quibus verbis id unum in se suscepit,

neque declarasset, præstare debere. Quod quidem in genere familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo judicio stultus, et suo valde sapiens, et a juris studio non abhorrens, simili in re quodam modo nuper erravit. Nam quum ædes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque ædificari cœptum est in quadam parte urbis, quæ modo ex illis ædibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicumque particulæ cæli officeretur [10], quamvis esset procul, mutari lumina putabat. Quid vero? clarissima M'. Curii [11] causa

ut ne quis vicinus earum fenestrarum usum vel tolleret, vel ædificiis altioribus obscuraret. In hoc Bucculeius erravit, quod verbis ambiguis usus esset; nam Fufius ei litem intendit, simul atque ædificari cœptum est in quadam remotiori urbis parte, quæ ex ædibus quas emerat conspici posset. Egit igitur cum Bucculeio, quia jam ex illis ædibus non idem erat cæli prospectus, et (ut ille putabat) mutabantur lumina, nec tum ita erant, uti in mancipio ea Bucculeius receperat. Pearc.

10. *Cuicumque particulæ cæli officeretur, quamvis.* Editio prima interjecit, *officeretur via*, quod et in aliquot Palatinis, sed syllaba minus; ii enim *officeret via*. Camerarius illud *via* mutabat in *illa*, ut applicaretur *particulæ*. At Pal. pr. habet, « officeret, sua quamvis »: ut securissimum putarem adhærescere lectioni receptæ, quæ et remansit in pluribus Pall. Gruter.

11. *Clarissima M'. Curii causa.* Coponius quidam moriens quum uxorem gravidam putaret, filium qui se mortuo nasceretur (is postumus dicitur, quasi postremo loco natus) reliquit heredem; substituit illi heredem secundum M'. Curium, ea conditione, ut M'. Curius esset heres, si filius postumus ante moreretur, quam sui juris esset. Decessit subinde Coponius: sed quum uxor ejus revera gravida non esset, nullus ei natus est filius postumus. Statim M. Coponius, agnatus mortui, apud centumviros egit, ut sibi liceret hereditatem adire: oratorem et patronum elegit Q. Scævolam. Contra M'. Curius, secundus heres testamento relictus, sibi hanc hereditatem postulabat, eo nomine quod heres fuisset institutus, si postumus ante moreretur, quam posset per ætatem e tutoris custodia et potestate exire: perinde autem esse, quod nullus fuisset postumus, ac si natus revera foret, ac mortuus ante tempus a patre constitutum. Erat Curii patronus L. Crassus, quem Cicero nunc loquentem fecit. Q. Scævola scripto nitebatur: hæc esse verba testamenti, ut Curius tantum heres esset, si postumus ante certum tempus moreretur; mori eum non posse qui natus non sit; natum non esse postumum: itaque hereditatem M. Coponio agnationis jure adscribendam esse, non M'. Curio, qui conditione testamenti excluderetur. Crassus contra, voluntatem ejus, qui

M.que Copônii[12] nuper apud centumviros, quo concursu hominum, qua exspectatione defensa est? quum Q. Scævola, æqualis et collega meus[13], homo omnium et disciplina juris civilis eruditissimus, et ingenio prudentiaque acutissimus, et oratione maxime limatus atque subtilis, atque, ut ego soleo dicere, juris peritorum eloquentissimus, eloquentium juris peritissimus[14], ex scripto testamentorum jura defenderet, negaretque, nisi postumus et natus, et, antequam in suam tutelam venisset[15], mortuus esset, heredem eum esse posse[16], qui esset secundum postumum, et natum, et mortuum, heres institutus: ego voluntatem defenderem[17]; hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut, si filius non esset, qui in tutelam veniret, M'. Curius esset heres. Num destitit uterque nostrum in ea causa, in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est, in medio jure civili versari?

testamentum fecisset, ac scripti sententiam spectandam esse contendebat, non ipsa verba et apices scripti: hanc fuisse mentem testatoris, si filius sibi non esset, qui hereditatem paternam adiret, ut M'. Curius esset. Causam obtinuit L. Crassus, ut refert Cic. in oratione pro Cæcina, cap. 18. Prust.

12. *M.que Coponii.* Ita Pall. posteriores: at pr. *M.que Ceii.* Sec. et Memm. *M.que Copii*, Pith. *M.que Copi*, Memmianus alter chartaceus, « et M. Quinti Caponii ». Grut.

13. *Et collega meus.* Pall. priores et Gall. *et collega ejus.* Grut.

14. *Eloquentium juris peritissimus.* Hæc Schützius delevit, quæ, ut ait, ab interpolatore adjecta esse perspicitur e libro de claris Oratoribus, cap. 39.

15. *Antequam... venisset.* Ita bis edidimus in hoc loco pro vulgato *veniret*, ut etiam fecit Pearcius e MSS et edd. Librarii sæpe in hoc tempore et in ipso hoc verbo peccarunt vitiosa consuetudine temporis sui et sermonis. In hoc ipso loco fluctuant interdum, ut Juntinæ auctor, qui semel hic *venisset*, semel *veniret* dedit. Vitium ortum est ex eo, quod in scriptis erat per compendium scriptum, *veniet*, ut in Erl. Ern.—De re et de verbo « in suam tutelam venire », adi de Inv. II, 42, ibique notam.

16. *Heredem eum esse posse.* Sic Pall. priores: nam posteriores, inserta negativa, « esse non posse », quod ait Camerarius exstare in Victoriana, defendique posse ratione linguæ græcæ, qua duæ negativæ affirmant: is videatur. Grut.

17. *Ego voluntatem defenderem.* Sch. dat, auctoritate codd. Guelf. 2, 3, « ego autem defenderem ». Consulatur

XL. (XL.) Omitto jam plura exempla causarum amplissimarum, quæ sunt innumerabilia: capitis nostri[1] sæpe potest accidere ut causæ versentur in jure. Etenim sic C. Mancinum[2], nobilissimum atque optimum virum, ac consularem[3], quum eum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus[4] ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset; P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis, de senatu jussit educi[5], quod eum civem negaret esse; quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium[6]. Quam pos-

hic Camerarius.—*Veniret*. Ern. *venisset*, male. J. V. L.

XL. 1. *Capitis nostri*. Causa capitis apud Romanos ea dicebatur, in qua agebatur de status mutatione, sive capitis deminutione. Triplex est autem capitis deminutio: maxima, quum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit; minor, sive media, quum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur: minima, quum et civitas et libertas retinetur, sed status hominis commutatur. Maxima servum facit: media peregrinum: minima filiumfamilias, vel patremfamilias. Cf. Justin. Instit. lib. I, tit. 16. Paust.

2. *Mancinum*. C. Hostilius Mancinus, consul anno Urb. cond. 617, prodigiorum contemptor, a Numantinis victus, et castris exutus, pacem cum iis ignominiosam fecit. Sed hanc ratam esse vetuit senatus; itaque ipse sciens ac volens illis deditus est. Quum autem non esset ab iisdem receptus, Romam rediit. Quæsitum est, an pro cive habendus esset, sive an ullum ei postliminium esse posset. Negabat P. Rutilius, tribunus plebis, ob eam causam, quam Cicero commemorat. Affirmabant alii, quia non erat receptus ab hostibus; deditionem enim, aut donationem, sine acceptione non posse intelligi; Mancinum igitur non habendum esse pro dedito, quem hostis accipere nollet. Pro Mancino judicavit populus romanus, illumque obtinuisse præturam anno Urb. cond. 620, tradit Pomponius jurisconsultus. Vid. Florus in Epitome, Appianus, etc. Paust.

3. *Virum, ac consularem*. Schütz. dat « virum, consularem ».

4. *Pater patratus*. Is unus e fecialibus erat, sanctiori quadam ornatus dignitate, atque auctoritate, ad patrandum, hoc est, sanciendum aliquod fœdus, res repetendas, bellum indicendum hosti, etc. Feciales autem fidei publicæ inter populos præerant: nec licebat bellum inferre, nisi ipsi justis de causis susceptum declarassent, atque indixissent. Livius, lib. I.

5. *De senatu jussit educi*. Schütz. delet « de senatu » auctoritate codd. Guelf. 1, 3.

6. *Postliminium*. Cicero in Topicis,

sumus reperire ex omnibus rebus civilibus causam contentionemque majorem[7], quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis consularis; præsertim quum hæc non in crimine aliquo, quod ille posset infitiari, sed in civili jure consisteret? Similique in genere, inferiore ordine, si quis[8] apud nos servisset ex populo fœderato, seseque liberasset, ac postea domum revenisset; quæsitum est apud majores nostros, num is ad suos postliminio rediisset, et amisisset hanc civitatem. Quid? de libertate, quo judicium gravius esse nullum potest, nonne ex jure civili potest esse contentio, quum quæritur, is, qui domini voluntate census sit[9], continuone, an ubi lustrum conditum[10], liber sit? Quid, quod usu, memoria pa-

cap. 8 : « Quæ a nobis alienatæ sunt, quum ad hostem pervenerint, et ex suo tamquam limine exierint, dein quum redierint post ad idem limen, postliminio videntur rediisse ». Qui captus ab hostibus, redibat in patriam jure postliminii statum suum in civitate recipiebat, quasi numquam servus fuisset, numquam capite deminutus. Vide Cujacium, Observat. lib. XI, cap. 23. PEARC.

7. *Majorem.* Illa scilicet Mancini causa, in qua agebatur de illius ordine, civitate, libertate et capite: de ordine, an senator esset, quo in ordine erat ante quam hosti dederetur; de civitate, an habendus esset in numero civium; de libertate, an servus esset an liber: de capite, an capite deminutus esset; proindeque in exsilium pellendus, aut etiam omnino perdendus. PAUST.

8. *Si quis apud nos.* Aliquis e populo fœderato, homo inter suos liber et ingenuus, Romam venerat; ibi servitutem serviit; ea servitute liberatus ad suos rediit; ab iis receptus non est. Quæsitum est, an is dicendus esset ad suos redire postliminio, an desiisset civis romanus esse. Causa quærendi hæc erat, quod inter fœderatos postliminium non est, sed tantum inter hostes: itaque si ille assertus in libertatem, factus esset civis romanus, sine postliminio poterat redire ad suos. Non poterat tamen amplius esse civis romanus, quia jure romano nemo poterat, ut ait Cicero pro Corn. Balbo, duarum civitatum civis esse. PAUST.

9. *Domini voluntate census sit.* Quinto quoque anno a censoribus in tabulas referebantur civium romanorum tam nomina quam opes. Si quis dominus tunc temporis servo suo permisit, ut in civium numero ab iis magistratibus recenseretur, is liber factus est: sed inter jurisconsultos quærebatur, utrum *continuo*, id est, eo ipso die recensendi, an nonnisi post totum censum absolutum, sive lustrum conditum, quod solenni sacrificio finiebatur. PEARC.

10. *Continuone, an ubi lustrum*

trum, venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset; mediocrisne res in controversiam adducta est? quum quæreretur de duobus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de ejus matre; quæ, si judicaretur, certis quibusdam verbis[11], non novis nuptiis[12], fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.

Hæc igitur, et horum similia jura suæ civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu, huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, præsidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et con-

conditum, liber sit. Restitutio loci debetur Cujacii membranis, qui adeatur lib. XVII Observ. cap. 20 : neque divertit exemplar Pithœi, in quo, « an tibi lustrix conditum, liber sit »; nam Memmii unus, « an ubi jam ter lustrum conditum, liber sit »; alter vero, « an tribus lustris conditis liber sit » : quod et in Pall. pr. sec. tert. oct. item nono; nisi quod et is præterea præmittat vulgatam, hoc modo : « si non sit conditum lustrum? continuone an tribus lustris conditis liber sit », quomodo item restat in editionum prima : nam posteriores, « sit, si modo sit lustrum conditum sitne liber ». Grut. — Ed. W. « an tribus lustris conditis », quæ est mirabilis lectio : et ea est etiam in MS Erl. ed. Lips. sic : « si non lustrum conditum, sitne liber continuone, an tribus lustris conditis ». Ern. — *Ubi lustrum conditum.* Condi lustrum dicebatur, quum census perfectus erat et absolutus : absolvebatur autem sacrificio solenni. Lustrum est ipse census, seu recensio civium : a lustrando dicitur; tunc enim veluti lustrabantur, et recognoscebantur cives omnes. Aliquando lustrum est spatium annorum quinque; quia exactis quinque annis fiebat census. Proust.

11. *Certis quibusdam verbis.* His fere verbis, quum vir uxorem repudiabat, utebatur : « Res tuas tibi habeto, tuas tibi res agito » : quorum altero restituit dotem, altero tutoris munus in rebus uxoriis deponebat. Proust.

12. *Non novis nuptiis.* Videtur is, qui nuptias cum altera uxore contrahit, priorem repudiare : hunc tamen tacitum consensum recentiores jurisperiti negant sufficere. Nisi præterea prima uxor repudiata fuerit nuntio misso, verbisque adhibitis quæ supra citantur. Lis igitur hæc et controversia erat, an verbis, an mente sola et novis nuptiis factis divortium fieri censeretur. Proust.

silii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

XLI. (XLI.) Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem[1] hominum atque inertiam. Nam si esset ista cognitio juris magna ac difficilis; tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii immortales! non dicerem hoc, audiente Scævola, nisi ipse dicere soleret, nullius artis faciliorem sibi cognitionem videri. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur[2]: primum, quia veteres illi, qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ causa, pervulgari artem suam noluerunt; deinde, posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio[3] primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius[4], qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. Hoc video, dum breviter

XLI. 1. *Segnitiem.* Nonius, II, 808, h. l. laudans legit *segnitatem.* Sch.

2. *A plerisque aliter existimatur.* Pal. pr. et sec. item Memm. ac Pith. « aliter nominatur », forsan verius. Grut.

3. *Expositis a Cn. Flavio.* « Posset agi lege, necne, inquit Cicero pro Murena, c. 11, pauci quondam sciebant. Fastos enim vulgo non habebant. Erant enim in magna potentia qui consulebantur: a quibus etiam dies, tamquam a Chaldæis petebantur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit (id est, ostenderit doctrinam illorum veterum jurisconsultorum uno admodum reconditam fuisse), et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit ». Cn. iste Flavius, patre libertino natus, ob fastos populo promulgatos fuit ædilis curulis a forensi turba creatus anno Urb. cond. 648. Livius, lib. IX, et Pomponius de Origine juris. Prust.

4. *Nisi ille prius...habeat illam scientiam.* Locus hic mihi parum dignus Cicerone videtur. Saltem « ille prius » deleverim. Cicerone dignum foret, « nisi, qui tenet, quorum a. c. vellet, habeat illam scientiam ». Ern. — *Ille prius.* Schützius delevit *ille* ante *prius.*

voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius; sed experiar, et dicam, si potero, planius.

XLII. Omnia fere, quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt: ut in musicis, numeri, et voces, et modi; in geometria, lineamenta, formæ, intervalla, magnitudines; in astrologia, cæli conversio, ortus, obitus, motusque siderum; in grammaticis, poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus; in hac denique ipsa ratione dicendi, excogitare, ornare, disponere, meminisse[1], agere; ignota quondam omnibus[2], et diffusa late videbantur[3]. Adhibita est igitur ars quædam extrinsecus ex alio genere[4] quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quæ rem dissolutam divulsamque conglutinaret, et ratione quadam constringeret.

Sit ergo in jure civili finis hic, legitimæ atque usitatæ in rebus causisque civium æquabilitatis[5] conservatio. Tum sunt notanda genera[6], et ad certum numerum paucitatemque revocanda. Genus autem est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes. Partes autem sunt[7], quæ generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur; omniaque, quæ sunt vel generum vel

XLII. 1. *Ornare, disponere, meminisse.* Schützius cum Pearciu, « disponere, ornare, meminisse ».

2. *Ignota quondam omnibus.* Sensus postulat « incondita quondam omnino », vel simile aliquid. Sch.

3. *Et diffusa late videbantur.* Memmii liber, « diffusa lata ». Pith. et Pal. sec. « diffuse latere », unde putabat Gulielmius rescribendum « omnibus diffuse latere videb. » Gaut.

4. *Ex alio genere quodam.* Methodo scilicet, quæ artes finxit.

5. *Æquabilitatis.* Victor. Man. dant « æqualitatis ».

6. *Notanda genera.* Juris genera ista sunt: aliud publicum est jus, aliud privatum. Rursus publicum aliud spectat res sacras, aliud magistratus ordinemque civitatis; aliud continetur legibus, aliud senatusconsultis, etc. aliud civium est, aliud exterorum, etc. Vide Cic. in Topicis.

7. *Partes autem sunt.* Sch. « Partes autem hæ sunt, quæ generibus iis, ex quibus, etc. »

partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio, earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis et circumscripta quædam explicatio. Hisce ego rebus exempla adjungerem, nisi, apud quos hæc habetur[8] oratio, cernerem : nunc complectar, quod proposui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod jamdiu cogito[9], aut alius quispiam, aut, me impedito, occuparit, aut mortuo effecerit, ut primum omne jus civile in genera digerat, quæ perpauca sunt; deinde eorum generum quasi quædam membra dispertiat; tum propriam cujusque vim definitione declaret: perfectam artem juris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram. Atque interea tamen, dum hæc[10], quæ dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique, repleri justa juris civilis scientia[11].

XLIII. Nonne videtis, equitem romanum, hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem[1], qui mecum vivit,

8. *Hæc habetur oratio.* Ern. Sch. « hæc haberetur oratio », contra codices vett.

9. *Quod jamdiu cogito.* Hoc in persona Crassi de se ipse Cicero dicere videtur : eum enim scripsisse librum de jure civili in artem redigendo testis est Gellius, lib. I, cap. 22. Prust. — Vide philosophicorum fragmenta.

10. *Dum hæc.....coguntur.* Debet esse *cogantur.* Nam illud locum haberet modo, si illo tempore aliquis occupatus fuisset in cogendo jure universo ad formam artis : ut in illo : « dum senatus cogitur ». Ern. — Sch. dedit *cogantur.*

11. *Repleri justa j. c. scientia.* Pall. posteriores, item editio antiqua, *ista.* Priores, item Pith. et Memm. « replere istam juris civilis scientiam », quod amplectendum existimabat Gulielm. aut certe examinandum. Gaut. — Edd. pr. habent *ista* vel *istam ;* nam et in *scientia* fluctuant, ut et MS E. « replere istam », i. e. scientiam. Mihi *ista* verius videtur. Ern. — *Justa*, id est, quæ sufficit, cui nihil deest ad tuendum nomen scientiæ. Sic in Oratore, cap. 41, « justa excusatio » idem valet ac satis bona, et in Epist. ad Fam. lib. II, ep. 10, « victoria justa » eodem sensu dicitur. Non opus est igitur, ut cum Gulielmio sententiam refingamus. Pearc.

XLIII. 1. *Aculeonem.* Hic eques

semperque vixit, ita tenere jus civile, ut ei[2], quum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? Omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro; neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur : eadem enim sunt elata[3] primum a pluribus; deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus, scripta sunt sæpius. (XLII.) Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique jus civile possit (quod minime plerique arbitrantur), mira quædam in cognoscendo suavitas et delectatio. Nam, sive quem aliena studia[4] delectant; plurima est, et in omni jure civili, et in pontificum libris, et in XII Tabulis, antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur[5], et actionum genera quædam majorum consuetudinem vitamque declarant : sive quis civilem scientiam contempletur[6], quam Scævola non putat oratoris esse propriam, sed cujusdam ex alio genere prudentiæ; totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus[7] ac partibus,

romanus Ciceronis materteram duxit uxorem : propterea filios Aculeonis Cicero consobrinos suos vocat lib. II de Oratore. PRUST.

2. *Ut ei, quum*, etc. *Ei* habent edd. pr. Aldus, « uti quum ab hoc ». *Ab hoc* int. Scævola, quem nutu vel digito demonstrat. ERN.

3. *Eadem enim sunt elata*, etc. *Elata* int. in publicum sc. scribendo. Vid. Clav. in *efferre*. Edd. pr. *lata*; MS E. *elata*. ERN. — Quid si *relata*. MURET.

4. *Aliena studia*. Schütz. dat *antiqua*. Sic, inquit, emendavit Wyttenbachius, Bibl. crit. vol. 1, pag. 14. In uno MS Reg. est *atica*.

5. *Prima vetustas cognoscitur*. Pith. « vetustate prisca cognoscitur », quod præposuerim alteri, etsi isthæc cum sequentibus habeam pro inquinatia; nam ubi mox habemus, « sive quis civilem scientiam complectetur », Palatinis nullis adest illud *complectetur*, præferuntque posteriores *quid*, non *quis*. Pithœanus vero exhibet « civili scientiæ, quam ». GAUT.

6. *Contempletur*. Schütz. dat *complectitur*, auctoritate Wyttenbachii, qui sic legendum docuit, aut *consectatur*. — *Civilem scient.* scil. politicam, reip. gerendæ.

7. *Descr. omnibus civ. utilitatibus*. Pith. Memm. Pal. pr. ac sec. non exhibent illud : « omnibus civitatis ». GAUT.

XII Tabulis contineri videbit[8] : sive quem ista præpotens et gloriosa philosophia delectat, dicam audacius, hosce habebit fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili et legibus continentur. Ex his enim et dignitatem[9] maxime expetendam videmus, quum verus, justus, atque honestus labor honoribus, præmiis, splendore decoratur; vitia autem hominum, atque fraudes, damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur; et docemur non infinitis, concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate, nutuque legum, domitas habere libidines, coercere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

XLIV. Fremant omnes licet; dicam quod sentio: bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII Tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare. Ac, si nos, id quod maxime debet[1], nostra patria delectat; cujus rei tanta est vis[2], ac tanta natura, ut «Ithacam[3] illam, in asperrimis saxulis, tamquam nidulum, affixam», sapientissimus vir[4] immortalitati anteponeret : quo amore tandem inflammati esse debemus in ejusmodi pa-

8. *Contineri videbit*. Sic edd. pr. et sic contextus requirit, secundum communem formam : « sive quem al. studia delectant...sive complectetur... videbit ». Bene igitur sic dedit Pearcius; sed eodem modo necessarium est, ut post pro *habet* scribatur *habebit*. Item mox « præmiis, splendore » dedimus sine *atque*, quod ab omnibus edd. vett. abest, ut et MS E. Ern.

9. *Dignitatem*. I. e. virtutem.

XLIV. 1. *Id quod maxime debet*. Int. *efficere*. Sed sæpe inclinavi huc, ut putarem verum esse *decet*. Ern.

2. *Cujus rei tanta est vis*. Int. delectationis ejus, quam patria habet in animis hominum. Ern.

3. *Ithacam...affixam*. Verba poetæ alicujus hic deprehendit Gœrenzius ad Cic. de Legg. II, 4. Sch.

4. *Sapientissimus vir*. Ulysses scilicet, cui Calypso pollicita est immortalitatem, modo secum manere perpetuo vellet. Odyss. lib. V.

triam, quæ una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cujus primum nobis mens, mos, disciplina nota, esse debet; vel quia est patria, parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in jure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. Percipietis etiam illam ex cognitione juris lætitiam et voluptatem, quod, quantum præstiterint nostri majores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum[5] Lycurgo, et Dracone[6], et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne jus civile, præter hoc nostrum, inconditum, ac pæne ridiculum : de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus, et maxime Græcis, antepono. His ego de causis dixeram, Scævola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, juris civilis cognitionem esse necessariam.

XLV. (XLIII.) Jam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei præsunt, honoris, gratiæ, dignitatis, quis ignorat? Itaque non[1], ut apud Græcos infimi homines, mercedula adducti, ministros se præbent in

5. *Si cum illorum*. Facile esset corrigere *illarum*, quia præcedit *gentibus*. Sed quia in *illorum* consentiunt libri, intelligemus *populorum*, quod ex illo *gentium* verbo repeti posset : cujus formæ multa sont in Græcis et Latinis exempla. Ern.

6. *Dracone*. Draco primus Atheniensium legislator, cujus severiores leges sanguine, non atramento, scriptae, Draconis, non hominis esse dicebant : tanta scilicet fuit illarum immanitas, ut in levia pariter, et gravia delicta capitali pœna animadverterent : nec minus addicerent morti eum, qui otii convictus est, quam qui parricidium admisisset. Quum in theatrum aliquando prodiisset, conjectis in eum undique stragulis et vestimentis suffocatus est. Floruit, ut tradit Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I, XXXIX Olymp. anno I qoo leges tulit. Eum perhibent tribus versuum millibus vitæ præcepta tradidisse. Faust.

XLV. 1. *Itaque non, ut apud Græcos*. Sic recte Guelf. 2, 3, et edd. antiquiores Omnib. et Kob. Volgo, « itaque, ut apud Græcos ». Sch. — J. V. L. dedit *Itaque non, ut*, etc. e MSS Regiis.

judiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur, sic in nostra civitate; contra amplissimus quisque et clarissimus vir; ut ille, qui propter hanc juris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est:

. Egregie cordatus homo, catus Æliu' Sextus [2];

multique præterea, qui, quum ingenio sibi [3] [auctore] dignitatem reperissent, perfecerunt, ut in respondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valerent. (XLIV.) Senectuti vero celebrandæ et ornandæ quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium jam ab adolescentia [4] comparavi, non solum ad causarum usum forensium [5], sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis; ut, quum me vires (quod fere jam tempus adventat) deficere cœpissent, ita ab solitudine [6] domum meam vindicarem. Quid est enim

2. *Catus Æliu' Sextus.* Sic J.V. *Leclerc* com Pearcio. — Pearcius dedit « Æliu' Sextus ». Sic pronuotiendum, sed non necessario scribendom. Nam modum pronuntiandi vulgo tenebant: sicut omnino in poetis literæ noo scribendo, sed pronuntiaodo elidontur, ut notum est. Sic II, 64, in versu primo pronuntiandum est *quibu'*, et tamen scribitur *quibus*. Ean.

3. *Qui, quum ingenio sibi* [*auctore*] *dignitatem*, etc. Locus hic non una parte vitiosum videtur. Primum *quum* elicoum et delendum puto; deinde cum Pearcio verbom *auctore*, quod ssoe ioeptum est. Quis ite dicit « ingeoio auctore sibi reperit? » Nec magis bene habet « ingenio sibi reperire ». Edd. s. l. et c. Med. Lips. habaot *peperissent*, quod est verissimom. Quid porro est, « in respondendo jure? » ut vulgati habent, quis ita dixit? Eædem edd. bebent « de jure »: recte. Et videotor etiam verba hie transposita. Totus locus sic est constitnendus: « multiqne præterea, qui ingenio sibi dignitatem peperissent, perfecerunt respondendo de jure, ut auctoritate plus etiam, quam ipso ingenio, valereot ». Ceterum tentum io texlu correximus, quod ex libb. auotoritate potnimus. Ean. — Schütz. delevit verbum *auctore*, deditque *peperissent* et « respoodendo de jure ».

4. *Jam ab adolescentia.* Schütz. cum Lalleм. dat « jam inde ab adolescentia ».

5. *Ad causarum usum forensium.* Sic pro *forensem* rescripsimus ex edd. pr. W. s. l. et a. M. etc. Sic cap. 49, « in causis forensibus ». Infra, c. 61, est « usus civitatum forensis », qood tamen huic non satis simile est. Ean.

6. *Ita* Vulgo *ista*, quod Ernest. delet. Abest, inquit, ab edd. pr. ad Juntinam usqoe. Ad juris interpreta-

præclarius, quam honoribus et reipublicæ muneribus perfunctum senem posse suo jure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, unde sibi, si non populi et reges, at omnes sui cives consilium expetant,

> Suarum rerum[7] incerti; quos ego mea ope ex
> Incertis certos, compolesque consili
> Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Est enim sine dubio domus jurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est hujusce Q. Mucii janua et vestibulum, quod in ejus infirmissima valitudine, affectaque jam ætate, maxima quotidie frequentia civium, ac summorum hominum splendore celebratur.

XLVI. (XLV.) Jam vero illa[1] non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque jura, quæ sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla, oratori nota esse debere. Nam ut in rerum privatarum causis atque judiciis depromenda sæpe oratio est ex jure civili, et idcirco, ut ante diximus, oratori juris civilis scientia necessaria est: sic in causis publicis judiciorum, concionum, senatus, omnis hæc et antiquitatis memoria, et publici juris auctoritas, et regendæ reipublicæ ratio ac scientia, tamquam alia materies[2], iis oratoribus, qui versantur in republica, subjecta esse debent. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam, hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui pri-

tionem referri durius est: deberet esse *isto*, scil. subsidio, quod propinquum est. — Male Ernest. delet *ista*. Reprehendit Gœrenz. ad Cic. Acad. I, 2, p. 15. J. V. L.

7. *Suarum rerum*. Versus tres iambici e tragœdia quadam Enniana.

XLVI. 1. *Jam vero illa non longam*, etc. Schützius delet *vero* cum Guelf. duobus.

2. *Tamquam alia materies*. Schütz. dat cum Lallem. « tamquam aliqua materies ». Idem infra *debet* pro *debent*.

mum sit ejus artis antistes, cujus[3] quum ipsa natur magnam homini facultatem daret, tamen esse deus putabatur[4], ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum[5] per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde, qui possit, non tam caduceo[6], quam nomine oratoris ornatus, incolumis, vel inter hostium tela, versari; tum, qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subjicere odio civium, suppliciqoque constringere; idemque ingenii præsidio innocentiam judiciorum pœna liberare; idemque languentem labentemque[7] populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos, mitigare; qui denique, quemcumque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit, vel sedare.

Hanc vim si quis existimat, aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat; neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa, ita[8] putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem

3. *Cujus*. Supple et construe « cujus artis antistes deus esse putabatur, quum, etc. »

4. *Tamen esse deus putabatur*. Edd. *putatur*, quod manifeste falsum est, inter media imperfecta, *daret*, *erat*, *videretur*. *Deus esse*, int. qui istam facultatem daret : nisi malis legere *deum*. Respicitur ad fabulas, quæ ut poeticæ, ita eloquentiæ auctorem deum aliquem fecere Apollinem. Ern. — Schützius tenuit *putatur* cum Vict. et codd. Guelf. 1, 2.

5. *Partum*. Edd. pr. habent *factum*. Ed. Lips. etiam *perlatum*. Ern.

6. *Caduceo*. Caduceus erat virga, quam feciales gerebant, quum ad hostes Romanorum mitterentur, seu belli seu pacis causa : quamque præ se ferentes, sacri et ideo non violandi putabantur. Pearce. — Qui virgam illam, insigne pacis, gestabant, erant jure gentium ubique tuti et incolumes. Hæc est porro hujus loci sententia : Orator, non tam legati persona, quam orationis auctoritate tutus sit.

7. *Labentemque*. Schützius dat cum Lambino *labantemque*.

8. *Itinera ipsa, ita putavi*. Schütz. delet *ita*.

(quod et infinitum est[9], et non necessarium), sed ut commonstrarem tantum viam, et, ut fieri solet[10], digitum ad fontes intenderem.

XLVII. (XLVI.) — Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te videtur istorum studiis, si modo sunt studiosi, esse factum. Nam, ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si quis[1] satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendæ percipiendæque virtutis (quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent se[2] esse, quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam) : sic ego intelligo, si in hæc, quæ patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis; facillime vos ad ea, quæ cupitis, perventuros ab hoc aditu, januaque patefacta.

—Nobis vero, inquit Sulpicius, ista sunt pergrata perque jucunda : sed pauca etiam requirimus, inprimisque ea, quæ valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt, quum illa te et non contemnere, et didicisse confiterere. Ea si paullo latius dixeris, expleris omnem exspectationem diuturni desiderii nostri. Nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere.(XLVII.) — Quid si, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestræ potius obsequutus sum

9. *Infinitum est, et non necessarium.* Quod nimis longam orationem postularet, nec est necessarium, quia eximio ingenio præditi, ut estis, quæ taceo supplere potestis, viamque tenere semel commonstratam.

10. *Et, ut fieri solet.* Non dubito rescribendum esse *dici :* est enim modus loquendi proverbialis : et in vulgato sensus commodus non est. ERN. — Schützius Ernesti correctionem in textum intulit.

XLVII. 1. *Si quis satis esset concitatus.* Lallem. cum Schutzio, «si qui satis esset concitatus», et sic tres Regii, teste J. V. L.

2. *Mallent se esse.* Schütz. *mallent esse se.* 7

voluntati, quam aut consuetudini, aut naturæ meæ, petimus ab Antonio, ut ea, quæ continet, neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse jamdudum questus est, explicet nobis, et illa dicendi mysteria enuntiet? — Ut videtur, inquit Sulpicius. Nam Antonio dicente, etiam quid tu intelligas[3], sentiemus.

— Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni[4], hominibus id ætatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quæri vides, sentias.

XLVIII. (XLVIII.) — Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio, non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt. Verum hoc ingrediar ad ea, quæ vultis, audacius, quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla exspectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam numquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quæ in commentarium meum retuli, sunt ejusmodi[1], non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata: quæ si vobis, hominibus eruditissimis, non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quæsieritis, quæ ego nescirem; meam facilitatem laudatote, quum vobis, non meo judicio, sed vestro studio inductus, non gravate respondero.

3. *Quid tu intelligas, sentiemus.* Immo « quid tu sentias, intelligemus ». Sic mox, « ut exponas, quid de iis rebus sentias ». Res est ita evidens, ut sic rescribere non dubitarim. Ern. — Quem Sch. sequutus est.

4. *Quoniam id nobis, Antoni, homin. id ætatis, oneris ab horum.* Sch. dat : « quoniam id nobis oneris, Antoni, hominibus id ætatis, ab horum ». — *Hom. id ætatis.* Int. sine respectu ætatis nostræ.

XLVIII. 1. *Sunt ejusmodi.* Int. non diserta, qualia sum dicturus. Ern.

—Tum Crassus, Perge modo, inquit, Antoni. Nullum est enim periculum, ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminem nostrum pœniteat ad hunc te sermonem impulisse.

(XLIX.) — Ego vero, inquit, pergam; et id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo : ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse[2] illud, quo de agitur, intelligant[3]. Nam, si forte quæreretur, quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator : qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adjungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi; quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem; utererque exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hannibalem, atque ejus generis homines nominarem. Sin autem quæreremus[4], qui esset is, qui ad rempublicam moderandam usum, et scientiam, et studium suum contulisset, definirem hoc modo : qui, quibus rebus utilitas reipublicæ pararetur augereturque, teneret, iisque uteretur; hunc reipublicæ rectorem, et consilii publici auctorem esse habendum;

2. *Non idem esse illud.* Schützius delet *esse*.

3. *Intelligant.* Sic Ernest. correxit. Vulg. *intelligent*.

4. *Sin autem quæreremus.* Sic recte pro vulgatu *quæremus* edidit J. Gronovius, ante Victorius : postulante temporum vicinorum ratione, et tota serie orationis : « Nam si quæreremus ... sin autem quæreremus ». Talia ergo sine libris corrigenda, ut nos sæpe fecimus, eodem exemplo. *Quæremus* est compendio scripturæ ortum. Lips. ed. habet *quæreretur*, quod si quis malit, quia et ante et post sic est, non repugnem. Ern.

prædicaremque P. Lentulum, principem illum, et Tib. Gracchum patrem, et Q. Metellum, et P. Africanum, et C. Lælium, et innumerabiles alios quum ex nostra civitate, tum ex ceteris. Sin autem quæreretur, quisnam jurisconsultus vere nominaretur; eum dicerem, qui legum, et consuetudinis ejus, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum, et ad agendum [5], et ad cavendum, peritus esset; et ex eo genere Sex. Ælium, M'. Manilium [6], P. Mucium nominarem.

XLIX. Atque, ut jam [1] ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poeta quæratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius ab quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia pæne profitetur, est tamen quædam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum divinarum atque humanarum vim, naturam causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. Oratorem autem, quoniam de eo quærimus, equidem non facio eumdem, quem Crassus; qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine: atque eum puto esse, qui verbis [2] ad audiendum jucundis, et sententiis ad probandum accommodatis uti possit

5. *Et ad respondendum, et ad agendum*. Hoc verbum *agendum* mihi semper vitiosum visum est, quia JCti, ut JCti, non agunt; et alias *scribere* ceteris duobus *respondere* et *cavere* jungitur, ut pro Muren. cap. 9. Ergo corrigendum *ad scribendum*, ut feci sine libris; nec quis, in tanta evidentia, reprehendat. Ern.—Quem Schützius sequutus est.—*Agere*, est actiones in jure dirigere. Tutus liber est Instit. Justiniani *de actionibus*.

6. *M'. Manilium*. Sic dedi *M'. Man.* ut res postulabat. Vide Clavem. Ern.

XLIX. 1. *Ut jam ad lev*. Schützius delet *jam* auctoritate cod. Guelf. 2.

2. *Qui verbis*. Lallem. dat « qui et verbis ».

in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem, eumque esse præterea instructum voce, et actione, et lepore quodam volo. (L.) Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis pæne, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit : in quo per mihi mirum visum est, Scævola, te hoc illi concedere; quum sæpissime tibi senatus, breviter impoliteque dicenti, maximis sit de rebus assensus. M. vero Scaurus, quem non longe, ruri, apud se esse audio, vir regendæ reipublicæ scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis et consilii sui vindicari[3] a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas; jam, credo, huc veniat, et hanc loquacitatem[4] nostram vultu ipso adspectuque conterreat : qui quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis, quam dicendi arte, nititur. Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille consilii publici auctor ac senator bonus, ob eam ipsam causam orator est; aut hic disertus atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, illam scientiam[5] dicendi copia est consequutus. Multum inter se distant istæ facultates, longeque sunt diversæ atque sejunctæ; neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Lælius, qui omnes elo-

3. *Vindicari a te, Crasse, quod eam*, etc. Res vindicantur, quas repetimus utpote nostras ab aliis, qui eas possident non jure.

4. *Loquacitatem nostram vultu ipso.* Schützius ait fortasse verius *licentiam.*

5. *Illam scientiam dicendi copia est consequutus.* Sequutus sum Manutium et Lambinum, qui sine libris sic edidere pro *aliquam*, quod plane alienum est ac vitiosum. Edd. pr. fluctuant inter *aliquam copia* et *aliqua copiam*. Sensus est, Si illam, quam dixi, scientiam reip. regendæ æquavit copia dicendi. Ern. — Sch. dat *alienam scientiam* ex Wyttenbachii emendatione.

quentes fuerunt, orationem suam et reipublicæ dignitatem ornabant.

L. Neque enim est interdictum aut a rerum natura, aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius, quam singulas artes, nosse liceat. Quare non, etsi eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco ejusdem hominis[1] atque artis utraque facultas existimanda est; nec, si P. Crassus idem fuit eloquens, et juris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi juris civilis scientia. Nam si quisque, ut, in aliqua[2] arte et facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumpserit, ita perficiet, ut, quod præterea sciet, id ejus, in quo excellet, pars quædam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene, et duodecim scriptis ludere[3], proprium esse juris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit; eademque ratione dicantur, et quos φυσικοὺς Græci nominant, iidem poetæ, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut propria[4], sua esse, atque a se possideri volunt, dicere audent, geometriam, aut musicam, philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus præstantissimum fuisse fateantur. Ac, si jam placet omnes artes oratori subjungere, tolerabilius est, sic potius dicere, ut, quoniam dicendi

L. 1. *Ejusdem hominis*. Supple *propria*: non inde concludi potest utramque facultatem in eodem homine necessario reperiri debere.

2. *Ut, in aliqua... ita perficiet.* Vulgo *is perf.* W. *iis*: utrumque manifeste vitiosum. Nihil certius correctione nostra, ut omnes sentient statim. Adjuvat ed. Lips. quæ habet *id*. Ern.

3. *Duodecim scriptis ludere.* Non aliter etiam Pall. nostri, ut et in suis repererat P. Victorius, egregieque tuetur libro V Var. Lectionum, cap. 50. Grut.

4. *Qui omnia, sicut propria, sua esse.* Fortasse legendum: « qui cetera omnia scilicet proprie sua esse, atque a se, etc. » Sch.

facultas non debeat esse jejuna atque nuda, sed adspersa atque distincta multarum rerum jucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse; neque ea, ut sua, possedisse; sed, ut aliena, libasse. Fateor enim, callidum quemdam hunc, et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

LI. (LI.) Neque vero istis tragœdiis tuis [1], quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere, quum eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui rerum omnium naturam [2], mores hominum atque rationes penitus perspexerit: in quo philosophia sit oratori necessario percipienda; quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas ætates videmus esse contritas. Quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror: nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est, ea de moribus [3] hominum et scire, et dicere, quæ non abhorrent ab hominum

LI. 1. *Istis tragœdiis tuis.* Tragœdias in nugis agere dicuntur, qui rem parvam clamitando, ut fieri solet a tragœdiarum actoribus, magnam faciunt. PRUST.

2. *Nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit.* Schützius, quasi nexu sententiarum postulante, sic emendat: « nisi qui hominum naturam, et motus animorum eorumque rationes penitus perspexerit ».

3. *Ea de moribus hominum . . . ab hominum moribus.* Primum de moribus intelligendum de natura hominis, qua pertinet ad mores, in qua et motus animi intelliguntur, quos et paullo ante diserte commemoravit. *Ab hominum moribus* autem de consuetudine vitæ communis, quæ docet, qui homines, quibus rebus commoveri soleant. Nec tamen alienus sum a suspicione, legendum esse *de motibus animorum*. Nam de his proprie disputat etiam in sequentibus, ubi et diserte *motus animorum* commemorantur. ERN. — Schützius Ernestii conjecturam in textum suum intulit.

moribus. Quis enim umquam orator magnus, et gravis, quum iratum adversario judicem facere vellet, hæsitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis[4], an cupiditas puniendi doloris[5]? Quis, quum ceteros animorum motus aut judicibus, aut populo dicendo miscere atque agitare vellet, ea dixit, quæ a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, quique eos in judicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse, et ad veritatem vitæ propius accedere, permediocres ac potius leves motus debere esse dicunt. Orator autem omnia hæc, quæ putantur in communi vitæ consuetudine, mala, ac molesta, et fugienda, multo majora et acerbiora verbis facit; itemque ea, quæ vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat; neque vult ita[6] sapiens inter stultos videri, uti, qui audiant, aut illum ineptum et Græculum[7] putent; aut, etiamsi valde probent ingenium oratoris, sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant: sed ita peragrat per[8] animos hominum, ita sensus mentesque pertra-

4. *Fervorne mentis.* Schötzius ex Purgoldi coojectura emendat *errorne mentis.*

5. *Cupiditas puniendi doloris.* Id est, olciscendi doloris, quem aliorum iojuriæ nobis fecerunt. Simili modo loquutus est Cicero in orat. pro Milone: « fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor iojuriæ, punitor doloris sui ». Pearc.

6. *Neque vult ita*, etc. Sensus est: Nec iocidit in illud vitium commune philosophis, ut videatur se solum sapientem ioter stultos profiteri.

7. *Aut illum ineptum et Græculum.* Retepi cum Pearcio *et Græc.* Et est evidens, *ineptum* et *Græculum* copulari: quod respoodet primo *aut*, mox seqoitor. Sed etiam » illum » est alieno loco: scripserim « aot ineptom illum et Græc. » quæ est plane Cicerooiana collocatio, vel « ot qui audiaot illom, aot in. et Gr. » Quia ambigo, utrum verioa? oihildum mutavi. Ern. — Schützius dedit « aut ineptum illom et Gr. »

8. *Peragrat per animos hominum, ita sensus*, etc. Lambinus expunxit *per*, non necessario et nolentibus MSS. Grut.

ctat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone sit, an in corpore; virtute an voluptate definiatur; an hæc inter se jungi copularique possint; an vero, ut quibusdam visum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci et percipi possit : quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas, variasque rationes; sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quærimus. Acuto homine nobis opus est, et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives, iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent.

LII. (LII.) Teneat oportet venas cujusque generis, ætatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid [1] aget, aut erit acturus, mentes sensusque degustet; philosophorum autem libros reservet sibi ad hujuscemodi Tusculani requiem atque otium, ne, si [2] quando ei dicendum erit de justitia et fide, mutuetur a Platone; qui, quum hæc exprimenda verbis arbitraretur, novam quamdam finxit in libris civitatem : usque eo illa, quæ dicenda de justitia putabat, a vitæ consuetudine, et a civitatum moribus abhorrebant. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus; quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro, et amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima [3] concione

LII. 1. *Apud quos aliquid aget.* Schützius delet *aliquid*, ut male inculcatum.

2. *Ne, si quando.* Schützius dat *nec, si quando.*

3. *In maxima concione.* Lex Sempronia, quám tulerat C. Gracchus anno U. C. 630, judicia a senatoribus ad equites transtulerat. Servilius Cæpio, (de quo mentio erit in lib. II), legem tulit anno 647, qua senatores cum equitibus judiciorum ferendorum participes fiebant. Quæ quidem lex locum dedit clarissimis oratoribus partes vel senatus vel equitum defendendi; Crassusque jura senatus propugnans, hanc habuit orationem, cujus verba a Tullio citata supersunt. Sed videtur le-

tuorum civium, quæ dixisti? « Eripite nos[4] ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri; nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus ». Omitto « miserias », in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest; omitto « fauces », ex quibus te eripi vis, ne judicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus; quod sapienti negant accidere posse : « servire » vero non modo te, sed universum senatum, cujus tum causam agebas, ausus es dicere? Potestne virtus, Crasse, servire[5], istis auctoribus, quorum tu præcepta oratoris facultate complecteris? quæ et semper[6], et sola libera est, quæque, etiamsi corpora capta sint armis, aut constricta vinculis, tamen suum jus, atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat[7]. Quæ vero addidisti, non modo senatum servire « posse » populo, sed etiam « debere », quis hoc[8] philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, probare posset? Sena-

gem Serviliam brevi obsolevisse : nam anno 662 eadem lex iterum lata fuit a Druso tribuno. Vide Brut. c. 34.

4. *Eripite nos*, etc. Verba sunt deprompta ex oratione quadam, quam Crassus paullo ante ad populum habuerat; qua vehementer conquerebatur de equitibus romanis, qui quum judicia impotentius et iniquius exercerent, tum vero senatum vehementer vexabant. Crassus igitur, qui senatorum partes et causam tuebatur, ita alloquebatur populum : « Eripite nos, etc. » Paust.

5. *Servire*. Plerique omiserunt signum distinctionis post hoc verbum. Atqui sensum pervertere omissio illa potest, et parum cautos inducere, ut putent, *istis auctoribus* esse tertium casum, quem ducat verbum *servire*, quum sextus sit casus, isque, ut grammatici loquuntur, absolutus. Est enim hic sensus : Isti, Crasse, philosophi, quorum tu præcepta ad oratoris facultatem pertinere censes, an auctores sunt tibi, dicunt, pronuntiant, posse fieri, ut virtus serviat, et non sit libera? Oliv.

6. *Quæ et semper*. Videndum Ciceronis paradoxum, cujus hæc est inscriptio : « Omnes sapientes liberi, omnes stulti servi ». Paust.

7. *Debeat*. Sch. dat *debet*.

8. *Quis hoc... referens, probare posset?* Schützius dat : « hæc, quis... referens, probare posset? »

tum servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas, tradidisset?

LIII. (LIII.) Itaque hæc quum a te divinitus[1] ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus[2], homo doctus, et philosophiæ deditus, non modo parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat. Idemque Servium Galbam[3], quem hominem probe commeminisse[4] se aiebat, pergraviter reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quæstionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, quum M. Cato, Galbæ gravis atque acer inimicus, aspere apud populum romanum et vehementer esset loquutus; quam orationem in Originibus suis exposuit ipse. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, Q. pupillum[5] filium ipse pæne in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, et duos filios suos parvos tutelæ populi commendasset, ac se, tamquam in procinctu[6] testamentum

LIII. 1. *Div. ego d. a.* Delevi *et* ante *ego*: nam et languet, et ab omnibus edd. vett. abest, et scr. ut E. Sic et Pearcius. Ern.

2. *P. Rutilius Rufus.* De quo in Bruto, cap. 30.

3. *Idemque Servium Galbam.* Edd. vett. consensu « Idem Q. Servium G. » ex quo recte factum « Idemque Serv. Galb. » Hoc notavi, ut indagaturis veras lectiones e vitiosis scripturis prodesset. Simile exemplum in MS E. reperi, ubi sic prænomen Q. factum erat. Ern. — De Ser. Galba in Bruto, cap. 21.

4. *Probe commeminisse.* Sic bene pro « probe nosse et commeminisse » dedere Junt. et Aldus. Sic et MS Erl. habet: *nosse* abest etiam ab ed. W. quæ et *meminisse* habet, ut aliæ. Nec latinitas patitur *nosse* sic dici, ut hic intelligi deberet. Ern. — Et Gruterus testatur *nosse* non inveniri in Pall. omnibus, neque in chartaceo Memmii.

5. *Q. pupillum filium.* Sch. dat: « filium Q. pupillum ».

6. *Tamquam in procinctu.* Milites romani pugnam commissuri, tribus pluribusve commilitonibus audientibus, heredem nominare solebant, ut si caderent in prælio, testamento condito morerentur; hoc est « in procinctu testamentum facere ». Vide Gell. XV, 27. Quintil. Inst. Orat. lib. XII, cap. 9, occurrit « in procinctu stare », et Ovidius, de Ponto, lib. I, epist. 8,

faceret, sine libra atque tabulis[7], populum romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaque quum et invidia et odio populi tum Galba premeretur, his quoque eum tragœdiis[8] liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, « nisi pueris et lacrymis usus esset, pœnas eum daturum fuisse ». Hæc Rutilius valde vituperabat, et huic humilitati, dicebat, vel exsilium fuisse, vel mortem anteponendam. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit, et fecit. Nam quum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiæ; quumque illo nemo neque integrior esset in civitate, neque sanctior, non modo supplex judicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem, aut liberius[9] causam dici suam, quam simplex[10] ratio veritatis ferebat. Paullum huic Cottæ tribuit partium[11], disertissimo adolescenti, sororis suæ filio.

ait : « Hæc in procinctu carmina facta puta », id est, sine multa meditatione, et quasi ex tempore facta. Prust.

7. *Sine libra atque tabulis*. Aliud erat testamenti genus per familiæ mancipationem; quo paterfamilias imaginaria venditione jus omne suum, ac bona transferebat in alium. In porro ritus erat : quinque testibus, ac libripende, præsentibus, futurus heres imaginarii pretii nomine nummum æneum dabat patrifamilias, ac solemnem verborum formulam pronuntiabat : hujus ego familiam, quæ mihi empta est hoc ære, æneaque libra, jure Quiritium, meam esse aio. Deinde ære percutiens libram, illud æs dabat patrifamilias, qui tum hereditatis adeundæ jus emptori concedebat. Is autem, qui emebat, vocabatur emptor familiæ : eaque testamenta in tabulis scribebantur. Tertium testamenti genus calatis comitiis in populi concione fiebat. Consule Gellium, lib. XV, c. 27. Prust. — Vide Gaium, Comm. II, 101 sqq.

8. *His quoque eum tragœdiis*. Sch. dat : « hisce eum tragœdiis ».

9. *Liberius*. Man. *uberius*.

10. *Quam simplex ratio v. ferebat*. Vulgo *oratio*, quod hic alienum esse in promptu est. *Ratio* jam edidere Aldus et Junta ante Pearcium. Sic et MS E. *Ferebat* accipiendum est, ut dictum e persona Antonii : alias esse deberet *ferret*. Ern. — Vid. Brut. 30.

11. *Paullum huic Cottæ tribuit partium*. Id est, parvam aliquam partem causæ orandæ tribuit huic Cottæ, ut respondeat sqq. « dixit item ... ex parte ». Etsi durius est, tamen non abhorret a consuetudine. Cicero ipse dixit alibi, *paullum novi*, aliique similiter, etsi raro. Ern. — Oratores et patroni alii erant primarum partium, qui principem causæ locum, ac defen-

Dixit item causam illam quadam ex parte Q. Mucius, more suo, nullo apparatu, pure et dilucide. Quod si tu tunc[12], Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam, petendum esse paullo ante dicebas; et, si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere : quamvis scelerati illi[13] fuissent, sicuti[14] fuerunt, pestiferi cives, supplicioque digni; tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuæ. Nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis civitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rempublicam imploravit, nemo supplicavit. Quid multa? pedem nemo[15] in illo judicio supplosit, credo, ne stoicis renuntiaretur.

LIV. (LIV.) Imitatus est homo romanus et consularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex, aut reus, sed magister, aut dominus videretur esse judicum. Quin etiam, quum ei scriptam[1] orationem

sionis, habebant : qui primi dicebant, vel de rebus præcipuis; alii secundarum; alii tertiarum, etc. Prust. — Inde patet sensum non vidisse gallicum interpretem, qui vertit : «il se relâcha un peu de ce stoicisme en faveur du talent de Cotta, son neveu ».

12. *Quod si tu tunc.* Sic, non « quid si tu nunc »: in quo ultimum est contra rem. *Quid* non consentit sequentibus: quod edidimus est in MS E. edd. s. l. et a. Med. Asc. Ald. Lips. *tunc* etiam in ed. W. Ern.

13. *Quamvis scelerati illi f. Illi* int. *judices* e superioribus, aut adde. Ern. — Erant tunc penes equites judicia, qui quum aviditati suæ infestum Rutilium in Asia sensissent, reduci acceptæ in legatione sua pecuniæ falso accusatum, indignantibus omnibus bonis damnaverunt.

14. *Sicuti.* Schützius dat *sicut.*

15. *Pedem nemo.* Valet pedis supplosio, ut Cicero monet, in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Si fuerit crebrior, inepti hominis est, ut docet Fabius. Prust.

LIV. 1. *Scriptam orationem.* Veti-

disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in judicio uteretur, non invitus legit, et commode scriptam esse dixit: «Sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios[2] attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi et oratoriam[3] videri, fortem et virilem non videri». Ergo ille quoque damnatus est; neque solum primis[4] sententiis, quibus tantum statuebant judices, damnarent, an absolverent, sed etiam illis, quas iterum[5] legibus[6] ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio[7]; et sententia quum judicibus da-

tum olim Athenis fuit, ne quis ad suam defensionem oratorem adhiberet. Igitur Lysias orator tum optimus scribebat orationes, quas eloquentiæ rudes, qui pro se ipsi dicere jubebantur, edisceret, ac pronuntiarent. Ea causa fuit, cur scriptam orationem obtulerit Socrati. Paust.

2. *Sicyonios*. Sicyon urbs Peloponnesi, in Græcia, Corinthum inter et Athenas. Hic olim muliebres calcei elegantissimi conficiebantur. Paust.

3. *Oratoriam videri*. Schützius dat *ornatam*.

4. *Neque solum primis*. Vid. de re Vales. ad Harpocr. p. 42.

5. *Quas iterum*, etc. Quibus de pœna statuerent, et æstimarent quam gravis deberet esse. Id autem fiebat, quum fraus capitalis non erat, seu quum crimen capite plectendum non erat. Alioquin gravioribus delictis erat pœna capitis legibus constituta. His igitur sententiam ferebant judices; semel quum damnabant reum; iterum quum pœnam constituebant. Paust.

6. *Legibus*. Hoc verbum mihi interdum suspectum visum, quia intelligitur per se, nec solet addi talibus: ferri tamen potest. Ern.

7. *Quasi pœnæ æstimatio*. Pearcius cum Lamb. *pœnæ* deleri vult: nempe quia post simpliciter est *æstimatio* (gr. ὑποτίμησις); quod non est satis. Voluit hic explicationem rei, non solum verbum juris dare, in quo etiam unde dictum est, ut alia. Exemplum simile est in eodem verbo de æstimationibus bonorum. Vid. Clav. Edd. W. s. l. eta. et cod. E. habent, «quasi pœna ea existimatio», vulgari vitio, pro *æstimatio*; quod esse factum e *pœnæ æstimatio* in promptu est. Porro eædem edd. et Lips. habent *et sent.* quod restituimus; nec enim *ex sent.* habere hic sensum commodum potest. Sensus est: Et quum judices juberentur sententiam ferre, nempe alteram, ante interrogabatur ab iis reus. Ern. — Apud Romanos *æstimare litem* (de quo Cicero sæpius loquitur) significavit, computare quantum pecuniæ is, qui in privatis judiciis causa cecidisset, adversario solvere deberet: quum vero apud Athenienses reus damnaretur de publico quodam crimine, non

retur[8], interrogabatur reus, quam quasi æstimationem[9] commeruisse se maxime confiteretur : quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et præmiis decoraretur, et ei victus quotidianus in Prytaneo[10] publice præberetur; qui honos[11] apud Græcos maximus habetur. Cujus responso sic judices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Qui quidem si absolutus esset; quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter ejus ingenii magnitudinem vellem : quonam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, quum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam, tamen a se oportere dicunt peti præcepta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum sit melius, aut verius : tantum dico, et aliud illud esse, atque hoc, et hoc sine illo summum esse posse.

LV. (LV.) Nam quod jus civile, Crasse, tam vehementer amplexus es[1]; video, quid egeris. Tum, quum dicebas, videbam. Primum Scævolæ te dedisti, quem omnes amare meritissimo pro ejus eximia suavitate

capitali, judicibus aliquando licuit, vice pœnæ (ut vocant) corporalis, multam illi irrogare. Hoc Cicero vocat quasi æstimationem. PEARC. — Si vera est, ut opinamur, Pearcii observatio, erravit interpr. gallicus, qui vertit : « La législation athénienne permettait au condamné d'estimer lui-même la peine qu'il avait méritée ».

8. *Judic. daretur*. Uterque Gron. legit *vindicibus* : quorum rationem non intelligo. ERN.

9. *Quasi æstimationem*. Hæc delet Schutzius.

10. *In Prytaneo*. Locus Athenis, ubi publico sumptu alebantur ii, qui de rep. optime meriti essent. PEARC.

11. *Qui honos a. Gr. m. habetur*. Hoc non dixit Socrates; sed is qui narrat. Itaque *habetur* necessario legendum, nosque ita edidimus, non *haberetur*, ut est in libris omnibus, quos vidimus. Apud Platonem in Apol. p. 36, simpliciter dicit Socrates, se in Prytaneo alendum esse, nihil de honore illius rei. ERNEST. — *Quonam modo.....ferre possumus*. Nonne essent prorsus arrogantia sua intolerabiles ?

LV. 1. *Vehementer amplexus es*. Id est, hac tua oratione laudavisti. — *Scævolæ te dedisti*, etc. Sic pro

debemus : cujus artem quum indotatam esse et incomptam[2] videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. Deinde quod in ea tu plus operæ laborisque consumpseras, quum ejus studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. Sit sane tanta, quantam tu illam esse vis. Etenim sine controversia et magna est, et late patet, et ad multos pertinet, et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio etiam hodie præsunt[3]. Sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno ornatu[4] velis ornare juris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. Nam, si ita diceres, qui jurisconsultus esset, esse eum oratorem[5], itemque qui esset orator, juris eumdem esse consultum : præclaras duas artes constitueres, atque inter se pares, et ejusdem socias dignitatis. Nunc vero, jurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quærimus, fateris esse posse, fuisseque plurimos; oratorem negas, nisi illam

vulgato *dedidisti* edidimus. Nam sic edd. pr. ante Ald. et MS Erl. *dare se alieni* dicit Cicero, pro dicere se facere quæ alteri sint grata, ut *dare se populo*, non *dedere*. Vid. Clav. in *dare*. Ed.

2. *Quum indotatam esse et incomptam*. In vulgatis additur *et incomitatam*, quod primo ex *incomptam* factum, deinde cum eo in textu conjunctum est. Ejus generis plura exempla a viris doctis notata sunt. Recte jam delevit Pearcius, quem vide. Ern. — Contra Gruterus : quidam docti putant hinc alienum *atque incomitatam* ; sed minime est : respicit enim ad mulieres quibus comites et pedisequæ ; ut vel notum ex Amphitryone Plauti.

3. *Ei studio etiam hodie* [illegible]*esunt.* Edd. W., s. l. et a., Med. h[illegible]t *et pro etiam*, ut MS E. Sed Victorius edidit : « ei studio et semper præfuerunt, et etiam hodie præsunt », quod et in MSS reperit Lambin. nec displicet. Sic in Lips. Ernest. — Ed. Omnib. Victorii lectionem præbet, nisi quod abest *etiam* : ex qua Schützius dedit : « ei studio et olim præfuerunt et hodie præsunt ».

4. *Et alieno ornatu*. Schützius dat *et alieno vestitu*, advocans locum e Brut. 95 : « vestitu illo orationis..... ornata ».

5. *Esse eum oratorem*. Videtur et hic *eumdem* legendum esse, aut inverse *eum esse or.* nisi malis eum MS

scientiam assumpserit, esse posse. Ita est tibi[6] jurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius[7] quidam cautus et acutus, præco actionum[8], cantor formularum[9], auceps syllabarum[10]; sed quia sæpe utitur orator subsidio juris in causis, idcirco istam juris scientiam eloquentiæ tamquam ancillulam pedisequamque adjunxisti.

LVI. (LVI.) Quod vero impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, quum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quæ maxima essent in jure civili, tractare auderent in causis, quum ea nescirent, numquamque didicissent; utriusque rei facilis est et prompta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coemptio fiat[1], nesciat, eumdem ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, causam

E. *et esse eum or.* ut et habet ed. Lips. Sed mox, post *esse consultum*, excidit *debere*, quod et res et sententia et sequentia flagitant: *ejusdem socias dignitatis*. Ern.

6. *Ita est tibi.* Sic correximus *ita et tibi*, quod planissime vitiosum est: nam aliud *et* sequi deberet, aut in superioribus de aliquo dictum esse, qui ita sensisset: at neutrum est. In tanta evidentia nihil dubitavi corrigere. Ernest.

7. *Leguleius.* Is est, qui legum apices minutasque formulas juris callet et sequitur. Proust.

8. *Præco actionum.* Qui denuntiat imperitis juris, quando agi lege, necne possit: quo genere actionis suum quisque jus persequatur: qui sic interest actionibus et litibus, ut præco auctionibus ac venditionibus. Strab.

9. *Cantor formularum.* Editio vetustissima *cautor*, quod et in Pal. quinto, sexto, oct. nono, item uno Memmiano: sed prius hæret in ceteris Pal. tert. quart. sept. videturque aptius. Bernardus Martinius emendabat e MS *cator form.* qui consulatur Var. lib. V, cap. 3. Gulielmius maluisset: « prædo actionum, captor formularum, etc. » Gruter. — *Cantor formularum*, qui juris formulas recitat. Formulæ autem sunt concepta verba, quibus vel patroni, vel judices utuntur in foro: quæ quia semper eamdem formam retinent, et ex iis informantur lites, ideo formulæ appellantur: interdum etiam dicuntur carmina. Proust.

10. *Auceps syllabarum.* Qui syllabas et interpunctiones omnes, puta legis alicujus, testamenti, etc. expendit, ac, velut auceps aviculas observat, et persequitur. Proust.

LVI. 1. *Quibus verbis coemptio fiat.* Coemptio fuit formula quædam matrimonii contrahendi, qua mulier (teste Varrone) assem unum, tamquam emendi causa, marito dare solebat, verbisque quibusdam solemnibus uti, quibus coemptionem fecerit. Prarc.

posse defendere[2]; nec si parvi navigii et magni[3] eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis erctum cieri[4] oporteat, nesciat, idem herciscundæ familiæ causam agere non possit. Nam, quod maximas centumvirales causas in jure positas protulisti : quæ tandem earum causa fuit, quæ ab homine eloquenti, juris imperito, non ornatissime potuerit dici? quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M'. Curii, quæ abs te nuper est dicta, et in C. Hostilii Mancini controversia, atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de jure dissensio. Quæro igitur, quid adjuverit oratorem in his causis juris scientia, quum hic jurisconsultus superior fuerit discessurus[5], qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non juris scientia, sed eloquentia, sustentatus. Equidem hoc sæpe audivi, quum ædilitatem P. Crassus peteret, eumque major natu, etiam consularis, Ser. Galba assectaretur[6], quod Crassi filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quemdam rusticanum : qui quum Cras-

2. *Defendere ; nec si.* Primum hic colon pro puncto scripsi : cohærent enim ista. Dein, in altera parte *nec*, *si*, etc. antecedens non satis consentit consequenti. Nam illud affirmat, hoc negat. Sensus est : Etsi, ut tute dixisti, eodem modo navis parva et magna gubernatur, adeoque, qui magnam regere potest, etiam parvam potest; tamen secus est in causis agendis : et, qui parvam e jure civili agere non potest, tamen idoneus magnæ et publicæ agendæ potest esse. Ern.

3. *Et magni eadem.* Schützius dat « et magni non eadem », improbante J. V. L.

4. *Erctum cieri.* Castigatio debita P. Victorio, qui videatur Var. Lect. lib. XXXV, cap. 1, alluduntque eodem membranæ Pall. Grut. — *Ercisci*, sive *hercisci*, verbum vetus, significat dividere : herciscundæ familiæ judicium illud est, quod fit in rei, vel pecuniæ hereditariæ divisione. *Erctum*, ut ait Donatus, citatus a Servio in Æneid. III, hereditatem significat, et *citum* divisionem. Prust.

5. *Jurisconsultus superior fuerit discessurus.* Id est, causam obtenturus fuerit.

6. *Assectaretur.* Honoris causa et commendationis.

sum seduxisset, atque ad eum retulisset, responsumque ab eo verum magis, quam ad suam rem accommodatum abstulisset; ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit, quæsivitque, qua de re ad Crassum retulisset. Ex quo ut audivit, commotumque ut vidit hominem, Suspenso, inquit, animo et occupato Crassum tibi respondisse video: deinde ipsum Crassum manu prehendit, et, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere, ut respondisset; nec dubium esse posse. Galba autem alludens varie, et copiose, multas similitudines afferre, multaque pro æquitate contra jus[7] dicere; atque illum, quum disserendo par esse non posset (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbæ nullo modo), ad auctores confugisse, et id, quod ipse diceret, et in P. Mucii, fratris sui, libris, et in Sex. Ælii commentariis scriptum protulisse, ac tamen concessisse, Galbæ disputationem sibi probabilem et prope veram videri.

LVII. (LVII.) Attamen, quæ causæ sunt ejusmodi, ut de earum jure dubium esse non possit, omnino in judicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus esset[1], hereditatem petit? Nemo; quia constat, agnascendo rumpi testamentum[2]. Ergo in hoc genere juris

7. *Pro æquitate contra jus.* Æquitatis nomine intelligitur ἐπιείκεια, benignitas, qua lex scripta mitigatur, ratione habita rerum, personarum, ac temporum: jus autem, ut hic sumitur, est exacta et severa legis ad verbum interpretatio. Prust.

LVII. 1. *Filius natus esset.* Sic edidimus pro *est*, quod per latinitatem vix locum habet, ex edd. pr. Ernest.

2. *Agnascendo rumpi testamentum.* Si paterfamilias ante fecit testamentum, quam natus ei sit filius, ruptum est nato filio, et amittit jus omne ad hereditatem is, qui illo testamento heres fuerat institutus. Filius enim nascendo, quia inter agnatos prior est, ac potior, jus omne ad hereditatem

judicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem juris incontroversi[3] ignorare, quæ pars sine dubio multo maxima est: in eo autem jure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile[4] oratori, ejus partis, quamcumque defendat[5], auctorem aliquem invenire; a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. Nisi vero (bona venia hujus optimi viri dixerim, Scævolæ[6]) tu libellis, aut præceptis soceri tui, causam M'. Curii defendisti. Nonne arripuisti patrocinium æquitatis, et defensionem testamentorum, ac voluntatis mortuorum? Ac mea quidem sententia (frequens enim te audivi, atque affui), multo majorem partem sententiarum sale tuo, et lepore, et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium[7] acumen illuderes, et admirarere ingenium Scævolæ, qui excogitasset, nasci prius oportere, quam emori; quumque multa colligeres, et ex legibus[8] et ex senatusconsultis, et ex vita ac sermone communi, non modo acute, sed

sibi vindicat. Agnasci dicitur, qui nascitur cum aliis, qui ex eadem stirpe per viros deinceps ducta nati et sanguine conjuncti sunt. Prust.

3. *Juris incontroversi.* Pearcius ex edd. vett. restituit *in controversiis*: et est *incontroversi* a correctione Lambini, qui id opponebat juri ei, de quo ambigitur. Sed illud *in controversiis*, e quo *incontroversi* factum, est manifeste a glossatore. Nam ubi tale quid additur sententiæ huic: orator hoc potest ignorare, aut debet scire? Foret enim ineptum. Verba *hanc partem juris* referenda sunt ad superiora illa: « causæ, de quarum jure dubium esse non potest ». Itaque *incontroversi* reliquimus quidem in texto, ut melius altero, qua sensum, sed uncis inclusimus. Ern.

4. *Ambigitur inter peritissimos, non est difficile*, etc. *Est* pro *esse* e MSS bene reposuit Pearcius, quod nos etiam sine iis fecissemus, quia necessarium est: et sic correxeramus ante, quam Pearcianam correctionem legissemus. Est etiam sic in MSS E. et ed. Lips. Ern.

5. *Defendat.* Pearcius edidit *defendet*, quod nos in MS et apud Ald. et Junt. reperimus: sed vulgatum melius est, quod habent omnes editiones prr. Ern.

6. *Scævolæ.* Schütz. delet hanc vocem ut glossatoris.

7. *Nimium acumen*, nimiam subtilitatem jurisconsultorum.

8. *Et ex legibus.* Sic omnes edd. vett. et MS E. non sine *et*. Bene jam restituit Pearcius. Ern.

etiam ridicule ac facete, ubi[9] si verba, non rem sequeremur, confici nil posset. Itaque hilaritatis plenum judicium ac lætitiæ fuit : in quo quid tibi juris civilis exercitatio profuerit, non intelligo; dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate conjuncta, profuit. Ipse ille Mucius paterni juris defensor, et quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, quum contra te diceret, attulit, quod de jure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe ejus omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in ejusmodi causis alias scriptum, alias æquitatem defendere docentur. Et, credo, in illa militis[10] causa, si tu aut heredem, aut militem defendisses[11], ad Hostilianas te actiones[12], non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses. Tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamentorum jus in eo judicio positum videretur; vel si causam ageres militis, patrem ejus, ut soles, dicendo a mortuis excitasses; statuisses ante oculos; complexus esset filium, flensque eum centumviris commendasset[13]; lapides mehercule omnes flere ac

9. *Ubi* referendum ad *multa*, ut sit *ubi* tamquam *in quibus*. Eamdem rationem sequutus est Cic. in orat. pro Cæcina, quam vide cap. 18 et sqq.

10. *In illa militis causa*. De qua dictum superius. Pater filium, qui erat in exercitu, obiisse fatu audivit; alium instituit heredem; rediit miles : egit lege in paternam hereditatem. Prust.

11. *Defendisses*. Schütz. dat *defenderes*. Hoc, inquit, recte tuetur Heusingerus ad Cic. de Off. III, 19, 1.

12. *Hostilianas.....actiones*. Quia Hostilius iste sit ambigitur. Pomponius inter jurisperitos non recensuit. Actiones Hostilianas interpretantur nonnulli præscriptas Hostilia lege, quæ anno U. C. 583 lata est de furtis: ut furti agere liceret eorum nomine, qui apud hostes essent, etc. Prust.

13. *Complexus esset... commendasset... euegisset*. Hæc ad patrem referri debent. Sed ita vel patris no-

lamentari coegisset: ut totum illud, UTI LINGUA NUNCUPASSIT[14], non in XII Tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine[15] scriptum videretur.

LVIII. (LVIII.) Nam quod inertiam[1] accusas adole-

men poni debuerat, *complexus pater* (vel saltem, *ille*) *esset filium*, etc. et verba illa *complecti*, *flere*, *cogere*, non bene conveniunt parenti per figuram inducto. Itaque proclivis semper fui in hanc partem, ut hæc in secunda persona scripta a Cicerone putarem, *complexus esses*... *commendasses*... *coegisses*, ut Galba in filio Sulpicii, supra cap. 53. Omnino locus totus, *Et credo*, etc. inconstans est in temporibus. Primum sunt plusquamperfecta, dein imperfecta; rursus utrumque tempus conjuncte in uno: quæ non satis mihi videntur ingenio Ciceronis consentire. ERN. — Schutz. dedit *coegisses* pro *coegisset*, refertque ad antecedens *statuisses*.

14. *Uti lingua nuncupassit.* Hæc erant concepta verba duodecim tabularum: *uti lingua nuncupassit*, ita jus esto. Cujus formulæ et carminis ea sententia est, in dicundo jure ac statuendo habendam esse verborum et scripti rationem, et ita judicandum, verbi gratia, de pactione, stipulatione, venditione, uti ea pactio et venditio verbis concepta fuerit, seu uti lingua vendentium et contrahentium nuncupaverit, seu pronuntiaverit. PAUST.

15. *In magistri carmine.* *Carmen magistri* interpretor tabellam, quam magister proponebat, et qua perscribebat se alicujus bona venditurum. Ejus enim olim, qui multis debebat latitabatque, neque defendebatur, creditores prætorem adibant, apud quem querebantur, bonorumque possessionem petebant: quam et prætor dabat, atque in diem certam ea possidebant. Quæ quum venerat, prætorem rursus adibant, petebantque sibi ut liceret unum e suo numero deligere, qui bonorum venditioni præesset, qui *magister* dicebatur: is in compitis celebribus, et frequentibus urbis locis tabulam proponebat, se debitoris bona venditurum, his verbis: « Titius debitor noster incidit in causam venditionis bonorum: nos creditores ejus bona vendemus: qui volet emptor accedat ». Hanc, ut opinor, proscriptionem Cicero hic appellat *magistri carmen*. TURN. Advers. XXIII, 34. — Hæc forsan longius petita videbuntur, potiusque vv. *magistri carmen* interpretabere cujusdam jurisconsulti, qui nullam auctoritatem habet, præcepta.

LVIII. 1. *Nam quod inertiam.* Totus hic locus est impeditior, et fortasse etiam non ubique sanus. Causa difficultatis est ex eo, quod responsio ad reprehensionis partem primam non distincte ponitur, sed reprehensioni intexitur studio brevitatis. Dixerat inertiam esse, quod non discant artem, quæ primum facillima sit, deinde jucundissima. Ad primum respondetur his: « quæ quam sit facilis, etc. » ad alterum: « deinde quod plena sit del. » ubi etiam videtur esse debere, *quæ*: sed potest etiam referri ad *accusas*, quamquam id durius est. Tertia jam ratio: « Tum autem, quod censes, etc. » planius cum responsione explicatur. ERN. — Ut structura sententiæ ex ordine prodest *quæ* in *quæ quam sit facilis*, pro *ea* positum sume: et

scentium, qui istam artem[2], primum facillimam, non ediscant; quæ quam sit facilis, illi viderint, qui ejus artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant, deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram : deinde, quod[3] sit plena delectationis; in quo[4] tibi remittunt omnes istam voluptatem, et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum, qui, si jam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manilianas venalium[5] vendendorum leges ediscere. Tum autem quod amore patriæ censes nos nostrorum majorum inventa nosse debere : non vides, veteres leges aut ipsa sua[6] vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos jure civili fieri putas, quia legibus et præmia proposita sint virtutibus, et supplicia vitiis : equidem putabam, virtutem hominibus (si modo tradi ratione possit) instituendo et persuadendo, non minis, et vi, ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud, etiam

infra supple « et quod inertiam quoque accusas adolescentium, quod ars illa, quæ primum facillima est, deinde sit plena delectationis ».

2. *Istam artem, primum fac. non ediscant; quæ quam sit facilis, illi viderint.* Lambinus : « istam artem fac. non ediscant : quam sit facilis, primum illi viderint ».

3. *Quod sit plena delectationis.* Schütz. dat : « quæ sit plena delectationis », ut Ernest. volebat.

4. *In quo tibi remittunt omnes.* Alii, ut Ernest. « in qua tibi remittunt omnes », scil. arte.

5. *Manilianas venalium.* Sequutus sum auctoritatem Antonii Augustini, asserentis ita nomen istud scribi in Pandectis Florentinis. Vulgatur quidem passim *Manlianas* : sed alterum reperi in Pal. quint. et sept. nam oct. habebat *Manulianas* : sextus *Manillianas*, tert. quart. nonus *Mamillianas*, quod et in Memmiano : quibus proxime editio prima *Mammillianas*. Grut.

6. *Ipsa sua vet.* Sic edd. pr. MS E. *ipsas* primum apud Junt. reperi. Sic et Pearcius edidit. Alias *ipsas* explicari posset, *sua sponte* : quo sensu eleganter dicitur. Ern. — Schützius delet *sua* auctoritate MSS Erl. Guelf. 2, 3.

sine cognitione juris, quam sit bellum, cavere[7] malum, scire possumus.

De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut, sine ulla juris scientia, tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me umquam jus civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in jure possem defendere[8], umquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim, esse artificem cujusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum consuetudine nec hebetem, nec rudem. Cui nostrum non licet[9] fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis, invisere? tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni, aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Carthaginiensis[10] sunt libri perdiscendi? an hac communi

7. *Quam sit bellum, cavere malum.* Forte *malo*, annotatum ad oram Lambinianæ. Gulielmius id cancellavit, adscripsitque *malum civem*. GRUT.

8. *In jure possem defendere.* Apud tribunal prætoris. Vid. Clav. ERN.

9. *Non licet.* Schützius corrigit *nunc licet*, sententia, ut ait, postulante. Est certe hic aliquid impeditius. J. V. L. — Sed forsan omne impedimentum excidet, si interrogationis nota tollatur, quæ post *invisere* vulgo ponitur : sensus erit : « si cui nostrum non liceat fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus, etc. tamen nemo tam, etc. »

10. *Magonis Carthaginiensis.* Mago Carthaginiensis scripsit punice libros octo et viginti de Re Rustica, quos ex senatusconsulto Cassius Dionysius Uticensis convertit. Varro de Re Rust. lib. I, cap. 1, et Columella, qui eumdem rusticationis parentem appellat. PAUST. — Credunt vulgo tres vel duo saltem fuisse scriptores Punicos nomine Magonis : unus inclytus orbis peragrator, qui, si credimus Athenæo, ter orbem totum circumiit. Ortus erat illustri Barcarum gente, copiisque Carthaginiensium præfectus est. Alter eodem nomine, ait *Poinsinet de Sivry*, Plinii operum gallicus interpres, scripsit de morbis equorum : idemque vel forsan tertius quidam Mago octo et viginti libros de Agricultura composuit. Citatur et laudatur sæpius a Varrone, Plinio et Columella. Capta Carthagine dicunt illius

intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in jure civili, præsertim quum in causis, et in negotiis, et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc dumtaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenæ esse videamur? Ac si jam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit, cum hoc Scævola communicare; quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero si de re ipsa [11], si de finibus, quum in rem præsentem non venimus [12], si de tabulis [13] et perscriptionibus [14] controversia est, con-

opera flammis erepta fuisse, missaque Romam a Scipione Æmiliano. Ex his ait Servius multa Virgilium hausisse in condendis Georgicis.

11. *An vero si de re ipsa.* Vertit interpres gallicus, *d'une question de fait.* Male; sed *une question de propriété;* res enim opponitur facto.

12. *Quum in rem præsentem non venimus.* Cur negatio addita est? Nam quum de finibus lis est, necessario est in rem pr. veniendum, inspiciendi causa. Secus est in aliis generibus vindiciarum, ubi inspiciendi necessitas nulla est. Et tamen in his imago veteris moris servata, et in rem præsentem ventum est. Offic. I, 10. Ern.

13. *De tabulis.* Tabulæ sunt chartæ, scripta, instrumenta litis; et quidem hic privatæ tabulæ intelliguntur; publicæ enim tabulæ sunt libri et literæ, quæ publicam memoriam continent. Pault.

14. *Et perscriptionibus.* Vulgo *præscriptionibus*, qua voce significantur senatusconsulta, in quibus senatorum nomina præscribebantur : sed vox istius significationis minime huic loco convenit : veram lectionem *perscriptionibus* protulit Lambinus, secutus auctoritatem duorum MSS, quibus consentiunt MSS Bod. Nov. Wag. Norf. Cant. Mead. et editio Veneta. Nomen *perscriptionis*, inquit Lambinus, locum habet in nominibus, tabulis, et rationibus. Lib. IV ep. ad Att. ep. ultima : « hæc pactio, non verbis, sed nominibus et perscriptionibus multorum tabulis quum esse facta diceretur, a Memmio prolata est ». Or. pro Roscio comœdo : « Nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur; sic improbum est, non referre quod debeas : æque enim tabulæ condemnantur ejus, qui non retulit, et ejus, qui falsum *perscripsit* ». Vides, lector, perscribere idem significare, ac in tabulis accepti et expensi scriptione res notare; earum vero notationes perscriptiones dicebantur. Pearc. — Cum Pearcio facit Ernest. qui : *perscriptionibus*, inquit, verum est, non *præscriptionibus :* nam verbum rei pecuniariæ desideratur, quale est perscriptionis. Ac sic est in edd. W. a. l. et a. et aliis, etiam MSS apud Pearcium, qui recte jam restituit : altera lectio, ut in Mediol. quæ alias fere sequitur ed. a. l. et a. orta est e modo scribendi *prescr.* qui in hac et

tortas res et sæpe difficiles necessario perdiscimus : si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia juri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

LIX. (LIX.) Nihilne igitur prodest oratori juris civilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam [1], ei præsertim, cujus eloquentia copia rerum debeat esse ornata; sed multa, et magna, et difficilia sunt ea, quæ sunt oratori necessaria, ut ejus industriam in plura studia distrahere nolim. Quis neget, opus esse oratori, in hoc oratorio motu statuque, Roscii gestum et venustatem? tamen nemo suaserit studiosis discendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium, quam vox? tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Græcorum more [2], et tragœdorum, voci serviet, qui et annos complures sedentes declamitant, et quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes, sensim excitant, eamdemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissi-

aliis edd. antiquis, ut in MS, sæpe occurrit. E Mediol. venit in Ascens. Ald. Junt. etc. Schützius testatur *perscriptionibus* et in Guelf. 2, 3 inveniri.

LIX. 1. *Prodesse ullam scientiam, ei præsertim, cujus eloquentia*, etc. Si ad solam jurisprudentiam pertinet, de qua sola sermo est, scribendum est *illam*. Si alias quoque disciplinas spectavit Antonius; intelligendum est, non possum dicere, ullam scil. non prodesse : itaque nec, juris scientiam non prodesse : et sunt exempla talia notata, ubi *negare* sic, in *dicere*, sequente *non*, resolvendum est. Atque hoc magis sequentibus consentit. Ern.

2. *Græcorum more, et tragœdorum.* Lambinus e tribus MSS delet *et*, placetque Pearcio. Sane in sequentibus de tragœdiis sermo est : sed possunt etiam græci oratores in primo intelligi, quos vocis fingendæ curiosiores fuisse et gestus, satis constat, et in tragœdiis etiam latini tragœdi, quos pariter ad Græcorum modum exercuisse vocem constat. De oratorum græcorum studio in voce fingenda vid. Cresoll. Theatr. Rhetor. III, 18. Sed ed. Lips. habet « Græcorum more sophistarum et tragœdorum » ; quod, nescio unde haustum, perplacet. Ern. — Schützius ed. Lips. lectionem expressit.

mum sonum recipiunt, et quasi quodam modo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties perscribitur[3], pæanem[4], aut munionem[5] citarimus. Quod si in gestu, qui multum oratorem adjuvat, et in voce, quæ una maxime eloquentiam vel commendat, vel sustinet, elaborare nobis non licet; ac tantum in utroque assequi possumus, quantum, in hac acie quotidiani muneris, spatii nobis datur: quanto minus est ad juris civilis perdiscendi occupationem descendendum? quod et summatim percipi sine doctrina

3. *Quorum causas receper. quam toties, quoties perscribitur. Præscribitur* corrigunt P. Manutius et Lambin. probatque Pearc. Nihil melius scio. Ernest.

4. *Pæanem.* Pæan hymnus in honorem Apollinis, qui de re bene gesta canebatur. Virg. Æn. VI, 657: «lætumque choro Pæana canentes». Apollo dicebatur Pæan, vel ἀπὸ τοῦ παίειν, a feriendo, quod radiis feriat, vel ἀπὸ τοῦ παύειν τὰς ἀνίας, a sedandis molestiis. Paust.

5. *Aut munionem.* Petrus Victorius, cujus ego diligentiæ et doctrinæ plurimum meritissimo defero, refert, etsi aliena fide, quibusdam in libris reperiri *munychionem;* ego in veteri reperi *muniorem:* quæ utraque scriptura, etsi depravata est, tamen ad conjecturam movendam fortasse non inutilis est. Ego igitur ex iis vestigiis legendum censeo *minuritionem.* Existimo enim Ciceronem verba græca vertere voluisse, παιανίζειν et μινυρίζειν, ut Pæan sit cantio (nam pro pede hic non censeam accipi) quæ clara, exsultanti, contentaque voce citatur, id est, canitur: *minuritio*, cantio quæ tenui, leniore remissioreque. Proinde *minuritiones* interpretatur Pompeius *minorum avium cantus.* Apud Aristophanem μινυρίζειν canere est, λύχνους ἔχοντες, μινυρίζοντες μέλη, et apud Plutarchum, ποιηταῖς δὲ καὶ λυρικοῖς μινυρίζουσιν εἴπερ ἄρα, χρῆσθαι παίζοντας. Turn. In Jocos Cic. — Videas ejus Advers. I, 12. Putant nonnulli hic legendum *Nomium.* Nomium autem genus cantionis seu carminis fuisse docet Athenæus, lib. XIV. Gaut. — Lego *Nomionem.* Alter erat hic hymnus eidem Apollini sacer, qui olim ad Amphrysum greges Admeti paverat: νομεὺς pastor est: unde *Nomion* quasi pastoricina. Legunt alii hoc loco *Munionem*, nec quid sit explicant: divinant alii *Munychionem*, et interpretantur hymnum Dianæ, quam Athenienses olim *Munychiam* appellabant: alii *minuritionem* conjiciunt, ut sit cantio, quæ leni et remissiore voce edatur. Hymnos ejusmodi, sive Pæanem, sive Nomionem, idoneis numeris ac modis comparatos habebant Græculi, qui vocem declamandi causa fingebant: eos citabant sæpius, et exercitationis causa cantabant. Paust. — Sch. dedit *Nomium*, nec J. V. L. improbat.

potest, et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod vox et gestus subito sumi, et aliunde arripi non potest; juris utilitas ad quamque causam quamvis repente vel a peritis, vel de libris depromi potest. Itaque illi disertissimi[6] homines ministros habent in causis juris peritos, quum ipsi sint peritissimi[7], et qui, ut abs te paullo ante dictum est, pragmatici vocantur. In quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum autoritate leges et jura tecta esse voluerunt. Sed tamen non fugisset hoc Græcos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in jure civili, non ei pragmaticum adjutorem dare.

LX. (LX.) Nam quod dicis senectutem a solitudine vindicari juris civilis scientia: fortasse etiam pecuniæ magnitudine. Sed nos, non quid nobis utile, verum quid oratori necessarium sit, quærimus. Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumpsimus, solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos[1], et cantus remissiores esse facturum. Quod si ille, adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum, tamen aliquid ad requiem senectutis ex-

6. *Illi disertissimi homines.* Int. de Græcis, ut e cap. 45 patet, et quod opponit nostros, diserteque post nominantur: fortasse excidit hoc verbum. Ern. — Et Schützius putat excidisse vocem *græci*.

7. *Peritissimi.* Ernest. dat *imperitissimi*, e Lambini conjectura quam Pearcius probavit; et Schützius Lambinum sequitur; quos omnes J. V. L. reprehendit.

LX. 1. *Tardiores tibicinis modos.* Solebant histriones, quum dicerent, vel agerent, adhibere tibicinem, ad cujus modos vocem gestumque accommodarent. Itaque Roscius dicebat se, quum senior fieret, ac proinde lentius caneret, ac remissius ageret, adhibiturum quoque tibicinem lentiorem, qui modos lentiores faceret. Proust. — Quomodo tibia declamatio theatralis regeretur apud antiquos valde obscurum est. Vid. Horat. Art. Poet. vers. 202; Marmontel, *Éléments de littérature, art. Déclamation théâtrale*, et in primis, cap. 70; *Voyage d'Anacharsis, par l'abbé* Barthélemy. J. V. L.

cogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possimus? Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint, et quam varia genera dicendi, et quod haud sciam[2], an tu primus ostenderis, qui jamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas; neque minus hæc tamen tua gravissimi sermonis lenitas, quam illa summa vis et contentio[3] probatur: multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus, et Lælium, qui omnia sermone conficerent paullo intentiore, numquam, ut Ser. Galba, lateribus, aut clamore contenderent. Quod si jam hoc facere non poteris, aut noles: vereris, ne tua domus, talis et viri, et civis, si a litigiosis hominibus non colatur, a ceteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidium senectutis in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed tamquam portum aliquem, exspectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti, otium.

Reliqua vero etiamsi adjuvant, historiam dico, et prudentiam juris publici, et antiquitatis iter, et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo, et istis rebus instructissimo, familiari meo, Longino[4] mutuabor. Neque repugnabo, quo minus (id

2. *Et quod haud sciam.* Lambinus *et* deleri vult, probante Pearcio, qui etiam conjicit: « atque haud sciam ». Malim « idque haud sciam »: forte etiam *scio* rectius: nam in oratione recta fere est in hac forma *scio.* Est tamen *atque haud sciam*, II, 17, et alibi. Quid sit, *haud scio*, vide in Clave. Nempe est lenis et venusta affirmatio, quod nostri homines nolunt discere et in scribendo servare. Ern. — Schützius dat *id quod haud sciam*, auctore Heusingero. — Lambini editionibus inolevit sphalma typographicum, *aut sciam;* quod ferri non potest. Gaut.

3. *Contentio probatur.* Pall. plures *probabatur:* nescio utrum dicam potius. Gaut. — Schützius dat *probatur* cum Guelf. 2, 3, Mag. Wagn.

4. *Familiari meo, Longino.* Ita restituit ex alio Tullii loco Nicol. Grac-

quod modo hortatus es) omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur : sed mehercule non ita multum spatii mihi habere videntur[5], si modo ea facere et persequi volent, quæ a te, Crasse, præcepta sunt; qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere visus es huic ætati, sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum prope necessarias. Nam et subitæ ad propositas causas exercitationes, et accuratæ, et meditatæ commentationes, ac stylus ille tuus, quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est, et illa orationis suæ cum scriptis alienis comparatio, et de alieno scripto subita, vel laudandi, vel vituperandi, vel comprobandi, vel refellendi causa, disputatio, non mediocris contentionis est, vel ad memoriam, vel ad imitandum.

LXI. Illud vero fuit horribile, quod mehercule vereor, ne majorem vim ad deterrendum habuerit, quam ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquemque nostrum quasi quemdam esse Roscium; dixistique, non tam ea, quæ recta essent, probari, quam quæ prava sunt fastidiis[1] adhærescere : quod ego non tam fastidiose in nobis, quam in histrionibus, spectari puto. Itaque nos raucos sæpe attentissime audiri video; tenet enim res ipsa atque

chius; vulgo erat *Longo*, quod et in Pall. aut *longe*. Grut.

5. *Non ita multum spatii mihi habere videntur.* Sic Schützius dedit ex Valdarf. it. ed. a. l. et a. teste Ernestio; et J. V. L. reperit *videntur* in codd. Regg. 7703, 7704. Vulgo « non ita multum spatii mihi videtur, si modo ea facere ».

LXI. 1. *Quæ r. essent, probari, q. quæ prava sunt fastidiis adhærescere.* Pall. omnes respuunt illa intermedia, « probari quam quæ prava sunt »; adscriptumque octavo aliter legi : « essent, quam quæ fastidiis adh. » voluit forte *fastidii :* exstat tamen vulgata in editione prima. Grut.— *Sunt* nec modo, nec tempore, consentit præcedenti, *quæ recta essent :* arbitror esse delendum, et a glossatore adscriptum, qui contextum non curaret. Ern. — Schützius *sunt* delevit.

causa : at Æsopum, si paullum irrauserit[2], explodi. A quibus enim nihil præter voluptatem aurium quæritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa sunt, quæ teneant, quæ si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt, necesse est, ea ipsa quæ sunt, mirabilia videri.

(LXI.) Ergo, ut ad primum illud[3] revertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodate ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quæ sunt in usu civitatum vulgari ac forensi; remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint[4] ampla atque præclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur; imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturæ diligentia industriaque superaret[5]; quumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret[6], primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo loquutus[7] putaretur; deinde quum spiritus ejus esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assequutus, ut una continuatione verborum (id quod ejus scripta declarant[8]) binæ ei contentiones

2. *Irrauserit.* Hac facie citatur a Prisciano; exstatque in Pall. octavo : ceteri adhærent fere vulgato *irraucuerit.* GAUT.

3. *Illud.* Alii, *illuc.*

4. *Quamvis ea sint ampla.* Reposui *sint* pro vulg. *sunt* cum Pearcio, quia sic est in edd. prr. ut et in MS E. Ceterum *sunt* etiam h. l. stare potest, si *quamvis* accipitur pro *quamquam;* quod fieri potest. ERN.

5. *Superaret.* Ita cum Pearcio edidimus pro *superarit.* Nam et sequitur post *putaretur.* Edd. prr. habent *superasset*, quod in *superaret* debet mutari, ut est in MS E. ERN.

6. *Artis, cui stud. pr. lit.* Scilicet ῥητορικῆς; vid. Div. II, 46.

7. *Planius eo loquutus.* Schützius cum Guelf. 2, 3, « planius esse loquutus ».

8. *Id quod ejus scripta declarant.* Sc. quod in iis periodi ita longæ reperiuntur, in quibus bis contendendus et remittendus spiritus, quum ipse uno spiritu pronuntiare posset. ERN.

vocis et remissiones continerentur; qui etiam (ut memoriæ proditum est), conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat; neque is consistens in loco, sed inambulans, atque adscensu ingrediens arduo. Hisce ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos juvenes vehementer assentior: cetera, quæ collegisti ex variis et diversis studiis et artibus, tametsi ipse es omnia consequutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere sejuncta esse arbitror.

LXII. (LXII.) Hæc quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius, et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. Tum Crassus: Operarium nobis quemdam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias, et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo umquam præstitit; cujus quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed jam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. Verum ego non solum [1] arbitrabar, his præsertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis, neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet; sed majus quiddam videbam, quum censebam, oratorem, præsertim in nostra republica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quæ abs te de officiis præceptisque oratoris

LXII. 1. *Verum ego non solum arbitrabar*. Schützius emendat, « verum ego non talem arbitrabar, his præsertim audientibus », conferrique jubet Orat. cap. 2, ubi est: « atque ego in summo oratore fingendo, talem informabo qualis fortasse nemo fuit ».

quæsita sunt : sed opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie dicta sunt. Nunc et Scævola[2], quoniam in Tusculanum[3] ire constituit, paullum requiescet, dum se calor frangat; et nos ipsi, quoniam id temporis est, valitudini demus operam.

Placuit sic omnibus. Tum Scævola : Sane, inquit, vellem non constituissem[4], in Tusculanum hodie venturum esse, Lælio; libenter audirem Antonium. Et, quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod jus nostrum civile pervellit, quam jucundus, quod se id nescire confessus est.

2. *Nunc et Scævola*. Cur in his dialogis non perstet Scævola, causam affert ipse Tullius, ad Attic. lib. IV, ep. 16 : « Quod in iis libris, quos laudas, personam desideras Scævolæ, non eam temere dimovi; sed feci idem, quod in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato : quum in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum locupletem, et festivum senem : quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde quum ipse quoque commodissime loquutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere : neque postea revertitur. Credo Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in Scævola, qui et ætate, et valitudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano : et erat primi libri sermo non alienus a Scævolæ studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic joculariæ disputationi senem illum, ut noras, interesse sane nolui ». Prust.

3. *In Tusculanum ire constituit*. Aliam quamdam agri Tusculani partem intelligit, ab ea disjunctam, in qua erant. Prust.

4. *Vellem non constituissem, in Tusculanum hodie venturum esse, Lælio*. Schützius, Gruterus, Ernestus, Lallem. habent « me hodie vent. esse », ut nesciam an vitio operarum *me* in ed. J. V. L. absit. Haud secus (sc. *me* addito) Pall. omnes : recepta lectio, inquit Gruterus, *constituisse*, sed vere Lipsius noster, Quæstionum lib. V, Epist. 17, monuit agnoscere se hic manum malam : quare adhibito scalpello restituit : « constituissem in Tusculanum hodie Lælio », ut cetera sint a scholiaste.

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In procemio libri secundi Cicero refutat eorum opinionem, qui L. Crassum non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse putabant, cap. 1, 2.

Sequitur dialogus postero die, quam erant illa, quæ primo libro referuntur, acta, habitus; cui interfuerunt Q. Catulus et C. Julius Cæsar, qui Scævolæ narratione de hesterni diei disputatione excitati Crassum convenerant. Qui quum novum disserendi laborem excusatione, quod nollet esse ineptus, defugere voluisset, repugnat ei Catulus, dicitque nec locum non idoneum, nec tempus inopportunum, nec homines ab hac disputatione alienos esse. Sed ille se hæc omnia longe aliter interpretari significat. Cæsar hanc ipsam recusationem disputationis sibi disputationem perjucundam esse visam affirmat, invitatque Antonium, ut partes suas de tota eloquentia disserendi peragat, quod Crassus negat se concessurum, nisi se hodie hic apud eum futuros Catulus et Cæsar promittant. Catulus pro utroque promittit, cap. 3-6.

Tum Antonius eloquentiam rem facultate præclaram, arte mediocrem esse, cap. 7, posse tamen quædam præcepta dari, cap. 8, nihil autem perfecto oratore præclarius esse, cap. 9, docet. His eloquentiæ laudibus quum essent Catulus et Crassus valde delectati, cap. 10, pergit Antonius de officio ac munere oratoris disserere, negatque omnia, quæ cadant aliquando in oratorem, propriis esse præceptis instruenda. Nam præter genus judiciale et deliberativum esse etiam oratorum interdum laudationes, testimonia, mandatorum expositionem, objurgationes, cohortationes, consolationes, quæ omnia singularia præcepta non desiderent, cap. 11, 12. Magnum quoque oratoris munus esse historiam scribere, de qua tamen nulla præcepta in artibus rhetorum reperiantur, cap. 13-15. Omnino autem, qui illam vim adeptus sit, ut auditorum mentes in genere ju-

diciali ac deliberativo ad suum arbitrium movere possit, non multum de toto genere reliquarum orationum quid dicat quæsiturum esse, cap. 16. Ceterarum enim rerum orationem ludum esse homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti; eloquentiam autem, quæ in causarum contentionibus versetur, omnium operum maximum esse, cap. 17. Catulus magnam sibi exspectationem commotam esse ostendit, quibusnam rationibus, quibusve præceptis illa tanta vis eloquentiæ comparetur; in quo tamen non pervulgata græci alicujus doctoris præcepta desideret, cap. 18. Antonius igitur, summis doctrinæ Græcorum rhetoricæ capitibus breviter percursis, cap. 19, ipse suam oratorem instituendi rationem exponit. In quo primum videndum esse docet, quid quisque efficere possit, cap. 20; deinde demonstrandum, quem imitetur, monendumque, ut in eo, quem probaverit, quæ maxime excellant, persequatur, cap. 21, 22. Quod enim singulæ ætates singula prope genera dicendi extulerint, id accidere non potuisse, nisi singulis ætatibus oratores aliquem sibi proponerent ad imitandum. Esse tamen etiam multos, qui neminem imitentur, sed suapte natura, quod velint, assequantur, cap. 23. Porro præcipit Antonius, ut orator, quascumque sit causas acturus, eas diligenter penitusque cognoscat, cap. 24; deinde, ut causam ambigendi intelligat, cap. 25, 26. Tum esse de probanda rerum, quæ defendantur, veritate, de conciliandis et permovendis judicum animis cogitandum. De probatione agitur, cap. 27-41, de ratione auditorum animos sibi conciliandi, cap. 42, 43; denique de permotionibus animorum conciendis, cap. 44-53. Et quum sæpe ad movendos auditorum animos utilis sit jocus et facetiæ, hunc locum omnem Cæsari pertractandum committit, qui postquam duo esse genera facetiarum docuit, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve, cap. 54; deinde, interjectis Crassi laudibus, quod multas sæpe orationes lepore et festivitate condierit, cap. 55, rogatus a ceteris, cap. 56, 57, uberius de toto genere jocandi disserit. Ac primum quid sit risus, deinde unde sit, tum sitne oratoris risum movere, tum quatenus ridicula sint ei tractanda, breviter docet, cap. 58. Fusius autem genera facetiarum exponit. Primum ostendit, duo esse earum genera, quo-

rum alterum re tractetur, alterum verbo, cap. 59, 60. Tum vero, postquam observavit, ex iisdem locis, unde ridicula ducantur, etiam graves sententias posse duci, cap. 61, et quædam genera ridiculi non esse digna oratoris persona, cap. 62, primum agit de facetiis in verbo positis, cap. 63-65; deinde de iis, quæ sint in rebus et sententiis, cap. 66-71.

Jam disputatio redit ad Antonium; qui primum ostendit exemplo suo, magnum esse oratoris officium videre, quid quæque causa boni, quid mali habeat, et multo magis elaborandum, ne quid obsit causæ, quam ut prosit, cap. 72-75.

Sequitur locus de ordine et collocatione argumentorum, cap. 76, de exordio, cap. 78, seq. de narratione, cap. 80, de confirmatione et conclusione, cap. 81.

Hactenus Antonius omnia præcepta ad genus potissimum judiciale retulerat. Jam breviter addit ea, quæ de genere deliberativo, seu de suasionibus, cap. 82, 83, et de laudationibus, seu genere demonstrativo tractanda erant, cap. 84, 85.

Sic absolutis præceptis de inveniendis et disponendis rebus, adjungit locum de memoria, cap. 86-88, et cum gratiarum actione laudatus a Catulo humaniter Crassum invitat, ut locum de elocutione, qui unus restabat, ipse explicet, qui aliquantum tergiversatus tandem amicorum precibus cedit, et se post meridiem, quæ vellent, expositurum pollicetur, cap. 89, 90.

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE.

LIBER SECUNDUS.

I. (1.) MAGNA nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset; M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse: erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere [1] arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio dicendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus prædicarent, ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consequuti, inanis omnis noster esse labor, et stultum in nobis erudiendis, patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis testibus, patre, et C. Acu-

I. 1. *Non ita sese rem habere. Non* addidimus ex edd. pr. quod et in MS E. est, et vel sine libris addendum esset: *sese* ex iisdem edd. pro *se*. Ern. — Contra Gruterus, qui *non* omisit. Retinui, inquit, omnium Pall. scripturam; invenitque ita procul dubio in suis Victorius: utpote quum sic expresserit editione sua, « primitus eusi, *non ita se*, quod secutus Manut. ac Lambinus: et ita quoque chartaceus Memmii: sed non placet ». Testatur J. V. L. *non* inveniri in MS Regio 7703, sed ante *arbitrarentur*.

leone, propinquo nostro, et L. Cicerone, patruo, solebamus; quod de Crasso pater, et Aculeo (quocum erat nostra matertera[2]), quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat[3], multa nobis de ejus studio doctrinaque sæpe narravit: quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quæ Crasso placerent, et ab his doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud sæpe intelleximus (quum essemus ejusmodi[4], quod vel pueri sentire poteramus), illum et græce sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percunctando, eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. De Antonio vero, quamquam sæpe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset: tamen ipse adolescentulus, quantum illius ineuntis[5] ætatis meæ patiebatur pudor, multa ex eo sæpe quæsivi. Non erit profecto

2. *Quocum erat nostra matertera.* Hæc videantur esse loco alieno, quod orationem duriorem faciunt « quocum... quem », melius post superiorem hominis mentionem, « C. Aculeone, propinquo nostro, quocum, etc. » collocanda. Ern. — *Quocum... matertera.* Qui matris nostræ sororem habebat in matrimonio. Paust.

3. *Decesserat.* Id est, itineri se commiserat; non autem, ut quidam interpretantur, mortuus fuerat: Cicero enim ille patruus, in patriam redux, narrabat, quemadmodum Antonius Athenis et Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset. Paust.

4. *Quum essemus ejusmodi, quod.* Lambinus totum illud delet: regia: at Gulielmius literis transpositis ultimum mutabat in *domi.* Gaut. — Hoc non potest per grammaticam rationem rectum ac verum esse: nec expediunt rem, qui corrigunt « ejus domi »: nam id cum sequentibus non consentit. An scripsit: « quum esset ejusmodi (sc. negotium, res) quod, etc. » Secundum ἀκρίβειαν quidem *possemus* esse deberet, sed sunt alia exempla similia, pauca tamen quæ vide apud Pearcium ad h. l. nec ea omnia sunt certa. Sensus quidem hic expressus esse debet, quem emendatio nostra efficit. Ern. — Schützius correctionem Ernestii adoptavit; necnon J. V. L. assentitur.

5. *Ineuntis.* Hanc vocem Sch. delevit quasi e glossa ortam.

tibi, quod scribo, hoc novum (nam jam tum ex me audiebas), mihi illum ex multis, variisque sermonibus, nullius rei, quæ quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere, et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Græcis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo[6] orationem fore censebat suam, si omnino didicisse numquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Græcos videretur.

(II.) Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est hujus institutæ scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere umquam et præstare potuisse.

II. Etenim ceteræ fere artes se ipsæ per se tuentur singulæ; bene dicere autem, quod est scienter, et perite[1], et ornate dicere, non habet definitam aliquam

6. *Probabiliorem hoc populo orationem.* Ut se habet vulgata lectio, vox *hoc* eodem sensu quo *eo* ponitur adverbialiter : sed utraque semper comparativis præponuntur, ut sæpe apud Ciceronem habes « hoc facilius, hoc magis, hoc inferiores, etc. » Adde etiam, quod *hoc* semper habet vel præcedentem, vel sequentem particulam *quod*, vel *quia*. Sed in hoc loco vox *hoc* postponitur comparativo, et non aliam habet particulam, quam *si*, insequentem. Facili igitur mutatione locum sic licet restituere : « Antonius autem probabiliorem huic populo orationem fore censebat suam, si, etc. » « Huic pop. », id est, populo romano. Nota hæc est et vulgata Ciceroni locutio. Sic lib. I, cap. 51, « qui in hoc populo foroque versamur ». Omnem autem dubitationem, opinor, eximet lib. II, cap. 36, ubi suæ dissimulationis rationem reddens Antonius dicit : « semper ego existimavi jucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, etc. » PEARC. — Ernest. mentione de Pearcii emendatione facta, possis etiam, inquit, invertere « hoc probabiliorem ». Sed illud melius. Si Cicero scripsit « hoc populo », intelligi debet, quum populum hunc, talem habeamus : quo sensu hæc forma et alibi est.

II. 1. *Et perite.* Schütz. corrigit « et partite », quia agitur de dispositione. Frustra, ut opinor. Nam scienter ad res pertinet, perite ad exponendi et disserendi artificium, quod non omni

regionem, cujus terminis septa teneatur[2]. Omnia, quæcumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiæ nomen relinquendum est. Quare equidem et in nostra civitate, et in ipsa Græcia, quæ semper hæc summa duxit, multos et ingeniis, et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor; talem vero exsistere eloquentiam, qualis fuerit[3] in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quæ ad tantam prudentiam pertinerent[4], tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit[5], non potuisse confirmo. Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis: vel ut illa opinio, quæ semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quæ existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam, ut laudem eorum, jam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum: sed quum alter non multum (quod quidem exstaret), et id ipsum adolescens, alter nihil

partitione continetur, ornate ad figuras et alia dicendi ornamenta.

2. *Cujus terminis septa teneatur.* Lambinus legit *septum*, qood verissimum puto. *Dicere* enim est modus infinitivus substantive acceptus, et neutrius generis. Immo *quod* neutrius est generis. Vox igitur *septa* feminini ferri non potest. PEARC. — *Septa teneatur.* Int. ars ea, e superiori « ceteræ artes ». Ita non necesse erit cum Lambino corrigere *septum*, quod et Pearcio placebat. ERN.

3. *Qualis fuerit.* Schütz. dat « qualis fuit » cum Guelf. 1, 2.

4. *Quæ ad t. pr. pertinerent.* Vulg. *in*: illud habet ed. s. l. et a. cum Med. Lips. idque melius: *in* edd. W. Junt. Ald. ERN.

5. *Quanta in illis fuit.* Ernest. dat *fuerit*, quia præcedit « qualis fuerit »; et quod ibi MS E. habet *fuit*, dicit e

admodum scripti reliquisset; deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. Quod hoc etiam spe aggredior majore ad probandum[6], quia non de Ser. Galbæ, aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria jam refellente[7]: sed edo hæc iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, sæpe audierunt; ut duos summos viros, iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et præsentium memoria teste, commendemus[8].

III. Nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor ut erudiam: quid enim tua potest oratione aut subtilius, aut ornatius esse? Sed quoniam, sive judicio, ut soles dicere[1], sive, ut ille pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse[2], pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti, sive,

compendio scripturæ *fuit* vitium ortum esse. Sch. ut supra, dedit *fuit*.

6. *Spe...majore ad probandum*. Eo magis spero sermonem meum, in iis quæ de his oratoribus narro, fidem habiturum esse, quod, etc.

7. *Nullius memoria jam refellente*. Edd. pr. fere, ut MS E. habent « me refellente », quod et recepit Pearcius: sed vulgatum elegantius est: *me* a glossa; nam et res refelli dicitur. Ern.

8. *Commendemus*. Non nihil detrahendum est ex iis laudibus, quas Crasso Antonioque tribuit Cicero, si eum audias, Brut. 86.

III. 1. *Sed quoniam...ut soles dicere*. Ernest. dat « sed quamquam.., soleo dicere ». Duplicem hic, inquit, correctionem sine libris induxi: sed fidenter, ut nemo possit reprehendere; primum *quamquam* pro *quoniam*, tum, quia hic non causa commemoratur, sed aliquid removetur; tum quia sequitur *tamen*; deinde *soleo* pro *soles*, ut jam aliis visum: nam de Quinto est post: « ut ipse jocari soles ». *Ipse* indicat, superiora de aliis esse: qui sunt primum Cicero, deinde Isocrates: ceterum in MS E. *quoniam* abest, scriptumque, « sed sive, etc. » quod fortasse optimum. — Schützius Ernestium secutus est: utrumque autem J. V. *Le Clerc* reprehendit.

2. *De se Isocrates scripsit ipse*. Schutz. dat cum Wagnero, « ut ille pater eloquentiæ de se Isocrates scripsit ipse ».

ut ipse jocari soles, unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem, sed pæne in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito, propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, jejunitatem bonarum artium[3], possit illudi. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse præteritum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur: quod tu facillime poteris judicare, qui prudentiam rationemque dicendi per te ipsum, usum autem per nos percipere voluisti. Sed, quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra adhortatione[4], ad eorum, quos proposuimus, sermonem disputationemque veniamus.

(III.) Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiam tum[5] in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Julio fratre[6] venit. Quod ubi audivit, commotus Crassus surrexit, omnesque admirati, majorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. Qui quum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent: — Quid vos tandem? Crassus, num quidnam[7], inquit, novi? — Nihil sane,

3. *Propter eorum.....artium.* Quia ii qui de ratione dicendi disputant, bonarum artium rudes, jejuna tantum præcepta colligunt.

4. *Omissa nostra adhortatione.* Sch. dat « omissa nostra oratione ».

5. *Etiam tum.* Schützius exhibet « etiam dum ».

6. *Q. Catulus...cum C. Julio fratre.* Fratres erant ex eadem matre, quos vocamus gallice *uterins*. Mater erat Popillia. Vide cap. 11. De his conf. Brut. cap. 35 et 48.

7. *Num quidnam, inquit, novi?* Hic in tribus versiculis quater est *inquit*: semel in verbis Crassi, ter in unius Catuli responsione: quod numquam a Cicerone esse crediderim. Quartum certe delendum: idque et abest ab ed. Lips. In exemplo nostro ed. Asc. delevit manus docta. Tertium, quod est in parenthesi, fortasse

inquit Catulus; etenim vides esse ludos : sed (vel tu nos ineptos licet, inquit, vel molestos putes) quum ad me in Tusculanum [inquit] heri vesperi venisset Cæsar de Tusculano suo, dixit mihi, a se Scævolam hinc euntem esse conventum, ex quo mira quædam se audisse dicebat[8]; te, quem ego, toties omni ratione tentans, ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse, et tamquam in schola, prope ad Græcorum consuetudinem, disputasse. Ita me frater exoravit[9], ne ipsum quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed mehercule verentem tamen, ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem. Scævolam enim ita dicere aiebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatam. Hoc si tu cupidius factum existimas, Cæsari attribues; si familiarius, utrique nostrum : nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat.

IV. (IV.) — Tum Crassus, Equidem, quæcumque

tolerari possit, et a Cicerone sit, quia in parenthesi est, sed vix tamen. Ern. — Sch. delevit *inquit* post *Tusculanum*, sicut post *licet*.

8. *Dicebat*. Hanc vocem delevit Schützius.

9. *Ita me frater exoravit, ne ipsum quidem a studio aud.* etc. Sic J. V. L. se dedisse declarat e MSS. Ernestius dat « Itaque frater exoravit me, ipsum quidem a studio audiendi non nimis abhorrentem, sed mehercule verentem, ne molesti, etc. » Sic, inquit, constitui hunc locum e MSS et edd. pr. qui in vulgatis sic erat : « Ita me frater exoravit me ipsum, non quidem a studio audiendi nimis abhorrentem, sed mehercule verentem tamen ». Primum ex *Ita me* feci *Itaque*, ut dudum conjeceram; quod sic deinde reperi in edd. s. l. et a. Med. Asc. Lips. Deinde interpunxi post *me*, transposui *non* in suum locum, e consuetudine Ciceronis, et delevi *tamen*, quod in edd. pr. non reperitur, delevitque etiam Pearcius. Non intellecta elegantia in « ipsum quidem » decepit homines, ut locum corrumperent : *quidem* h. l. respondet græco δή, quo non animadverso, addidere in altero membro *tamen*, quod abest et a MS E. Pearcius edidit : « Ita me frater exoravit, ne ipsum quidem, etc. » Sed « ne ipsum quidem » huic loco et sententiæ non convenit. Spero, me correctionem hujus loci intelligentibus probaturum. — Sch. lectionem nostram protulit, nisi quod delevit *tamen*, auct. codd. Guelf. 1, 2. — Pal. « ita me frater excitavit, ne ipsi quidem ». Probem, si *ipsi* mutatur in *ipsum*. Gaut.

causa vos huc attulisset, lætarer, quum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos; sed tamen, vere dicam, qua vis mallem fuisset, quam ista, quam dicis[1]. Ego enim (ut, quemadmodum sentio, loquar) numquam mihi minus, quam hesterno die, placui (magis adeo[2] id facilitate, quam alia ulla culpa mea contigit), qui dum obsequor[3] adolescentibus, me senem esse sum oblitus, fecique id, quod ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quæ doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod, transactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis. — Tum Cæsar, Equidem, inquit, Crasse[4], ita sum cupidus te in illa longiore ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta, plus quam ego apud te valere videatur[5]; et te exorabo profecto, ut mihi quoque, et Catulo tuæ suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit; non te urgebo, neque committam, ut, dum vereare[6], tu ne sis ineptus, me esse judices. — Tum ille, Ego mehercule, inquit, Cæsar, ex omnibus latinis verbis hujus verbi vim vel maximam semper putavi: quem enim nos « ineptum » vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod non sit aptus; idque

IV. 1. *Quam dicis.* Sch. dat « quam dicitis » cum Guelf. 2.

2. *Magis adeo...contigit.* Hæc in parenthesi posui; alias obscura et non cohærens esset oratio. Ern.

3. *Dum obsequor adol.* Sch. dat « dum obs. bis adol. »

4. *Equidem, inquit, Crasse. Inquit* abest a MS E. et ed. Lips. Ern.

5. *Videatur.* Sic recte e MSS reposuit Pearcius pro *videantur.* Pluralem non patitur *Sulpicius aut Cotta.* Sch. revocavit *videantur* de sententia Heusingeri ad Ciceronem de Officiis, lib. I, cap. 41, 8.

6. *Vereare, tu ne sis ineptus.* Pearcius mutat « vereare, ne tu s. ineptus »; non sequutus sum. *Tu ne sis ineptus, me esse* i. melius sibi respondent, et consulto *tu* primo loco est. Ern.

in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur[7]. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Græcorum natio: itaque quod vim hujus mali Græci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt; ut enim quæras omnia, quomodo Græci ineptum appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quæ sunt innumerabiles, haud scio, an nulla sit major[8], quam illorum, qui solent[9], quocumque in loco, quoscumque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis, aut non necessariis, argutissime disputare. Hoc nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes heri coacti sumus[10].

V. (v.) — Tum Catulus, ne Græci quidem, inquit, Crasse, qui in civitatibus suis clari et magni fuerunt, sicuti tu es, nosque omnes in nostra republica volumus esse, horum Græcorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt; nec tamen in otio sermones hujusmodi, disputationesque fugiebant. Ac si

7. *Is ineptus dicitur.* Recte Pearcius *esse* delevit: abeat ab edd. Junt. Ald. Res etiam sine libris patet. Ern.

8. *An nulla sit major.* Sic edidi e MS Erl. pro « an ulla »: quod vitiosum esse etiam sine libris intelligi debet; quia ista forma « haud scio » modeste affirmat. Vid. Clav. in *haud*.

9. *Quam illorum, qui solent.* Sic rescripsimus, pro « quam, ut illi solent », quod manifeste vitiosum est. Ed. W. habet, « quam illi, qui solent », vitiose. Hinc factæ aliæ lectiones, « quam illorum, qui solent », ut habent edd. a. l. et a. Med. Lips. quam nos, ut optimam, prætulimus « quam quod illi solent... quam ut illi solent, etc. » Ern. — Sch. dedit « quam, ut illi solent », quod invenit Gruterus in editione Victorii, atque in Palatinis omnibus, præter quartum, in quo « quam quod illi solent ».

10. *Hoc nos... coacti sumus.* Studet Cicero, ut nobis in Crassi persona ostendat exemplum gravitatis romanæ levitati Græcorum oppositum. Inde hæc digressio de sensu et vi voc. *ineptus*; quam quidem vocem satis fideliter reddere mihi videntur, contra Ciceronis ipsius opinionem, voce.

tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri; num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipsa, ubi ambulamus[1], et palæstra, et tot locis sessiones, gymnasiorum et græcarum disputationum memoriam quodammodo commovent? aut importunum[2] tempus in tanto otio, quod et raro datur, et nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes hi sumus, ut sine his studiis vitam nullam[3] esse ducamus? — (VI.) Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palæstram, et sedes, et porticus, etiam ipsos, Catule, Græcos, exercitationis et delectationis causa, non disputationis, invenisse arbitror. Nam et sæculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire cœperunt, et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum[4] audire, quam philosophum, malunt; qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt: ita levissimam delectationem gravissimæ, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. Otium autem quod dicis esse, assentior; verum otii fructus est, non contentio animi, sed relaxatio.

ἄτοπος, ἄχρηστος, ἀπρακτής. J. V. L.

V. 1. *Ambulamus*. Sch. dat *inambulamus* cum Guelf. 1, 2.

2. *Importunum*. Pearcius dedit *inopportunum*. MS E. « num import. » quod non displicet. Ern. — Sch. Pearcium sequutus est.

3. *Vitam nullam*. Sic edd. pr. MS E. Vulgo, « nullam vitam » : sed illo ordine Latini in hac forma dicunt, e græco, βίον ἀβίωτον. Ern.

4. *Discum audire*. Discus est moles ferri, vel plumbi, vel etiam lapidis, quam juvenes certatim ultra metam aliquam, et finem constitutum, alius alio longius, projicere conabantur. Quod ludi genus eleganter descripsit Homerus, Odyss. lib. VIII. Discum, quam philosophum audire malle, non sine proverbii specie dicitur de eo, qui ad ineptas voluptates propensior est, quam ad utilia. Priest.

VI. Sæpe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Lælium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere[1] esse solitos, quum rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scævola, conchas eos et umbilicos[2] ad Caietam et ad Laurentum[3] legere consuesse, et ad omnem animi remissionem, ludumque descendere. Sic enim se res habet[4] : ut, quemadmodum volucres videmus, procreationis atque utilitatis suæ causa, fingere et construere nidos[5], easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa, passim ac libere solutas opere volitare; sic nostri animi forensibus negotiis, atque urbano opere defessi, gestiant[6], ac volitare cupiant, vacui cura ac labore[7]. Itaque illud, quod ego in causa Curiana[8] Scæ-

VI. 1. *Repuerascere*. Nihil auscultandum libris Lambini : natum enim illud *repuerescere* a vitiosa scriptura *repuescere*, quæ in Pal. pr. et Memmiano. GRUT.

2. *Umbilicos*. Id est, lapillos umbilicorum instar habentes. Quod Noster hic vocat « conchas et umbilicos », Valer. Maximus, lib. I, cap. 8, vocat « conchulas et calculos ». PAUST.

3. *Ad Laurentum*. P. Vict. et Manutii, *Lucrinum* : vetustior omnis editio, *Laurentum*, quod item in plerisque Pall. nam tert. *Laurentium*. Quart. *Laverenium*, Memmii membranaceus, *Lauretum*, quod sequutus fuit Lambinus : nostrum firmatur a Valerii Maximi libro VIII, cap. 8, ubi videantur Pighii nostri notæ. GRUT.

4. *Sic enim se res habet : ut, quemadmodum*. Sic vulgati omnes. At primo in seqq. libri omnes habent indicativos, *gestiunt*, *cupiunt* : deinde Cicero solet hoc, « sic se res habet », absolute ponere, non per conjunctionem cum seqq. copulare. In ed. W. est *habent* : unde forte natum est *ut*. Uncis inclusi. ERNEST. — Vide infra notam 6.

5. *Fingere et construere nidos*. Pithœanus amboque Gallicani *effingere*, quod et in Pal. pr. et tert. qui præterea *constituere*, alterum tamen restat in ceteris omnibus. GRUTER. — Ed. W. habet *effingere*. Sed *fingere* de nido est verbum proprium. ERN.

6. *Gestiant... cupiant*. Sic codd. nostri, 7704, 7753. J. V. L. — Sic et Schutz. dedit, sequutus Wyttenb. Bibl. crit. vol. I, P. I, p. 15. Vulgo, « gestiunt, ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore ».

7. *Vacui cura ac labore*. Vulgo, « atque lab. » Melius « ac labore », Guelf. 1, 2, 3.

8. *In causa Curiana*. In oratione quam habuit pro Curio, cujus causa exposita est libro superiore, cap. 39.

volæ dixi, non dixi secus, ac sentiebam. « Nam si, inquam, Scævola, nullum erit testamentum recte factum, nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus: quid igitur? inquam: quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages? » Tum illud addidi: « Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit ». In qua permaneo, Catule, sententia, meque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere, et plane cessare, delectat. Nam, quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius, homo doctus et perurbanus[9], dicere solebat, ea, quæ scriberet[10], neque ab indoctissimis se[11], neque ab doctissimis legi velle; quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse, quam ipse[12]; quo etiam scripsit, « Persium[13] non curo legere (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus); Lælium Decimum volo[14] (quem cognovimus virum bonum, et

9. *Doctus et perurbanus*. Memm. membranaceo et Pith. item Pal. pr. non adest « doctus et », poteramusque eo carere: sed neque iidem postea agnoscunt « ea quæ scriberet », meo animo recte. GAUT.

10. *Ea, quæ scriberet*. Hæc MSS quidam, ut et E. non habent, probatque Gruterus. Sed videntur characterem dictionis Ciceronianæ habere. ERN. — *Ea, quæ scr.* abest a Guelf. 1, teste Schützio.

11. *Ind. se.* Cum Pearcio *se* addidimus post *indoctissimis* ex libris ejus. Edd. pr. nostræ et MS E. id habent post *neque*: sed ille locus Cic. mori convenientior: certe *se* addi debuit.

12. *Quam ipse; quo etiam scripsit.* In vulgato est « quam ipse de se », quod primum editio Med. expressit, errore operarum; unde in alias venit. Ed. a. l. et a. habet *de quo*, ut MS E. idque receptum a Pearcio. Ed. W. *quo*. Mihi *de quo* languere videtur: *quo scripsit* est in quam sententiam scripsit: eo pertinet, quo scripsit, etc. quæ sunt clara et aptissima huic loco. ERN. — Lambinus dedit « quam ipse de se intelligi vellet; quo ».

13. *Persium*. De quo in Bruto, cap. 26. PRUST. — Intell. non curo mea opera legi a Persio.

14. *Lælium Decimum volo*. Nescio, consultone, an errore in vulgatis edi-

non illiteratum, sed nihil ad Persium[15])»: sic ego, si jam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos; malo enim non intelligi orationem meam, quam reprehendi.

VII. — Tum Cæsar, Equidem, inquit, Catule, jam mihi videor navasse operam, quod huc venerim; nam hæc ipsa recusatio disputationis disputatio quædam fuit mihi quidem perjucunda. Sed cur impedimus Antonium, cujus audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat, quemque jamdudum Cotta et Sulpicius exspectant? — Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar, et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro.... — Quidnam? inquit Catulus. — Ut hic sitis hodie. — Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat[1], Ego, inquit Julius, pro utroque respondeo: sic faciemus; atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres. Hic Catulus arrisit; et simul: — Præcisa, inquit,

tionibus comma post *Lælium* ponatur. Tam manifestum vero vitium non passus sum diutius Ciceroni adhærescere. Quippe Cicero singulos singulis opponit, Decimum Persio, additque relativum *quem*, non *quos*. Omnes veteres editiones omittunt istud comma; in quo delendo nihil dubii est. Restat tamen alius nodus: nusquam enim *Decimus* cognomen est. Sed præclare ad hanc rem facit, quod Cl. Spanhemius in suo tractatu de Re nummaria observavit, nempe sæpissime prænomen postponi nomini gentis: sic in Dionysio Halicarn. habes Πίσων Λεύκιος, et Γάλλιος Γναῖος, lib. II Antiq. Rom. Apud Dionem quoque, ipsumque Ciceronem vir idem doctissimus observavit parilem ordinis mutationem. Porro Onuphr. Panvinius in libro de Nom. Rom. dicit se legisse «Manlium Cnæum». Ergo «Lælius Decimus» idem valet ac «Decimus Lælius». Pearc.

15. *Sed nihil ad Persium*. Sed nihil literatum, si cum Persio eum conferas.

VII. 1. *Quod ad fratrem promiserat*. Miror cur lectionem istam vexet Lambinus, restantem in omnibus Pall. editionibusque. Gaut. — *Atque ista quidem conditione, vel ut verbum*, etc. Intelligit gallicus interpres: Et hoc tantum metu, ne tu verba faceres, vel sine ulla Antonii mentione, me teneres. Ego valde ambigo.

mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram[2], et hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facile promisit. (VII.) Tum omnes oculos in Antonium conjecerunt; et ille : — Audite vero, audite, inquit; hominem enim audietis de schola, atque a magistro, et græcis literis eruditum; et eo quidem loquar confidentius, quod Catulus auditor accessit : cui non solum nos latini sermonis, sed etiam Græci ipsi[3] solent suæ linguæ subtilitatem elegantiamque concedere. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid est, sive artificium, sive studium dicendi, nisi accessit os[4], nullum potest esse; docebo vos, disciputi[5], quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam. Hic posteaquam arriserunt, Res mihi videtur esse, inquit, facultate præclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quæ sciuntur; oratoris autem omnis actio[6] opinionibus, non scientia, continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quæ nescimus ipsi : itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt, et judicant, et nos contrarias sæpe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, quum alterutri necesse sit falsum dicere; sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud defendat,

2. *Neque domi imperaram.* Me exspectari, ea parari quæ necessaria essent, si diem domi egissem.

3. *Græci ipsi.* Sch. delet *ipsi*, auctore cod. Guelf. 1.

4. *Nisi accessit os. Os* in hoc loco confidentiam, audaciam et impudentiam quamdam significat. Oportet, inquit, me pæne esse impudentem, qui velim docere, quod ipse numquam didicerim : sed quoniam oratores audaciam hanc in laude ponunt, neque orator esse bonus quisquam potest, nisi sit idem ore duriori, et paullo confidentior, aggrediar sane ad dicendum, quid sentiam de eloquentia. Proust.

5. *Discipuli, quod,* etc. Delevi *id* ante *quod;* abest enim edd. pr. omnibus. Ern.

6. *Actio.* Quidquit agit orator, materiæ quas tractat subjectæ sunt opinionibus variis hominum, non certa scientia reguntur. — *Alias aliud de-*

quum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in ejusmodi re, quæ mendacio nixa sit, quæ ad scientiam non sæpe perveniat, quæ opiniones hominum, et sæpe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis.

VIII. (VIII.) — Nos vero, et valde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus. Exorsus es enim non gloriose[1], magis, ut tu putas, a veritate, quam a nescio qua dignitate.

— Ut igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam : sic illud affirmo, præcepta posse quædam dari peracuta ad pertractandos[2] animos hominum, et ad excipiendas[3] eorum voluntates. Hujus rei scientiam, si quis volet, magnam quamdam artem esse, dicere, non repugnabo. Etenim quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem, aut propter consuetudinem aliquam, callidius id faciant; non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius, quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quamdam invenerit. Atque

fendat. Ideo se Antonius nullam orationem scripsisse profitebatur, ut nihil inde exstaret, quod sibi olim contraria dicenti objici posset.

VIII. 1. *Non gloriose, magis, ut.* Sic interpunxi, et ita omnis difficultas loci tollitur, nec opus Pearciano *magisque.* Immo copula elegantius abest. « Quam a dignitate », intell. artis, de qua vulgo prædicare solent in principio doctrinæ alicujus explicandæ. MS E. ed. Lips. hunc ordinem faciunt, « magis a veritate, ut tu putas ». Nec hoc male. ERN.

2. *Ad pertractand. animos.* Ed. W. *pertractandum*, quod et ipsum rectum est, et ab antiquariis utique præferetur. ERN.

3. *Ad excipiendas.* Fortasse « ad excitandas ». MURET. — Lamb. MS habuit *captandas* : sed cave, quid mutes : illa enim vox idem valet ac hæc : ut in Horatii Epist. lib. I, ep. 1, vs. 78 : « pomis viduas venantur avaras, Excipiuntque senes, quos in vivaria mittant ». PEARC. — Palat. pr. *explendas.* Pith. et Memm. membr. « explendas eorum voluptates ». GR.

utinam, ut mihi illa[4] videre videor in foro atque in causis, ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, possem vobis exponere[5].

(IX.) Sed de me videro: nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto[6] oratore præclarius. Nam, ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus jucundius percipi possit. Qui enim cantus moderatæ[7] orationis pronuntiatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in suscipienda[8] veritate jucundior? Quid autem subtilius, quam acutæ crebræque sententiæ? quid admirabilius, quam res splendore illustrata verborum? quid plenius, quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quæ quidem ornate dici graviterque debeat.

IX. Hujus est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia; ejusdem et languentis populi incitatio, et effrenati moderatio; eadem facultate et fraus hominum ad perniciem, et integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem arden-

4. *Illa...ea. Illa*, scil. quid boni, quid mali sit in eis qui dicunt. *Ea*, sc. præcepta, quæ ducta ex observationibus, quasi quamdam artem constituunt. Fortasse legendum « ea, sc. ars reperiretur ».

5. *Possem vobis exponere*. Pall. tres, « possum vobis exquirere », quemadmodum et supra excludunt « propter exercitationem aut », quod tamen in Pall. aliis. Grut.

6. *Perfecto oratore præclarius*. Hanc lectionem, quam confirmant Guelf. 1, 3, recte tenuerunt Gruter. et Gronov. Alii inepte *profecto*. Gr.

7. *Moderatæ orationis...dulcior*. Triga eadem « moderata oratione dulcior », ut appareat librarios aliis aliisque usos exemplaribus. Pal. tert. habuit a manu prima « moderatæ orationis dulcior », sine verbo altero. Gruter. — Schützius dat *moderata*.

8. *In imitanda, quam orator in suscipienda*. Tres Pall. utramque omittunt præpositionem, sequutusque id est Lambinus. Grut.

tius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis mœrorem levare mitius consolando? Historia vero testis temporum, lux veritatis, vita[1] memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quæ verborum, aut faciendorum, aut deligendorum[2] scientiam profiteatur; aut si[3] quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem, eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus; aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur, aut argumentorum, aut sententiarum, aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod hæc ars profiteatur, alienum esse, aut cum alia aliqua[4] arte esse commune. Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina, non, si qui aliarum artium[5] bene loquuti sunt, eo minus id est hujus unius proprium; sed ut orator de iis rebus, quæ ceterarum artium sunt, si modo eas cognorit[6] (ut heri Crassus dicebat), optime potest dicere: sic ceterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. Neque enim si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam id, quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit, aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit

IX. 1. *Vita memoriæ*. Schütz. dat « via memoriæ ». Hanc, inquit, emendationem nostram confirmat Orat. cap. 34, ubi Cicero dicit « memoriæ veteris ordinem ».

2. *Deligendorum*. Ern. *diligendorum*, forsan operarum vitio.

3. *Aut si quisquam*. *Aut* cum Pearcio addidimus, estque in edd. pr. et MS E. *Nisi orator* intell. « præter oratorem », ut mox et inf. cap. 45 extr.

4. *Alia aliqua*. Sic boni codd. probante Gœrenz. in Academ. II, 10. Sic et Sch. dedit. Vulgo, « aliqua al. »

5. *Si qui al. artium*. Id est, si qui colentes alias artes bene loquuti sunt, eo minus ratio bene loquendi est hujus artis propria.

6. *Cognorit*. Schutz. dat *cognovit* e codd. Guelf. 1, 2, 3.

eloquentia : in qua[7] quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur. Sed, quid cujusque sit proprium, etsi ex eo judicari potest, quum videris, quid quæque doceant, tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliæ sine eloquentia suum munus præstare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest : ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant; hic nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

X. (x.) — Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuæ, patiere tamen, mihique ignosces. « Non enim possum, quin exclamem », ut ait ille in Trinummo[1] : ita mihi vim oratoris[2] quum[3] exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime : quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut eloquentiam laudet; debet enim ad eam laudandam, ipsam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porro; tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum[4], diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, eum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo.

— Et Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, ex-

7. *In qua.* Forte *in quo*, ait J. V. L. — Nobis non melius *in quo* videtur quam *in qua.* Sensus est, ni fallimur : Multi in eloquentia consequuntur, etiam sine doctrina, quod omnium generum atque artium.

X. 1. *Ut ait ille in Trinummo.* Ut ait servus in comœdia Plauti, quæ Trinummus inscribitur, III, 2, 79 : « Non enim possum quin exclamem : Euge ! euge ! Lysiteles πάλιν. Facile palmam habes, hic victus : vicit tua comœdia ».

2. *Vim oratoris.* Ed. W. sine l. et a. habet « jus oratoris », quod valde arridet. Dixerat enim, ut supra est, de veritate artis : tum mox huc spectant illa : « vestrum esse hoc totum diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, eum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo ». Ern.

3. *Quum exprimere subtiliter visus es.* Ernest. dat *tum* ex edd. pr. ut mollius.

4. *Vestrum esse hoc totum.* Lallem. delet *esse*.

polivit, hominemque reddidit. Nam hesterno sermone, unius cujusdam[5] operis, ut ait Cæcilius[6], remigem aliquem, aut bajulum, nobis oratorem descripseras, inopem quemdam humanitatis atque inurbanum[7].

—Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos a te[8] discipulos abducerem : nunc, Catulo audiente et Cæsare, videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere. (XI.) Sequitur igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro atque in oculis civium constituendus, ut videamus, quid ei negotii demus, cuique eum muneri velimus esse præpositum. Nam Crassus heri, quum vos, Catule et Cæsar, non adessetis, posuit breviter in artis distributione idem, quod Græci plerique posuerunt; neque sane quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit : duo prima

5. *Unius cujusdam op.* Edd. W. a. l. et a. Lips. « unius cujusque oper. » Illud magis consentit consuetudini latinæ in hac sententia. Ed. Lips. habet etiam « M. Crassus » pro « et Crassus » paullo supra. Ern.

6. *Cæcilius.* Natione Insuber Gallus, professione comicus poeta. Quod servus fuisset, servile nomen habuit *Statius*, ut notat Gellius, lib. IV, cap. 20. Vixit Romæ, et comœdiæ princeps habitus est ætate sua. Eum licet dicat Cicero malum latinitatis auctorem, tamen ei primas inter comicos tribuit Volcatius Sedigitus, quod refert Gellius, lib. XV, cap. 24. Ipse Tullius, lib. de opt. gen. orat. cap. 1, videtur ipsi primum inter comicos locum dare. Sane apud Nonium in verbo *poscere* Varro principatum in argumentis Cæcilio dedit. « In argumentis Cæcilius poscit palmam, in ethesi Terentius, in sermonibus Plautus ». Claruit Cæcilius anno U. C. 577. De illo plura Vossius. Pearc.

7. *Inopem quemdam h. atque inurbanum.* Video *quemdam* referri posse ad *bajulum*? sed ei commune est « aliquem; remigem aliquem aut bajulum », et nimis longe videtur ab eo distractum. Suspicatus sum *quidem*. Ern. — Schutz. dedit *quidem*, quod vidit in margine MS Guelf. Assentior autem, inquit, Jacobsio, qui totam hanc clausulam : « inopem... inurbanum » a glossatore adjectam esse suspicatur. Si pro *inurbanum*, quod h. l. aptum non est, *illiteratum* vel *ineruditum* legeretur, nihil esset laborandum. — Memmii membranaceus, item Palat. pr. habent illud Lambinianorum codicum : *urbanum*, quod ultimum retinet Gulielmius, adducitque illud Varronis, lib. I, de Re rustica, « a recentibus urbanis ». Gr.

8. *Hos a te.* Sch. « hos abs te ».

genera quæstionum esse, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quæreretur, hoc modo : « Expetendane esset eloquentia? expetendine honores? » certum autem, in quo quid in personis, et in constituta re et definita quæreretur : cujusmodi sunt, quæ in foro, atque in civium causis disceptationibusque versantur. Ea mihi videntur aut in lite ordinanda[9], aut in consilio dando esse posita : nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui hæc maxime illustravit, adjunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium. — Quidnam? inquit Catulus; an laudationes? id enim video poni genus tertium.

XI. — Ita, inquit Antonius, et in eo quidem genere scio et me, et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, quum abs te est Popillia, mater vestra, laudata; cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto[1] : sed non omnia, quæcumque loquimur, mihi videntur ad artem et ad præcepta esse revocanda. Ex his enim fontibus, unde omnia[2] ornate dicendi præcepta sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare : quæ ut

9. *In lite ordinanda.* Ita Pall. præter primum, et Pith. et Menm. membran. qui *ornanda.* Gulielm. emendabat *oranda.* Gatr. — Gulielmium Schutzius sequutus est. In Guelf. 1, *ornanda.*

XI. 1. *Tributum puto.* Si credimus Plutarcho, in vita Camilli, longe ante hoc tempus, de quo loquitur Antonius, publice laudatæ fuerant matronæ romanæ, quæ ornamenta sua muliebria in publicum contulerant ad explendum votum in honorem Apollinis factum. Quæ variæ de his laudationibus traditiones conciliari possunt, si credamus morem illum matronas nobiles non ob aliquid bene factum, sed generaliter laudandi, ab hujus Popilliæ laudatione cœpisse. Postea Augustus in templo Cæsaris laudavit sororem suam Octaviam, et Nero in Rostris Poppæam.

2. *Unde omnia ornate dicendi præcepta sumuntur, licebit,* etc. Sch. dat, « unde ad omnia ornamenta dicendi præcepta sumuntur », cum Guelf. 1, Bal. Joan. Nov. Guelf. 2, 3, *sumentur.*

nemo tradat, quis est, qui nesciat, quæ sint in homine laudanda? Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis suæ, quam contra collegam[3] censor habuit, principio dixit, « Quæ natura, aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse animo æquo pati; quæ ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse[4] »: qui laudabit quempiam, intelliget, exponenda sibi esse fortunæ[5] bona. Ea sunt, generis, pecuniæ, propinquorum, amicorum, opum, valitudinis, formæ, virium, ingenii, ceterarumque rerum, quæ sunt aut corporis, aut extraneæ : si habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse[6]; si amiserit, moderate tulisse. Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid juste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit, aut tulerit. Hæc, et quæ sint ejus generis, facile videbit, qui volet laudare quempiam; et qui vituperare, contraria.

(XII.) — Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? non enim, si est facilius, eo de numero quoque est excerpendum. — Quia nolo, inquit, omnia, quæ cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua[7] sint,

3. *Contra collegam.* Cn. Domitium Ahenobarbum, Neronis imperatoris atavum, de quo dicebatur non esse mirandum, quod barbam haberet aheneam, cui os ferreum, et cor plumbeum esset. Censor fuit anno U. C. 662. Cum L. Crasso graves exercuit inimicitias. Vide Plinium, lib. XVII, cap. 1, et Valerium Maximum, lib. IX, cap. 1. PEARC.

4. *Se vinci pati non posse.* Sic Guelf. 1, 2, probante Heusingero. Vulgo, « se pati vinci non posse ».

5. *Esse fortunæ bona.* Fortunæ nomine h. l. et natura intelligenda, quæ additur in præcedentibus, et bene monuit Pearcius. ERN. — Lambinus dedit in contextu, « esse naturæ et fortunæ bona ».

6. *Sapienter caruisse.* Lambin. *patienter*, sed nolentibus MSS, neque necessario; quidquid dicat. GRUTER. — Schützius tamen Lambinum sequutus est.

7. *Quamvis exigua sint.* Lall. post Aldum, « q. egregia sint ».

ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine præceptis suis. Nam et testimonium[8] sæpe dicendum est, ac nonnumquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium[9], seditiosum civem et turbulentum : explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro republica restitissem, quæque ab eo contra rempublicam facta arbitrarer, exposui; diu retentus sum, multa audivi, multa respondi. Num igitur placet, quum de eloquentia præcipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis, quasi in arte tradere? — Nihil sane, inquit Catulus, necesse est.

XII. — Quid? si (quod sæpe summis viris accidit) mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorem, aut ad regem, aut ad populum aliquem a senatu : num, quia genere orationis in hujusmodi causis accuratiore est utendum, idcirco pars etiam hæc causarum numeranda videtur, aut propriis præceptis instruenda? — Minime vero, inquit Catulus : non enim deerit homini diserto in ejusmodi rebus facultas, ex ceteris rebus et causis comparata. — Ergo item, inquit, illa, quæ sæpe diserte agenda sunt, et quæ ego paullo ante (quum eloquentiam laudarem) dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium, neque certum præceptorum genus, et agenda sunt non minus diserte, quam quæ in lite dicuntur, objurgatio[1], cohortatio, consolatio : quorum nihil est, quod non summa di-

8. *Nam et testimonium...nonnumquam etiam accuratius.* Schutz. dat : « Nam etiam testimonium...ac nonnumquam accuratius », nullamque profert auctoritatem.

9. *Sex. Titium.* Hic tribunus plebis fuit anno U. C. 655. Quum agraria lege lata plebem sibi vellet demereri, consulem Antonium, qui hic loquitur, acrem habuit adversarium. Hæc Julius Obsequens. Pearc.

XII. 1. *Objurgatio.* Hæc in exemplum afferuntur, referrique debent vocibus « agenda sunt »

cendi ornamenta desideret; sed ex artificio res istæ præcepta non quærunt. — Plane, inquit Catulus, assentior.

(XIII.) — Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo, putas esse, historiam scribere? — Si, ut Græci[2] scripserunt, summi, inquit Catulus; si ut nostri; nihil opus est oratore: satis est, non esse mendacem. — Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Græci quoque sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso[3]. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, efferebatque[4] in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc[5] annales maximi nominantur. Hanc similitudinem scribendi multi sequuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Pherecydes[6],

2. *Si, ut Græci.* Est a Pall. nostris posterioribus, admisitque item Victorius: nam priores «alcut, etc.» ut vulgata, GRUT.

3. *Ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso.* De quibus in Bruto.

4. *Efferebatque in album.* Lamb. corr. «referebatque in album»; recteque probat Pearcius. Si esset «de albo», quod publice, in foro, proponeretur, eo referrem *efferebat*. Sed tabula illa, in qua scripserat, domi proponebatur, in atrio scilicet. EaN. — Sch. dedit *referebat*.

5. *Ii, qui etiam nunc.* Refer ad annales maximos: nam pronomina ad sequens substantivum referuntur; et sufficiebat *qui*: sed et aliis locis pronomen demonstrativum sic additur. Ed. s. l. et a. ed. Lips. habent *hique*, quod recepit Pearc. W. «hi, qui»: at in hac fere semper *hi* pro *ii*. Sic post cap. 15, pro «denique ei qui profitetur esse», ed. W. habet *hi*, alias *his*. EaNEST.

6. *Pherecydes.* Atheniensis historicus, alius a Pherecyde Syrio antiquiore, physico et theologo, historiam primus oratione numeris soluta scripsit, Darii, Hystaspis filii, temporibus, adeoque floruit circa Olymp, 68. Eusebium et Suidam, qui duos agnoscunt Pherecydas historicos, graviter errare observavit Scaliger, et

Hellanicus[7], Acusilas[8] fuit, aliique permulti; talis noster Cato, et Pictor, et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornatur oratio (modo enim huc ista sunt importata), et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. Paullulum se erexit, et addidit historiæ majorem sonum vocis[9] vir optimus, Crassi familiaris, Antipater[10]: ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

XIII. — Est, inquit Catulus, ut dicis : sed iste ipse Cœlius neque distinxit historiam varietate[1] locorum; neque verborum collocatione, et tractu orationis leni et æquabili perpolivit illud opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit : vicit tamen, ut dicis, superiores. — Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra

recte probat Vossius de historicis græcis, lib. IV, cap. 4. Pearc. — De quo vid. Dionys. Halic. I, pag. 10.

7. *Hellanicus.* Hellanici duo sunt. Alter Mitylenæus, sive Lesbius, scripsit de antiquissimis gentium principibus, et alia quam plurima. Herodotum annis duodecim præcessit, ut ex Pamphila refert Gellius, XV, cap. 23. Adeoque natus est anno 1 Olympiadis 71, nec nisi octoginta quinque post annos obiit, ut testatur Lucianus in Macrobiis. Alter Milesius fuit. De utroque suo more Vossius erudite disserit. De his historicis operæ pretium est conferre opus inscriptum *Voyage d'Anacharsis*, cap. 65.

8. *Acusilas.* Argivus historicus : quæ vincta numeris oratione Hesiodus, eadem numeris soluta scripsit : aut potius hujus carmina pedestrem in sermonem transtulit, et tamquam sua edidit, ut docet Clem. Alexandrinus, lib. VI Stromatum. Paullo ante Persarum in Græcos expeditionem, hoc est, Olympiade circiter 72 vixisse tradit Joseph. lib. I contra Apionem. Pearc.

9. *Majorem sonum vocis.* Schütz. delet *vocis.*

10. *Antipater.* In Bruto, cap. 26. Cui erat *Cœlius* nomen.

XIII. 1. *Varietate locorum.* Interdum suspicatus sum *rerum*, quia opponitur « verborum collocatio » et « tractus orationis, etc. » tum paullo post de Thucydide sunt res et verba. Possum *locorum* explicare, genera argumentorum, quæ narrantur. Sed tamen res est suspecta. Ern. — Contra Pearcius : *locorum*, id est, regionum; et ita Cicero in cap. sequenti, quum de historiæ legibus sermo est, dicit, « Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem ». Schütz. dat « varietate colorum » ex emendatione Jacobsii.

lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiæ nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat; apud Græcos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, quum ad ceteras res illustres, tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus: atqui tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego græce scripta intelligere possum, magnopere delectet. Et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit: qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus, et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in republica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt[2]; et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a republica remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset. Hunc consequutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero, quasi ex clarissima rhetoris officina[3], duo

2. *Qui causas dictitarunt.* Accipiendum est de toto genere: non ad ætatem ipsius referendum: alias esse deberet *dictitarent*, quamquam scriptura MSS, ut Erl. *dictitarunt:* utroque modo legi potest. Ern.

3. *Quasi ex cl. rhetoris officina.* MS Harl. 1 verborum hunc ordinem servat: « ex clarissima quasi rhetoris officina ». Bene; quum enim vox *quasi* ad vim solius vocis *officina* levandam usurpetur, longe ab ea abesse non debet. Sic Cicero de Legg. lib. I, c. 13: « Philosophi quasi officinas instruxerunt sapientiæ »; et in Bruto, cap. 8: « Domus Isocratis, quasi ludus quidam atque officina dicendi ». Pearc. — Sch. hæc verba « quasi ex rhetoris officina » delevit, quæ Ruhnkenius, Hist. crit. orat. gr. pag. 17, a sciolo quodam ex Bruto, cap. 8, et Orat. 15, adjecta esse judicavit.

præstantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi, se ad historiam contulerunt; causas omnino numquam attigerunt.

XIV. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes [1], comes Alexandri, scripsit historiam: et hic quidem rhetorico pæne more; ille autem superior leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timæus [2], quantum autem judicare possum, longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus, et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

(xiv.) Hæc quum ille dixisset: — Quid est, inquit, Catule, Cæsar? ubi sunt, qui Antonium græce negant scire? quot historicos nominavit? quam scienter? quam proprie de unoquoque dixit? — Id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud jam mirari desino,

XIV. 1. *Callisthenes* Olynthius, Aristotelis non modo discipulus, verum etiam consobrinus, ut narrat Laertius, tantæ fuit arrogantiæ, ut scripta sua factis Alexandri M. superiora esse prædicaret. Odiosus Alexandro, quod divinos ipsi decerni honores dissuasisset, minimeque aulæ et assentantium accommodatus ingenio, initæ in caput regis conjurationis falso suspectus, ante tortus interiit, Olympiade 113. Curtius, lib. VIII. Paust.

2. *Timæus*. Tauromenii in Sicilia natus, trecentis circiter ante Christum annis floruit, regnante Agathocle: cui, ob indictum exsilium, ulciscendi studio fuit præter modum infensus; adeo ut in hujus principis rebus nullam, auctore Suida, fidem mereatur. Varia fuit de ipso Veterum sententia: hic eximie laudatur a Cicerone. Eum alii censent nullo delectu quidlibet in suas historias infarsisse, Hesychiusque et Suidas eum γραοσυλλέκτριαν, « anum collectricem », appellatum fuisse referunt. Longinus libro περὶ ὕψους Timæum dicit sæpe frigidum, et ad puerilia delabi. At Diodorus Siculus propter intempestivas reprehensiones nuncupatum esse ἐπιτίμαιον, id est, reprehensorem. Annos xcvi vixit, teste Luciano in Macrobiis. Paust.

quod multo magis ante mirabar, hunc, quum hæc nesciret, in dicendo posse tantum. — Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros, et nonnullos alios, sed delectationis causâ, quum est otium, legere soleo. Quid ergo est? fatebor; aliquid tamen[3]: ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer; sic, quum istos libros ad Misenum[4] (nam Romæ vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari[5]. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, hæc dumtaxat in Græcis intelligo, quæ ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi: in philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de justitia, de honestate, de voluptate,

3. *Fatebor; aliquid tamen.* Distinctionem tollunt edd. W. s. l. et a. Lips. non bene: nam sensus ita commodus nullus; in hac distinctione autem sensus est: Fatebor (sc. non in eo esse omnia, aut valde multum): sed aliquid tamen inest, quod prosit, idque similitudine apta declaratur. *Fatebor* semper in deteriorem partem dicitur; at quod sequitur est bonum: igitur sic locus explicandus. Deinde punctum scripsi post *tamen;* nec enim *fieri* ad *fatebor* referendum, sed ad *sentio*, quod in altera parte est. Ern. — Nos non possumus quin credamus locum esse corruptum, vel aliquid excidisse.

4. *Misenum.* Misenus, mons Campaniæ. Oppidum vocant Josephus et Orosius. A Miseno, qui Æneam in Italiam sequutus erat, nomen accepit. Virg. Æn. lib. VI. Pearc.

5. *Orationem meam..... colorari.* Ante multos annos, quum hos libros tractarem cum juvenibus quibusdam, quibus eos, exercendæ ad modum eum, quem ipse præissem in scholis publicis, interpretationis et criticæ artis causâ, proposueram, unus ex iis, qui nunc in aula Dresdensi claret, vir ill. et generos. de Rœder, proposuit hanc conjecturam, ut pro *cantu*, qui nimis abhorreret a *colorandi* verbo, etsi per *quasi* emollito, legendum diceret videri *tactu*: ingeniose sane et eleganter. Ego vestigiis vulgatæ similius putaram *contactu*, e cujus verbi scriptura compendiaria *cantu* nasci potuisset: idque est proprium et usitatissimum verbum de solis hac vi ad colorandum, etc. Ecce vero MS Erl. plane habet *tactu*, quæ profecto non est librarii aberratio. Itaque recepi. Sic solis tactus Nat. Deor. II, 15. Vid. Clav. Ern. — Schützius Ernestum sequutus est.

verbum prorsus nullum intelligo : ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati! Poetas omnino, quasi alia quadam lingua loquutos, non conor attingere: cum his me (ut dixi) oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse nobis[6], qui non sumus eruditissimi, esse familiares. (xv.) Sed illuc[7] redeo.

XV. Videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio, an flumine orationis, et varietate maximum. Neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum præceptis: sita sunt enim ante oculos[1]. Nam quis nescit, primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat[2]? ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo? ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de consiliis significari quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum aut dictum sit, sed

6. *Voluisse nobis... esse familiares.* Ed. W. *esse* plane omittit; edd. s. I. et a. Lips. ponunt ante *familiares.* Carere hoc verbo oratio non potest: at durius est « voluisse esse ». Itaque editiones illas veteres et bonas sequutus sum. Malim tamen esse post *familiares:* ubi facilius excidere, aut absorberi potuit, per finalem syllabam verbi, ut deinde alii plane non haberent, alii quo vellent loco ponerent. Ernest.

7. *Sed illuc redeo.* Scilic. ad materiam quam tracto, scilicet multa esse genera orationis, interque historiam, quæ specialibus præceptis non reguntur.

XV. 1. *Sita sunt enim ante oculos.* Nescio an rectius legi debeat « ista sunt ». Nam quo referes illud *sita?* Conjecturam confirmat, quod mox dicit: « hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus ». Muret.

2. *Ne quid veri non audeat.* Recte *veri* pro *vere* jam reposuit Pearcius e MSS et edd. vett. quibus consentit MS E. Ego reperi in edd. J. A. non in primis. Res ipsa jubet sic corrigi. Ed. Lips. « ne quid veri tacere audeat ». Ernest.

etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis; hominumque ipsorum non solum res gestæ, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cujusque vita, atque natura. Verborum autem ratio, et genus orationis, fusum atque tractum, et cum lenitate quadam æquabili profluens, sine hac judiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est[3]. Harum tot tantarumque rerum videtisne[4] ulla esse præcepta, quæ in artibus rhetorum reperiantur?

In eodem silentio multa alia oratorum officia jacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita[5]: quæ tractanda sunt omnia disertissime; sed locum suum in illis artibus, quæ traditæ sunt, habent nullum. (XVI.) Atque in hoc genere[6] illa quoque est infinita[7] silva, quod oratori plerique (ut etiam Crassus ostendit) duo genera ad dicendum dederunt: unum de certa definitaque causa, quales sunt, quæ in litibus, quæ in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes[8]; alterum, quod appellant

3. *Sine sententiarum forensium aculeis persequendum est.* Edd. vett. fere, « prosequendum est ». Ego malim *sequendum*, quod est proprium et usitatum in hac sententia verbum: sed tamen et *persequendum* ferri potest. Ernest.

4. *Videtisne ulla esse præcepta.* Sic edidimus pro *nulla* ex edd. pr. idque melius est, ne *videtisne* sit accipiendum pro « nonne videtis »: quomodo sane aliquot locis, etiam Ciceronis, illa particula dicitur: sed tamen, ne ita accipere necesse sit, si ullo modo fieri potest, cavendum. Ern. — Schützius-Ern. reprehendit; sed J. V. L. testatur *nulla* inveniri in suis omnibus MSS.

5. *Præcepta, admonita.* Lambinus publicavit *monita.* Verum retinent alterum omnes membranæ. Gulielmius conjiciebat « aut monita »: non inepte. Gruт.

6. *In hoc genere.* Sc. earum artium quæ traditæ sunt.

7. *Infinita silva.* Infinitum opus. In his et seqq. probare conatur Antonius in his duobus generibus, quæ plerique constituunt, primum solum ad oratoris munus pertinere, alterum autem, quod infinitas quæstiones complectitur, nullo modo.

8. *Laudationes.* Edd. omnes *laudationis.* MSS quidam tamen *laudationes*, quod recepit Pearcius. *Laudationis* unde pendeat, non habet: nisi in-

omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore, et sine persona, quæstionem. Hoc quid et quantum sit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur. Si enim est oratoris, quæcumque res infinite posita sit, de ea posse dicere; dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo[9], quæ forma terræ: de mathematicis, de musicis rebus non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Denique ei, qui profitetur[10] esse suum, non solum de iis controversiis, quæ temporibus et personis notatæ sunt[11], hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quæstionibus dicere, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum.

XVI. Sed si illam quoque partem quæstionum oratori volumus adjungere[1] vagam, et liberam, et late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de virtute, de justitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus, contrariisque vitiis, dicendum oratori putemus;

telligas *causam*: quod mihi tamen durius videtur. Ern.

9. *Solis magnitudo*. Palat. pr. sec. item Memmii membranaceus ac Pith. « solis plenitudo ». Gaut.

10. *Denique ei, qui profitetur*. Edd. s. i. et a. Lips. habent « his, qui profitentur »; quod prope prætulerim, quia *profitentur* est etiam in edit. W. Sed ad sensum nil interest. Ernest.

11. *Et personis notatæ sunt*. Non dubito recipere conjecturam Lambini pro vulgata « notæ sunt », quod fatentur sensum nullum præbere, quum *notatæ* sit proprium Ciceronis in hac re verbum, et in promptu sit a compendiaria scriptura illud pro hoc nasci potuisse, ut *tractus* et *tractatus*, et similia; et hæc ipsa verba commutata in libris reperiuntur. Ernest. — Pearcius inducit locos e Partt. Oratt. « Alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum ». Atque alibi: « Ita disceptationes eæ, quæ in iis controversiis oriuntur, quæ sunt certis personis et temporibus notatæ ».

XVI. 1. *Oratori volumus adjungere*. Pal. pr. « oratoris esse volumus; adjungemus »: at vero illud « adjungemus » exstat item in Pal. sec. et Pith. Nam Memm. membr. « adjungamus ». Gaut.

itemque de republica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus: assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. Equidem omnia, quæ pertinent ad usum civium, morem hominum, quæ versantur in consuetudine vitæ, in ratione reipublicæ, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto: si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat; at certe, ut in causa prudenter possit intexere: hisce autem ipsis de rebus ut ita loquatur, ut ii, qui jura, qui leges, qui civitates constituerunt, loquuti sunt, simpliciter et splendide, sine ulla serie disputationum [2], et sine jejuna concertatione verborum. Hoc loco, ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla a me præcepta ponentur [3], sic statuo: Ut in ceteris artibus [4], quum tradita sint cujusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora, aut similia sint, tradi non necesse esse; ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cujusvis [5] vel formæ, vel ætatis, etiamsi non didicerit, pingere; neque esse periculum, qui leonem, aut tau-

2. *Sine ulla serie disputationum*, *et*. Quinque illæ voces non conspiciuntur in Pall. duobus illis, aut alterutro Gallicano. GAUT.

3. *Rerum nulla a me præcepta ponentur*, etc. Quadriga eadem *putentur*. GRUT.

4. *Ut in c. artibus*. Longior periodus fecit et corruptelis locum et obscuritati. Itaque primum corrigenda fuit, dedimusque post *tradita*, *sint* pro *sunt*, ex edd. vett. nostris et Pearc. et MS E. item ex iisdem « necesse esse » pro « necesse est »: atque ita hæc pars similitudinis conformatur alteri, ubi sint conjunctivi et infinitivi. Deinde hæc, « neque est omnino ars... persequuntur » debent in parenthesi dicta accipi, cujus signa addidimus. Ita obscuritas tolletur. Atque ita etiam non necessarium erit cum Pearcio legere « neque enim est o. » etsi est mollius. ERN.

5. *Posse eum cujusvis*. Lambinus et Heusingerus legendum censuerunt: « necesse est... potest cujusvis... neque est periculum ». Lambini autem lectio, ait Gruterus, quam libris acceptam fert, non comparet in Gallicanis Gulielmii, aut Palat. meis novem.

rum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit (neque est omnino ars ulla, in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua non incommode persequuntur): similiter arbitror[6], in hac sive ratione, sive exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de republica, aut de ipsius rebus, aut de iis, contra quos, aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæsiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, quum Herculem[7] fingebat, quemadmodum pellem, aut hydram fingeret, etiamsi hæc numquam separatim facere didicisset.

XVII. (XVII.) — Tum Catulus: Præclare mihi videris, Antoni, posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus; quid etiam[1], si non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumere: deduxisti enim totum hominem[2] in duo solum genera[3] causarum; cetera innumerabilia exercitationi et similitudini reliquisti. Sed videto[4], ne in istis duobus generibus hydra tibi sit, et pellis; Hercules autem, et alia opera majora, ne in illis rebus, quas prætermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur

6. *Sim. arbitror.* A Memmii chartaceo abest *arbitror*, Gulielmio volente. GRUT.

7. *Herculem.* Plinius, XXXIV, 8, nos docet hunc Herculem Polycleti Romæ fuisse.

XVII. 1. *Quid etiam, si non didicisset.... assumere.* Primum hic interpunctionem antiquam edd. pr. restituimus, post *etiam;* deinde fidenter correximus *assumere* pro *assumeret:* pendet enim manifeste ab *oporteret:* quid oporteret oratorem discere, quid assumere. ERN. — Schützius retinuit *assumeret.*

2. *Totum hominem.* Schütz. delet *totum.*

3. *Duo solum genera.* Sc. judiciale et deliberativum.

4. *Sed videto, ne.* Sch. dat cum Guelf. 2, 3, « Sed vide, ne in istis duobus generibus ».

de universis generibus rerum, quam de singulorum causis, ac multo etiam majus de natura deorum, quam de hominum litibus dicere. — Non est ita, inquit Antonius : dicam enim tibi, Catule, non tam doctus, quam, id quod est majus, expertus. Omnium ceterarum rerum oratio[5], mihi crede, ludus est homini non hebeti, neque inexercitato, neque communium literarum et politioris humanitatis experti : in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum : in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria judicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus, et repellendus; ubi sæpe is, qui rei dominus futurus est[6], alienus atque iratus, aut etiam amicus adversario et inimicus tibi est; quum aut docendus is est, aut dedocendus, aut reprimendus, aut incitandus, aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus[7] (in quo sæpe[8] benivolentia ad odium, odium autem ad beni-

5. *Omnium cet. rerum oratio*, etc. Tota hæc ῥῆσις longius tracta, et obscuriuscula, per frequentiam implicatarum sententiarum : nec videntur integra esse omnia : saltem illa extrema : « omnium sent, grav. etc. » sunt abrupta, nec satis coeunt cum præcedentibus. Vix Ciceronem hic agnoscas. Ernest.

6. *Qui rei...est.* Intellige judicem, in cujus potestate causa est. Ern.

7. *Omni ratione.....moderandus.* Hic locus est omnino corruptus, cui nihil libri scripti medicinæ afferunt.

8. *In quo sæpe...deducendum est.* Hæc sunt in parenthesi capienda : nam « qui tamquam machinatione » cum superioribus nectuntur, et ad judicem pertinent. Ac nescio an sint transposita, et post *contorquendus* ponenda, ubi cum ceteris, « omnium sententiarum », bene convenit. Ern. — Sch. hunc locum ita malit constituere : « ubi...inimicus tibi est ; in quo sæpe benivolentia ad odium, odium ad benivolentiam dedocendum est; qui quum docendus est a. d. a. r. aut mutandus, omni ratione ad tempus, ad causam est oratio moderanda; qui quum tamquam machinatione, etc. » Nobis vv. « in quo......deducendum est » nullo jure in parenthesi inclusa fuisse videntur : nam « in quo » est « in quo rei domino », sic bene coeunt sqq. « qui tamquam ». Gœrenz. *omnium* ante *sent.* et *verb.* ita defendit, ut *dicat* h. l. pro *omnis generis* positum esse.

volentiam deducendum est); qui tamquam machinatione[9] aliqua tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad lætitiam est contorquendus. Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum. Accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi[10], plena spiritus, plena doloris, plena veritatis[11]. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervæ signum efficere possit; non sane, quemadmodum in clypeo idem ille artifex[12], minora illa opera facere discat, laborabit.

9. *Qui tamquam machinatione... est contorquendus.* Schütz. sic locum in texto constituit: « qui quum tamquam machinatione... contorquendus, omni sent. grav. omnibus verb. pond. est utendum ». Recte damnat Gœrenz. ad libb. de Finibus, et ad Acad. II, 12. J. V. L.

10. *Plena animi.* Hæc omisit Lall.

11. *Plena veritatis.* Id est, plena iis affectibus, quos non præ se fert, sed revera habet orator. Quintilianus, Inst. Orat. lib. VI, cap. 2, histrionum affectus falsos vocat, oratorum veros, additque : « nec agimus (sc. nos oratores) rem quasi alienam, sed assumamus illum dolorem ». Vide etiam quæ de ea re loquitur noster in hujus lib. cap. 45, 46, 47. Pearc.

12. *Non sane... idem ille artifex.* Metuo, ut sit hic locus integer. Per voces « idem ille artifex » significatur Phidias : num igitur hoc dicit Antonius, neminem sculptorem laboraturum esse, quemadmodum Phidias discat facere opera illa minora? Nihil minus : sed quemadmodum ipse discat. Emendandum igitur locum hoc modo censeo : « Non sane, quemadmodum in clypeo, ut idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit ». Indoctis librariis voces *ut* et *quemadmodum* idem significare forsitan videbantur. Nunc vero posterior sententia priori bene respondet. Sensus autem est : Si quis possit efficere signum Minervæ, ut effecit Phidias, facile discet minora illa opera, quæ in clypeo erant, facere, ut idem Phidias facile didicit. Pearc. — Pearcius mihi non satisfecit; puto sic esse locum constituendum : « non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora i. o. laborabit ». Possis etiam *ut* ante *minora* ponere. Ern. — Sic, ut Ernest. correxit Wyttenbach. Bibl. crit. vol. I, part. I, pag. 29, nisi quod relinquit v. *facere*, quod videtur Ernest. tollere velle. Schützius Wyttenbachium sequutus est. Et certe locus ferri potest sine ulla mutatione, aut additione : nam sententiæ structura erit sane naturalis nec inusitata : « non sane idem ille artifex laborabit, quemadmodum discat facere minora illa opera in clypeo ». Objiciunt non de Phidia in hoc membro orationis, sed de oratore agi debere. Sed alterum comparatum alterius locum occupat; nihilque aliud efficitur, quam allegoriæ genus quoddam frequentissimum post tales comparationes.

XVIII. (XVIII.) — Tum Catulus : Quo ista majora ac mirabiliora fecisti, eo me major exspectatio tenet, quibusnam rationibus, quibusve præceptis ea tanta vis comparetur : non quo mea quidem jam intersit (neque enim ætas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos sequuti sumus, qui numquam sententias de manibus judicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis, tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus), sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus requiro. Nec mihi opus est græco aliquo doctore, qui mihi pervulgata præcepta decantet; quum ipse numquam forum, numquam ullum judicium adspexerit : ut peripateticus[1] ille dicitur Phormio; quum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret; quumque se non nolle dixisset; loquutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quærebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Pœnus[2] non optime græce, sed tamen libere respondisse fertur, «multos se deliros senes sæpe vidisse; sed qui magis, quam Phormio, deliraret[3], vidisse neminem». Neque mehercule injuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo romano

XVIII. 1. *Peripateticus... loquutus esse dicitur.* Primum *dicitur* delendum est, nisi Cicero consulto bis posuit propter interpositam parenthesin longiorem. Ern.

2. *Pœnus.* Lallem. « Hic Pœnus ».

3. *Quam Phormio, deliraret;* Pall. duo et Pith. item Memm. *delectaret :* neque ab eo abhorruisse videtur Gulielmius. Grut.

omnium gentium victore certasset, græcum hominem, qui numquam hostem, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi præcipiunt, videntur : quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut Hannibalem[4], sed pueros, aut adolescentulos docere conantur.

XIX. (XIX.) — Erras, Catule, inquit Antonius: nam egomet in multos jam Phormiones incidi. Quis enim est istorum Græcorum, qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perpetior et perfero. Nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat; aut efficiunt, ut me non didicisse minus pœniteat : dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal, et eo fortasse plus habeo etiam negotii[1]; sed tamen est eorum doctrina, quantum ego judicare possum, perridicula.

Dividunt enim totam rem in duas partes, in causæ controversiam, et in quæstionis[2]. Causam appellant, rem positam in disceptatione rerum[3] et controversia;

4. *Non te, ut Hannibalem.* Pearc. ex uno codice dedit « ut ille Hannibalem », non male : sed vulgatum bene habet. Hannibalem intellige Catulum, velut aliquem in hoc genere Hannibalem. Ern. — Schütz. Pearcium sequutus est.

XIX. 1. *Plus habeo etiam negotii.* In iis dimittendis, ut eorum loquelam effugiam.

2. *Et in quæstionis.* Int. controversiam; quod verbum hic latius dicitur. Itaque non opus est cum Pearcio corrigere *quæstionem*; quod alias controversia est rei finitæ, quæstio infinitæ; etsi sic reperit in MSS duobus, ut in ed. Lipsiensi. Ern.

3. *Rem positam in discept. rerum.* Nullo modo verum esse potest, nisi addas *certarum* : sed verbum *rerum* est vitiosum. Conjeci *personarum.* Vide de Inv. I, 6. In MS E. reperi *reorum*. Etiam reliqua *et controversia* redundare videntur non bene. Ern. — Sch. dedit *reorum* : nempe, inquit, rei sunt omnes, quorum de re disceptatur, c. 45. Lambino placebat : « In disceptatione finita rerum controver-

quæstionem autem, rem positam in infinita dubitatione[4]. De causa præcepta dant; de altera parte dicendi[5] mirum silentium est. Denique quinque faciunt quasi membra eloquentiæ, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriæ mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare: rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit[6], neminem posse dicere[7], nisi et quid diceret, et quibus verbis, et quo ordine diceret, haberet, et ea meminisset? Atque hæc ego non reprehendo; sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quatuor[8], quinque, sexve partes, vel etiam septem (quoniam aliter ab aliis digeruntur), in quas est ab his omnis oratio distributa. Jubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, benivolum nobis faciamus, et docilem, et attentum; deinde rem narrare, ita ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis; post autem dividere causam, aut proponere; nostra confirmare argumentis, ac rationibus; deinde contraria refutare: tum autem alii conclusionem orationis, et quasi pero-

sarum ». Heusingero autem: « rem positam in disceptatione personarum et temporum controversia ».

4. *Rem positam in infinita dubitatione.* Stant ab hac lectione Pall. posteriores: primus habet: « rem positam in infinita divisionis dubitatione ». Sec. « rem positam infinitam divisionis dubitatione ». Quomodo et Pith. Nam Memmianus, « infinitam dictionis dubitatione ». Gaut.

5. *De altera parte dicendi. Dicendi* quidem vitiosum est. Pearcius corrigit *divisionis*, quod in MSS suis reperisse se dicit, quamquam alieno loco. Ego simpliciter delendum puto, aut ad « præcepta dant » transponendum. Ern.

6. *Sua sponte viderit.* Bene ut et MS E. Edd. autem pr. habent « videret »: « quia hoc non videret », ut Germani nostri solent, pro *videat*, vel *viderit*. Ern.

7. *Neminem posse dicere.* Delevi *apte*: nam nec huic loco et sententiæ convenit, nec est in edd. pr. nec in MS E. Ern.

8. *Ut eas item quatuor, quinque, sexve partes, vel etiam septem*, etc. *Quatuor* videtur alienum esse. Nam statim quinque partes, i. e. usitatissimam partitionem, enumerat; deinde addit ceteras, quæ ab aliis ponantur partes, sextam « tum autem alii, etc. » et septimam « alii jubent, antequam, etc. » Ernest.

rationem collocant; alii jubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa, digredi[9]; deinde concludere, ac perorare. Ne hæc quidem reprehendo : sunt enim concinne distributa; sed tamen, id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis[10], non perite. Quæ enim præcepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. Nam ego mihi benivolum judicem facilius facere possum in cursu orationis, quam quum omnia sunt inaudita; docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum doceo et explano; attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus judicum, non prima denuntiatione efficere possumus. Jam vero narrationem quod jubent verisimilem esse, et apertam, et brevem, recte nos admonent; quod hæc narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare : omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, cujusmodi de ipso jure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat[11] : ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum prætermittatur; deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem, et superare, mendosum est; tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet, neque redundare.

Sed hoc si in jure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt; non idem sentio tanta hac in re, tamque immensa, posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos,

9. *Digredi*. Schütz. *degredi*.

10. *Expertibus veritatis*. Qui numquam ipsi causas oravissent, experientia carentibus.

11. *Cujusmodi de ipso jure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat*, etc. Vide supra librum I, cap. 42.

qui hæc docent; omnia jam explicata et perpolita assequentur[12] : sunt enim innumerabiles de his rebus libri, neque abditi, neque obscuri. Sed videant, quid velint[13] : ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumpturi. Aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat. Attamen ars ipsa ludicra armorum et gladiatori et militi prodest aliquid; sed animus acer, et præsens, et acutus idem atque versutus, invictos viros efficit, non difficilius arte conjuncta[14].

XX. (xx.) Quare ego tibi oratorem sic jam instituam, si potero[1], ut, quid efficere possit[2], ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis[3]; audierit aliquid, legerit, ista ipsa præcepta acceperit : tentabo, quid deceat[4], quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur, obsecrabo : tantum ego in excellente oratore, et eodem viro bono[5], pono esse ornamenti universæ civitati. Sin videbitur, quum omnia summa fecerit[6], tamen

12. *Omnia... assequentur.* Brevius dictum : si tamen est sine vitio : omnia sunt ita explicata, ut facile intelligere possint : nisi *assequi* est pro *reperire*. Ern.

13. *Sed videant, quid velint : ad lud.* Sic interpunxi, ut sensus sit : Sed qui adeant istos doctores et libros, constituant secum, quo consilio ista discant, quid se consequuturos sperent. Si quis malit legere « qui velint », ut est in edd. vett. scilicet ista discere, non repugnem. Ern.

14. *Non d. arte conjuncta.* Sensus et res requirunt, non difficilius, ubi sine arte est, quam si artem adjunxeris, adeoque arte carere potest. Sed in hoc sensu videtur esse debere « arte non juncta », vel « arte sejuncta ».

XX. 1. *Instituam, si potero*, reposui pro *potuero*, ex ed. W. a. l. et a. Lips. Ern.

2. *Quid efficere possit.* Quæ sint ei dotes ingenii et corporis, ut primum videam an ex eo umquam oratorem efficere possim.

3. *Tinctus literis.* Contra Budæum isthæc explicat P. Victor. Var. Lect. lib. X, cap. 18. Gaut.

4. *Quid deceat.* An sit decor in ejus habitu.

5. *Et eodem viro bono.* Guelf. 1, « et eodem bono viro ».

6. *Quum omnia summa fecerit.* Ut

ad mediocres oratores esse venturus : permittam ipsi, quid velit; molestus magnopere non ero. Sin plane abhorrebit, et erit absurdus : ut se contineat, aut ad aliud studium transferat, admonebo. Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra, neque is, qui aliquid potest, deterrendus : quod alterum, divinitatis mihi cujusdam videtur; alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis; tertium vero illud, clamare contra quam deceat, et quam possit[7], hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore[8] dixisti, stultitiæ suæ quam plurimos testes domestico præconio colligentis. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus adjuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea dumtaxat, quæ nos usus docuit, ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus[9].

se habet vulgata lectio *summa*, ni fallor, Cicero aliud dicit, ac dicere vult. « Omnia summa facere », est, esse perfectum in iis rebus, quas quis aggreditur. Sed patet ex verbis sequentibus, « tamen ad mediocres, etc. » non hoc Ciceronem velle. Lege igitur cum MSS Cant. Wag. Harl. et Joan. « quum omnia summe fecerit », i. e. quum omnia tentaverit obnixe, et manibus, ut aiunt, pedibusque. Fieri vero potest, ut, aliquis totis viribus conetur, nihil tamen proficiat. Passim apud Ciceronem occurrunt, « summe sollicitare, summe contendere ». Pearc. — Ern. vulgatam *summa*, quamquam *summe* in suo MS invenerit, placueritque Gronovio, elegantiorem esse dicit, Clavemque in *summus* videri jubet.

7. *Et quam possit, hominis est, ut tu, Catule.* Ernest. corrigit *possis*, quia ante est « non optime possis », deinde « non pessime facias », et in edit. Lips. reperi. Sed MSS dant « et quam possit ». Sic Guelf. 1, 2, 3.

8. *De quodam declamatore.* Gruterus in MS reperit *clamatore;* et sic MS E.° edd. W. a. l. et a. Lips. placeretque, si possem explicare in hac lectione « præconium domesticum », quod non video qua de alia re, quam de declamatione, intelligi possit. Ern.

9. *Quoniam meliora doc. non possumus.* Per modestiam dicit se illi indicaturum viam quæ ducit eo quo pervenit ipse, quoniam non potest ei ostendere quomodo longius pervenire possit.

XXI. (XXI.) Atque, ut a familiari nostro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium, primum[1] in causa parvula adolescentulum audivi, voce, et forma, et motu corporis, et reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quærimus; oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis effervescentibus, et paullo nimium redundantibus, quod erat ætatis, non sum aspernatus. Volo enim se efferat in adolescente fœcunditas: nam facilius sicut in vitibus[2] revocantur[3] ea, quæ sese nimium profuderunt[4] quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur: ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse[5] diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assequutum. Vidi statim indolem, neque dimisi tempus, et eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad dicendum[6]; magistrum autem, quem vellet, eligeret; me quidem si audiret, L. Crassum: quod iste arripuit, et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiæ scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meæ, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me: non est credibile, quid interesse mihi sit visum

XXI. 1. *Sulpicium, primum.* Quia oratio non bene eo hærere videtur, Lambinus et Pearcius interponi volunt *quum*: « Sulpicium, quum primum...audivi ». Si quid tale tentandum, malim *ut*: sed illa « primum... audivi », in parenthesi dicta accipio; ita nulla correctione opus est. Ern. — Schützius Lambinum sequutus est.

2. *Nam.....vitibus.* Interpungunt vulgo sic: « facilius, sicut in vitibus, revoc. » quasi ista « facilius revocantur », non ad similitudinem et ad vites pertineant, sed ad consequens. Atque in edd. pr. ista sine interpunctione sunt. Ern.

3. *Revocantur ea.* Ridicule Lambinus conjicit *resecantur*: *revocantur* enim quæ se nimium prodiderunt. Virgilius: « In quascumque voces artes, haud tarda sequentur ». Gul.

4. *Profuderunt.* MS E. dat *prodiderunt*. Ern.

5. *Succus esse.* Alii, « esse succus ».

6. *Forum sibi ludum...ad dicendum.* Vulgo *discendum*, male. *Discere* intelligitur in ludo: quod adjicitur ludo, debet definire genus discendi.

inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Omnino eum in illud genus Crassi magnificum atque præclarum natura ipsa ducebat; sed ea non satis proficere[7] potuisset, nisi eodem studio atque imitatione intendisset[8], atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum, atque omni animo intueretur.

XXII. (XXII.) Ergo hoc sit primum in præceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur[1], atque ita, ut, quæ maxime excellant[2] in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur : tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat, atque ita exprimat, non ut multos[3] imitatores sæpe cognovi, qui aut ea, quæ facilia sunt, aut etiam illa, quæ insignia ac pæne vitiosa, consectantur[4] imitando. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicujus, aut statum, aut motum. Si vero etiam vitiosi aliquid[5] est,

Et verbum hoc commune est magistro, qui statim sequitur. Intelligendus autem est magister *dicendi*, non *discendi*. Hac ratiocinatione repereram olim scribendum esse *dicendum*. Postquam edd. W. et s. l. et a. accepi, in utraque reperi, item in MS E. et edit. Lips. ERN. — Sch. servat *discendum*.

7. *Proficere*. Libri quidam et edd. *perficere*, male. *Proficere* est proprie *progredi*, quod huic loco optime convenit, et tropo, quo cœpit dicere. Quintil. I, 1, 36 : « prosequitur memoria ad senectutem, et usque ad mores proficit ». ERN.

8. *Eodem...intendisset*. Sic edit. Mediol. Asc. Lamb. pro vulgato *incidisset*, quod est in edd. W. Aldi et sqq. « Intendere aliquo » usitatissimum est hoc sensu, et optime convenit verbo *ducebat*. Ed. s. l. et a. *incepisset*, male. Inde tamen Lamb. conjecit Ciceronem scripsisse *incubuisset*, quod aliquis etiam adscripsit in edit. Asc. et editum est in Lips. ERN. — Schützius Ern. sequutus est.

XXII. 1. *Quem imitetur*. Edd. W. s. l. et a. habent *imitemur*, eodemque modo in duobus sequentibus verbis. Et in eo nil esset vitii, *si* cetera permitterent, ubi omnia aliter, « persequatur, effingat, etc. » ERN.

2. *Excellant*. Sch. dat *excellent* e Guelf. 1.

3. *Non ut multos*, etc. Totus hic locus abest a MS E. ERN.

4. *Consectantur imitando*. Ed. W. et s. l. et a. *consectentur*. Sic et edidit Melanchthon. Fuit fortasse *consectarentur*, ut esse debet, sicut ante *essent* pro *sunt*, si ista pendent e *cognovi*, intelligendumque est de imitatoribus iis, quos ipse se dicit cognovisse. Si ad genus universum imitatorum refertur, quasi esset, « non ut imitatores, quos m. s. c. » stare vulgatum potest. ERN.

5. *Vitiosi aliquid est*. Vulgatum

id sumere, et in eo vitiosum esse[6], non magnum est, ut ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in republica, Furius[7], nervos in dicendo C. Fimbriæ, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem[8] imitatur: sed tamen ille nec deligere scivit, cujus potissimum similis esset, et in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo; deinde, quem probavit, in eo, quæ maxime excellent, ea diligentissime persequatur.

(XXIII.) Quid enim causæ censetis esse, cur ætates extulerint singulæ singula prope genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus judicare, quia scripta, ex quibus judicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Græcis; ex quorum scriptis, cujusque ætatis quæ dicendi ratio voluntasque fuerit, intelligi potest. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent[9], Pericles,

erat « vitiose est aliquid », quod Ern. vix latinum esse dixerat, sed tamen in textu reliquerat. Schützius dedit « insigne aliquid est », nulla allata auctoritate.

6. *Et in eo vitiosum esse.* Hoc verum vix esse potest: nam de imitatione dici debet, imitari, quod vitiosum est, ut infra in exemplo, « oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur: sed tamen ille nec deligere scivit ». An Cicero scripsit: « et in eo curiosum esse, non magnum est »? Ernest.

7. *Furit in rep. Furius.* Sic fidenter rescripsi pro *Fusius*, pro quo male *Fufius* dedit Pearcius: quod alibi sane cum *Fusius* permutatur in libris Ciceronis. Antiquarii librarii e *Furius* fecere *Fusius* antiqua scriptura et pronuntiatione. Vid. Clav. et ad Div. IX, 21. *Furius* verum esse indicat verbum *furit*, quo luditur in nomen *Furius*. Ern. — Aldus Nepos expressit *Fufius*, quod in Pall. plerisque: restat tamen *Fusius* in quint. ac sept. nam pr. et sec. istud exemplum omisere. Grut. — Schützius cum Pearcio et Heusingero defendit *Fufius*. — *Fimbriæ.* De quo vid. Brut. c. 66.

8. *Verborum latitudinem.* Est quæ *vasta* alias dicitur Ciceroni, ore late diducto, pronuntiatio. Græce πλατυασμός. Ern.

9. *Quorum quidem scr. constent.* Usitatius est in hac re *exstent*: sed voluit etiam exprimere γνησιότητα indubitatam librorum. Ern.

atque Alcibiades, et eadem ætate Thucydides, subtiles, acuti, breves, sententiis magis, quam verbis abundantes. Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias: multa Lysiæ scripta sunt; nonnulla Critiæ; de Theramene audivimus [10]. Omnes etiam tum retinebant illum Pericli [11] succum; sed erant paullo uberiore filo [12]. Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cujus e ludo [13], tamquam ex equo Trojano, meri principes [14] exierunt; sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.

XXIII. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratæ, multique alii naturis differunt; voluntate autem [1] similes sunt, et inter sese et magistri [2]; et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Æschines, Dinarchus, aliique com-

10. *Audivimus.* Sch. dat *audimus* e Guelf. 1, probante Heusingero. Idem Sch. infra « etiam dum » pro « etiam tum » præbet.

11. *Pericli.* Vulgo *Periclis*: sed alterum visitur in Pall. fere omnibus, et Gallicanis Gulielmii duobus, denique editionibus exoletis; adnotavitque sic legi in vetustioribus membranis Rivius, cujus Castigationes consulendæ. GAUT.

12. *Succum...filo.* Non bene consentiunt hi tropi. Sed non semper tropi ex eodem genere sumuntur, ut debent. Sumptum est « uberiori filo » a Græcis, qui vestes appellant πυκνοστήμονας, πολλῇ κρόκῃ, uberiori et densiori subtemine. ERN.

13. *Cujus e ludo.* Pearcius conjecit « qui ejus e ludo », ut ad superiores illos referatur: quod mihi frigere videtur. Neque vero Isocrates illorum magister fuit. Mihi « magister istorum omnium » genuinum esse non videtur: sed in margine scriptum fuisse, subjectis nominibus eorum, qui sequuntur, ut facere solebant domini librorum, id quod sæpe in MSS vidimus. ERN. — Schützius hæc verba omnino delevit.

14. *Tamquam ex equo Trojano, meri principes.* Edd. pr. omnes habent « innumeri principes »: sic et MS E. Sed vulgatum verum est, quod e Nonii testimonio dedit primus Victorius. ERN.

XXIII. 1. *Voluntate autem similes sunt, et inter sese et mag.* Exprimit græcum προαίρεσιν, consilio universo dicendi: idem sequuntur in dicendo, sed propter diversitatem ingenii et naturæ non idem sunt assequuti. ERN.

2. *Et inter sese et magistri.* Grute-

plures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem[3] veritatis imitandæ genere versati, quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit; posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quædam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni[4]; tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt. Quæ si volemus usque ad hoc tempus persequi; intelligemus, ut hodie Alabandensem[5] illum Meneclem, et ejus fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur[6] Asia, sic semper fuisse aliquem, cujus se similes plerique esse vellent.

Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis, tum scribendo maxime persequatur : quod si hic noster Sulpicius faceret, multo ejus oratio esset pressior; in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere,

rus obnixe nimis contendit pro vulgata lectione « et inter sese magistri » : sed quid velit « inter sese magistri », nescio. Auctoritate igitur MSS Cant. Norf. Bod. Bal. Nov. Wag. necnon omnium veterum editionum sic locum refinxi, « voluntate autem similes sunt et inter sese, et magistri ». Hoc sensu : Omnes illi discipuli Isocratis idem scribendi genus secuti sunt : omnesque Isocratis, magistri sui, in scribendo similes sunt. Sequitur ergo quod hoc exemplo probare voluit Antonius, eos omnes aliquem, nempe Isocratem, sibi imitandum proposuisse. Pearc.

3. *In eodem... veritatis*. Pearcius ex uno MS edidit *virtutis*, quod et ed. Lips. habet; non bene. Si verum esset *virtutis*, deberet esse « in ejusdem virtutis imitandæ g. » Vulgatum verum est. *Veritas* est vera et una probanda ratio dicendi. Ern. — Schütz. sustulit *imitandæ*, quod, inquit, non est aptum. *Veritatis* accipiendum est de veris causis forensibus. Ruhnkenius conj. « veritatis tutandæ ».

4. *Demostheni*. Lallem. exhibet *Demosthenis*.

5. *Ut hodie Alabandensem*. Pall. priores et Gall. *ut etiam*, quod placuit Gulielmio : *etiam* pro *adhuc*, nisi malimus dividere « et jam ». Grut.

6. *Tota imitetur Asia*. Lall. « tota imitatur Asia ».

in summa ubertate[7] inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est.

— Hic Sulpicius : Me quidem, inquit, recte mones, idque mihi gratum est; sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror.

— Tum ille : Quasi vero, inquit, non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipsi desint[8] : sed tamen ne tabulas quidem conficere[9] existimor[10]. Verum et in hoc, ex re familiari mea, et in illo, ex eo, quod dico, quantulum id cumque est, quid faciam[11], judicari potest. Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur, et suapte natura, quod velint, sine cujusquam similitudine consequantur : quod et in vobis animadverti recte potest, Cæsar, et Cotta; quorum alter inusitatum quidem nostris oratoribus leporem quemdam et salem, alter acutissimum et subtilissimum dicendi genus est consequutus. Neque vero vester æqualis Curio, patre, mea sententia, vel eloquentissimo temporibus illis, quemquam mihi magnopere videtur imi-

7. *Ut in herbis...in summa ubertate.* Sch. forte legendum esse dicit, « ut in herbis rustici solent dicere de summa ubertate ».

8. *Desint.* Scribendum semper putavi *desint :* pendet enim e *præcipiam*. Ecce sic in MS Erl. reperi. Ern.

9. *Tabulas quidem conficere.* Tabulæ illæ erant, in quibus ratio impensorum et acceptorum habebatur.

10. *Sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor.* Hæc est Antonii sententia : Non tamen sum in scribendo tam negligens, quam dicis. Quemadmodum enim existimor non conficere tabulas, quas tamen a me confici satis probat res mea familiaris a me administrata : sic scribendi exercitationem penitus a me non omitti, satis declarat hæc mea, quantulacumque est, dicendi facultas et copia quam videlicet numquam, nisi crebro multumque scribendo, assequutus essem. Proust. — *Ne tabulas quidem.* Hoc quid sit, et quo pertineat, patet e Verrinis et aliis locis, ubi reprehenduntur, qui tabulas acceptorum et expensorum non conficere solent, quod id suspectos rei familiaris male administratæ faciat; ipse Antonius dicit intelligi posse ex re sua familiari bene constituta non malo consilio se tabulas non conficere. Ern. — De tabulis domesticis Romanorum, vide Testim. Asconii in Lex. Hoffmanni, tom. IV. Pearc.

11. *Quid faciam.* Scil. et se tabulas conficere et se scribere.

tari; qui tamen verborum gravitate, et elegantia, et copia, suam quamdam expressit quasi formam, figuramque dicendi: quod ego maxime potui judicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis[12] dixit; in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.

XXIV. (XXIV.) Verum, et aliquando ad causas deducamus illum, quem instituimus[1], et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, judiciorum atque litium: riserit aliquis fortasse hoc præceptum; est enim non tam acutum, quam necessarium, magisque monitoris non fatui, quam eruditi magistri: hoc ei primum præcipiemus, quascumque causas erit acturus, ut eas diligenter, penitusque cognoscat. Hoc in ludo non præcipitur: faciles enim causæ ad pueros deferuntur. « Lex peregrinum vetat in murum adscendere; adscendit; hostes repulit; accusatur ». Nihil est negotii hujusmodi causam cognoscere. Recte igitur nihil de causa discenda præcipiunt: hæc est enim in ludo causarum fere formula. At vero in foro, tabulæ, testimonia, pacta, conventa[2], stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est; quarum rerum negligentia plerasque causas, et maxime privatas (sunt enim multo sæpe obscuriores), videmus amitti. Ita nonnulli, dum operam suam multam exi-

12. *Pro fratribus Cossis.* Ita Pall. posteriores; at primus *Rosciis*, sec. *consciis*; Memm. membran. *Rosiis*, Pith. *Cosiis*. Grut.

XXIV. 1. *Illum, quem instituimus.* Vulgo *constituimus.* Scribendum sine dubio *instituimus*, e cap. 20, « quare oratorem tibi sic instituam »: et discipuli non *const.* sed *inst.* Itaque sic correximus. Ern.

2. *Pacta, conventa.* Lambinus et in hoc loco, et in nonnullis aliis similibus comma delevit, et sic legit « pacta conventa ». Strebæus etiam dicit doctissimos quosdam viros sic olim legisse. Nec aliter Ulpianus in libro

stimari volunt, ut toto foro volitare, et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem[3] magna offensio, vel negligentiæ, susceptis rebus; vel perfidiæ, receptis; sed etiam illa major opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere. Ita dum inertiæ[4] vituperationem, quæ major est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis.

Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et, ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi æquitate, meam, adversarii, judicis. Qui locus est talis, ut plus habeat adjumenti, quam incommodi, hunc judico esse dicendum; ubi plus mali, quam boni reperio, id totum abjudico[5] atque ejicio[6]. Ita assequor, ut alio tempore cogitem,

juris gentium: « Solemus enim dicere pacta conventa inesse bonæ fidei judiciis ». Immo hodie inter Polonos « pacta conventa », nonnihil mutato tamen sensu, usitate dicuntur. Pearc.

3. *In quo est illa quidem*. Voluit hunc locum diligentius superioribus explicare Pearcius, sed non est assequutus satis verum sensum. *Negligentiæ* crimen est, si quis sua sponte, non rogatus, causam aliquam agit (nam hoc est « suscipere causam »): et eum agit propter multitudinem causarum, quas agit, male: at *perfidiæ*, si rogatus agit ad se delatam (nam hoc est « recipere causam ») et non diligenter et bene agit: nam ita fallit fidem. Hinc intelligenda sequentia: ita committunt, ut dupliciter reprehendantur, primum, quod causas non diligenter et cum fide egerint, deinde, quod non satis intellexerint vel cognoscere potuerint, sintque tardi ingenio, quod maxime volunt effugere. « Assequuntur etiam », eleganter, pro eo, quod alias dicit Cicero « incidunt in illam ». Ern.

4. *Inertiæ*. Locus hic Lambinum et alios exercuit, quum non viderent, quomodo inertiæ vituperatio posset dici major, quam tarditatis. *Inertia* nihil aliud designat, quam artis ignorantiam, quæ in oratore sane est vitium maximum. Vars.

5. *Abjudico*. Schütz. ex ed. 1495, *abdico*.

6. *Atque ejicio*. Est a Gallicanis et Pall. nam recepta lectio *rejicio*: sic et

quid dicam[7], et alio dicam: quæ duo plerique, ingenio freti, simul faciunt; sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent.

(xxv.) Quum rem penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quæ sit causa ambigui[8]. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, sive ex crimine causa constet, ut facinoris, sive ex controversia, ut hæreditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex persona, ut laudis[9], sive ex disputatione, ut de ratione vivendi; in quo non, aut quid factum sit, aut fiat, futurumve sit, quæratur, aut quale sit, aut quid vocetur.

XXV. Ac nostræ fere causæ, quæ quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis, quæ maximæ sunt, neganda fere sunt omnia; et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione sejungere; de sicariis, de veneficiis, de peculatu, infitiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in judiciis, ex controversia facti: in deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam[1] ex instantis, aut facti[2]. Sæpe autem res non, sit, necne, sed

supra lib. I, cap. 32. Habemus item *ejicio*, quod Lambinus invitis MSS mutavit in *rejicio*. Gaut.

7. *Alio tempore cogitem, quid dicam.* Pall. duo et Gallicani « quæram quod » et fere prætulerim, quod statim sequatur « ad cogitandum »: supra etiam, ubi exstat « causas dicunt incognitas », iidem libri habent vel « sciunt », vel « sumunt incognitas »: ultimum non spreverim. Gaut.

8. *Quæ sit causa ambigui.* Schütz. dat « quæ sit causa ambigendi » e codd. Guelf. 2, 3.

9. *Sive ex persona, ut laudis.* Hæc verba absunt a Guelf. 1, ac mihi quidem, inquit Schutzius, illa « sive ex persona, ut laudis, sive ex disputatione, ut de ratione vivendi » ab alia manu adjecta esse videntur. Nam h. l. Antonius tantum de genere judiciali et deliberativo agit.

XXV. 1. *In deliberationibus plerumque ex futuri, raro etiam ex instantis.* Schützius delet *etiam*, fretus auctoritate Guelf. 1.

2. *Aut facti*, sc. præteriti; ejus rei quæ jam facta est.

qualis sit, quæritur : ut quum L. Opimii causam[3] defendebat apud populum, audiente me, C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id jure, pro salute patriæ, factum esse dicebat; ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rempublicam capessenti, P. Africanus de Tib. Graccho interroganti, responderat, jure cæsum videri. Jure autem omnia defenduntur, quæ sunt ejus generis, ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necesse fuerit, aut imprudentia, aut casu facta esse videantur. Jam quid vocetur, quæritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur : ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa[4] summa contentio. Pleraque enim de iis, quæ ab isto objiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo majestatem minutam[5] negabam : ex quo verbo, lege Apuleia, tota illa causa pendebat. Atque in hoc genere causarum nonnulli præcipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque[6] definiat.

3. *L. Opimii causam.* Anno U. C. 633, L. Opimius consul C. Gracchum in tertii tribunatus plebis petitione repulsum, ac vim parantem oppressit. Consulatu perfunctus, a P. Decio, tribuno plebis, accusatus est majestatis, quod cives indemnatos occidisset : verum a C. Carbone defensus, frequentibus suffragiis est absolutus. Paust.

4. *Norbani causâ.* Anno U. C. 660, C. Norbanus, quod tribunus pl. Q. Servilium Cæpionem a Cimbris victum seditiosis concionibus ultra modum vexasset, reus majestatis a P. Sulpicio Rufo peractus est. Hominis nocentissimi causam suscepit M. Antonius ejus olim quæstor, et tum eloquentia sua, tum etiam equitum favore obtinuit. De hoc judicio pluribus infra, cap. 48, disserit Antonius Sulpicium alloquens. Paust.

5. *Majestatem minutam.* Pearcium sequutus sum, qui sic *imminutam* e MSS quatuor rescripsit : nec tam propter eorum librorum auctoritatem, quibus MS E. accedit, quam quod Cicero semper « minuere majestatem » dicit, non « imminuere majestatem ». Ernest.

6. *Quod causam facit, lucide breviterque definiat.* Vulgata amplius, « quod... breviterque uterque definiat », quæ vox jure displicuit P. Manutio; nec est in Palatt. prioribus aut totidem Gallicanis : secundus interim noster habet « breviterque definiatur », ut volebat idem literarum columen egregium. Gaut. — Pearcius edidit « breviterque uterque » : quod ego

Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quæ versantur in artibus, disputatur, verborum definitio : ut, quum quæritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc præcipit ratio atque doctrina, ut vis ejus rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam, neque supersit. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam, quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset majestatem minuere. Etenim definitio primum reprehenso verbo uno, aut addito, aut dempto, sæpe extorquetur e manibus; deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque pæne puerilem; tum et in sensum[7] et in mentem judicis intrare non potest : ante enim præterlabitur, quam percepta est.

XXVI. (XXVI.) Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam ex scripti interpretatione sæpe contentio, in quo nulla potest esse nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui : quod tum explicatur, quum ea verba, quæ desunt, suggesta sunt; quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse. Et ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur; idque[1]

Ciceronianum non agnosco. Cur non potius cum edd. pr. sine « lucide », « breviter uterque »? si tamen *uterque* necesse sit. *Lucide* abest et a MS E. sed etiam *uterque* : et quare *uterque* addatur, non video, quum id nuspiam in hoc præcepto fiat. In *definiat* int. actor, orator qui dicit. Si quem tamen hoc offendat, quod *definiit* ita unde ponitur, legat *definiatur*. Ern. — Schutz. qui dedit *uterque* præterea post *lucide*, addidit *absolute* e cod. Guelf. 2.

7. *Tum et in sensum et in mentem*, etc. *Et* addidi ex edd. pr. et MS E. Ern.

XXVI. 1. *Idque*, etc. pro *itaque*, ex edd. pr. et MS E. quod et res fir-

aut numquam dijudicari poterit, aut ita dijudicabitur, ut referendis præteritis verbis, id scriptum, quodcumque defendimus, suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quæ propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue.

Ambiguorum autem quum plura[2] genera sunt, quæ mihi videntur ii melius nosse[3], qui dialectici appellantur, hi autem nostri[4] ignorare, qui non minus nosse debeant[5]: tum illud est frequentissimum in omni consuetudine vel sermonis vel scripti, quum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint prætermissa. Iterum autem peccant[6], quum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quæque res sit, disceptatur, sejungunt: nusquam enim tam quæritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est.

Ita tria sunt omnino genera, quæ in disceptationem et controversiam cadere possunt: quid fiat, factum, futurumve sit; aut quale sit, aut quomodo nominetur. Nam et illud[7] quidem, quod quidam Græci adjungunt, rectene factum sit, totum in eo est, quo, quale sit[8], quærimus.

XXVII. Sed jam ad institutum revertar meum. (XXVII.) Quum igitur, accepto causæ genere et cognito[1], rem tractare cœpi, nihil prius constituo, quam,

mat. Sic et Pearcius. Ern.—Accedunt tres Guelf. Sch.

2. *Quum plura genera*. Sic Pearc. e MSS et edd. quibusdam dedit pro *complura*, quia respondet infra *tum*. Ern. non eum sequutus est, quod non semper *quum* præcedit, ubi *tum* est. Schützius vero fecit cum Pearcio.

3. *Ii melius nosse*. « Ii mel. scire » MS E. sed supra scriptum *nosse*. Ern.

4. *Hi autem nostri ignorare*. Scilicet oratores.

5. *Nosse debeant*. An *debebant?* Ern.

6. *Peccant*, sc. rhetores.

7. *Nam et illud*. Sch. omittit *et*.

8. *Quo, quale sit, quærimus*. Sic Schützius dedit, sensu postulante, pro « quod, quale sit, quærimus ».

XXVII. 1. *Genere et cognito, rem*.

quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quæ sit propria[2] quæstionis et judicii. Deinde illa duo[3] diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum, quos defendimus; alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. Ita ratio omnis[4] dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse ea, quæ defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum, ad quemcunque causa postulabit motum, vocemus. Ad probandum autem duplex est oratori subjecta materies: una rerum earum, quæ non excogitantur ab oratore, sed in re[5] positæ, ratione tractantur; ut tabulæ, testimonia, pacta, conventa, quæstiones, leges, senatusconsulta, res judicatæ, decreta, responsa, et reliqua, si quæ sunt, quæ non pariuntur ab oratore[6], sed ad oratorem a causa, atque a reis deferuntur[7]: altera, quæ tota in dispu-

MS Lamb. et Oxon. « cognitam rem ». Sic et E. edd. Junt. R. Stephanis. Sed vulgatum verum est, quod res postulat. Ern.

2. *Quæ sit propria.* Sch. dat « quod sit proprium », sententia, ut sit, postulante; sed mihi contra videtur.

3. *Illa duo.* Suspectum mihi est *illa*, quod non admittunt sequentia « quorum alterum ». Videtur e præcedente versu repetitum temere. Ern. — Quem vehementer J. V. L. reprehendit.

4. *Ita ratio omnis.* Schützius « ita omnis ratio ».

5. *Sed in re posita.* I. e. quæ partem causæ constituunt, in eaque insunt, et cum causa ad oratorem deferuntur, ut post dicit. Itaque non placet, quod Pearcio videbatur, *proposita*, quod est in nonnullis libris, et nec sensum commodum habere videtur. Ern.

6. *Pariuntur ab oratore.* Sic dedi ex edd. W. a. L et a. et Lips. In media vitio operarum est *periuntur* (ut infra *seperatim* pro *separ.*), unde vulgatum *reperiuntur* factum. Supra jam talem confusionem notavimus. Ern. — Gruterus dedit *reperiuntur* ex Pal. pr. ac sec. item Mem. uno et Eith. et quia paullo post iterum sequitur illud *pariuntur*, nec ideo locum hic sane habere possit. Schützius idem dedit ex Guelf. 1, 2.

7. *A reis deferuntur.* In hoc loco, inquit Ernesti, primum scripsi *a re* pro *a reis* e MS Oxon. at Erl. Nam non *rei* soli deferunt, sed et petitores, etc: et Cicero libenter conjungit « rem et causam ». Deinde interpunctionem vulgatam correxi: « de-

tatione et argumentatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est. Atque isti quidem[8], qui docent, quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simul ac posita sit causa, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere: tamen et tardi ingenii est, rivulos consectari, fontes rerum non videre, et jam ætatis est ususque nostri, a capite, quod velimus, arcessere, et, unde omnia manent[9], videre.

(xxviii.) Et primum genus illud earum rerum, quæ ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum, ad omnem usum[10] similium rerum, esse debebit: nam pro tabulis et contra tabulas; pro testibus et contra testes; pro quæstionibus et contra quæstiones; et item de ceteris rebus ejusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite[11] de singulis temporibus, hominibus, causis;

feruntur. Altera est ». Nam hoc refertur ad superius: « una earum rerum »; quod necessario sequitur *altera* in eadem periodo. Denique delevi *est*, quod vitiose mutata interpunctio necessarium fecit. — Schützius ait fortasse legendum esse: « sed ad oratorem cum causa a reis deferuntur: altera, quæ, etc. »

8. *Atque isti quidem, qui docent.* Sic generatim quidem Cicero de rhetoribus nuspiam loquitur. Videtur scripsisse: « atqui ista q. q. d. » aut: « Atq. isti quidem, qui hæc d. » ut infra cap. 38 extr. « ab iis, qui hæc tradunt et docent ». Ean. — Schützius dedit: « atque ista q. q. d. »

9. *Unde omnia manent.* Scripsi pro *manant*: quod, contra præceptum ipsius Ciceronis, discrepat a priori « quod velimus ». Sic paullo post cap 29, med. « deprome nobis, unde afferas ». Et sic plane habet MS Erl. et ed. Lips. Sed ita edidissem, etsi in libris non reperissem, ex lege latinitatis. Ean.

10. *Ad omnem usum similium rerum.* Ut ante cognoscat quomodo iis uti debeat in causis quæ inter se similes sunt.

11. *Separatim .. definite. Separatim* hoc loco accipere debemus pro: generatim, universe; i. e. sejuncte a temporibus, personis; quod nostri barbari abstracte dicunt: alias *separatim* est proprie, opponiturque, to

quos quidem locos (vobis hoc, Cotta, et Sulpici, dico) multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare, aut infirmare testes, tabulas, quæstiones oporteat[12]. Hæc sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximæ; artem quidem, et præcepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur. Itemque illa, quæ sunt alterius generis, quæ tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem; explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque quum hæc duo nobis quærenda sint in causis, primum quid, deinde quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiæ est pæne mediocris, quid dicendum sit, videre; alterum est, in quo oratoris vis illa divina, virtusque cernitur, ea, quæ dicenda sunt, ornate, copiose, varieque dicere.

XXVIII. Quare illam partem superiorem[1], quoniam semel ita vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam (quantum consequar, vos judicabitis): quibus ex locis ad eas tres res, quæ ad fidem faciendam solæ valent, ducatur oratio, ut et concilientur animi, et doceantur, et moveantur [hæc sunt enim tria numero[2]]. Ea vero quemadmodum

generatim (vid. Clav.), idque crederem hic reponendum, nisi additum esset « de genere universo ». Ern.

12. *Quæstiones oporteat.* Sic e MSS et edd. P. Manut. Lamb. Pearcius recte. Sic et MS E. Etiam sine tali auctoritate sic corrigendum erat vulgatum *oportet*. Ern.

XXVIII. 1. *Illam partem superiorem*, scil. quæ pertinet ad inventionem; ut ipse paullo post interpretatur « quibus ex locis .... ducatur oratio ».

2. *Hæc sunt enim tria numero. Numero* abest ab ed. W. et s. 1. et a. etiam MS E. addidit ed. M. Ego totum hoc spurium arbitror: est enim valde bella scilicet admonitio de numero, qui jam ante indicatus erat. Ortum est e glossa ad ea. In MS E. ea abest. Nempe confusio orta e glossa. Uncis inclusi. Ern. — Schützius omnino delevit.

illustrentur, præsto est[3], qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. Namque ego, Catule, dicam enim non reverens assentandi[4] suspicionem, neminem esse oratorem paullo illustriorem arbitror, neque græcum, neque latinum, quem ætas nostra tulerit, quem non et sæpe, et diligenter audierim. Itaque si quid est in me (quod jam sperare videor, quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operæ mihi ad audiendum datis), ex eo est, quod nihil quisquam umquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atque ego is, qui sum, quantuscumque sum ad judicandum, omnibus auditis oratoribus, sine ulla dubitatione sic statuo et judico, neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in[5] Crasso, habuisse ornamenta dicendi. Quamobrem si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso, et vestiendum, et ornandum.

(XXIX.) — Tum Crassus: Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearit et eduxerit[6], eum non et vestire, et ornare, præsertim quum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quæ vis, qui animus, quæ dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem[7], et ejus diloricare tunicam, et judi-

3. *Præsto est . . . possit.* Scil. Crassus, de quo vid. Brut. c. 44.

4. *Assentandi.* Nempe hæc parenthesis refertur ad laudem Crassi, ad quam pervenit Antonius longiori circumitione sententiæ. — *Qui sum, q. sum ad j.* I. e. si quid ingenio valeo, valeo certe in ea re judicanda, omnibus auditis oratoribus.

5. *Quanta sunt in Crasso.* Lallem. *quanta sint in C.*

6. *Procrearit et eduxerit.* Guelf. 1, « procrearis et eduxeris ». Sch.

7. *Reum consularem.* M'. Aquil-

cibus cicatrices adversas[8] senis imperatoris ostendere? qui idem, hoc accusante Sulpicio, quum hominem seditiosum furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare, ac demonstrare gravissimis verbis, multos sæpe impetus populi non injustos esse; quos præstare nemo possit? multas etiam e republica seditiones sæpe esse factas, ut quum reges essent exacti, ut quum tribunitia potestas esset constituta? illam Norbani seditionem, ex luctu civium, et ex Cæpionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse, et jure esse conflatam? Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, sine quadam incredibili vi ac facultate dicendi[9] tractari? Quid ego de Cn. Manlii[10], quid de Q. Regis commiseratione dicam[11]? quid de aliis innumerabilibus? in quibus non hoc[12] maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare; sed hæc ipsa, quæ nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et præstantia fuerunt.

lium, qui post servile bellum in Sicilia confectum de repetundis pecuniis causam dixit. Quum judicum misericordiam implorare nollet, M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam ab ejus pectore discidit, ut honestas cicatrices bello acceptas ostenderet. Quibus conspectis reus absolutus est. Proust. — Quod factum Antonii memoratur in exordio Milonianæ.

8. *Cicatrices adversas*. Quæ in pectore, vel in alia parte anteriori, accipiebantur vulnera, dicebantur *adversa*, erantque gloriosa: ut contra, *aversa* inhonesta, utpote in fuga, et tergo accepta. Proust.

9. *Dicendi*. Hoc verbum abest a Guelf. 2, probante Hausingero. Sch.

10. *Cn. Manlii*. A Cimbris Cn. Manlius et Q. Servilius Cæpio proconsules victi prælio; castrisque binis exuti sunt: octoginta millia militum cæsa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Livii Epit. lib. LXVII. Ea clades incidit in annum U. C. 649. Proust.

11. *Quid de Q. Regis commiseratione dicam?* Antonius in causa Quinti Regis in commiserationem movit judices: de qua nihil alibi, quod meminerim, legi. Nomen est hic proprium *Rex*, nec officium comprehendit: Q. Marcius Rex consul fuit cum M. Catone Nepote; auctor est Gell. lib. XIII, cap. 18, et Plinius, lib. II, cap. 31. Strebæ.

12. *In quibus non hoc*. Sic pro vulgato *hoc non* ex edd. pr. et aliis vett. dedimus, quamquam ipsa forma orationis admonuerat. Ern.

XXIX. — Tum Catulus: Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut prætermissum, aut relictum sit, non explices; neque te, Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse.

— Hic Crassus: Quin tu, inquit, Antoni, omittis ista, quæ proposuisti, quæ nemo horum desiderat: quibus ex locis ea, quæ dicenda sint[1] in causis, reperiantur. Quæ quamquam abs te novo quodam modo, præclareque dicuntur, sunt tamen et re faciliora, et præceptis pervagata. Illa, deprome nobis, unde afferas, quæ sæpissime tractas, semperque divinitus.

— (XXX.) Depromam equidem, inquit Antonius, et quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Meæ totius orationis, et istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in cælum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adjudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensionis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem hujus generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, et pauca dicemus.

XXIX. 1. *Quæ dicenda sint.* Lallem. « quæ dicenda sunt ».

Pauca enim sunt, quæ usu jam tractata, et animo quasi habere notata[2] videamur.

XXX. Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus; aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties ejus verbi literæ sunt cogitatione conquirendæ[1]; nec quoties causa dicenda est, toties ad ejus causæ seposita[2] argumenta revolvi nos oportet; sed habere certos locos, qui, ut literæ ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam, statim occurrant. Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel usu[3], quem ætas denique affert, vel auditione et cogitatione, quæ studio et[4] diligentia præcurrit ætatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis, in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto[5] mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato,

2. *Quasi habere notata.* Schutzius cum Pearcio e codd. MSS, « quasi notata habere ».

XXX. 1. *Conquirendæ.* Al. MSS *perquirendæ*. J. V. L.

2. *Ad ejus causæ seposita argumenta. Seposita* int. In locis rhetoricis, et condita, ut inde repetantur, quum causa postulet; sive ei causæ propria. Ern.

3. *Vel usu.* Cod. Reg. 7703, « vel in rerum usu ». J. V. L.

4. *Quæ studio et diligentia præcurrit ætatem.* Id est, in iis, qui studium et diligentiam adhibent, maturius venit, quam ætas ferre videatur. Ern.

5. *Subacto.* Translatio ducta ab agricultura. Ut ager non semel aratus, sed iterum ac tertio proscissus, potest meliores et grandiores fructus afferre: ita prædomitum et excultum ingenium et plura et meliora producit. Proust.

quo meliores fœtus possit et grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literæ.

(XXXI.) Ac primum naturam causæ videat, quæ numquam latet, factumne sit, quæratur, an, quale sit, an, quod nomen habeat : quo perspecto, statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit; deinde, quid veniat in judicium, quod isti sic jubent quærere : Interfecit Opimius[6] Gracchum : quid facit causam? quod reipublicæ causa, quum ex senatusconsulto ad arma vocasset : hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in judicium, licueritne ex senatusconsulto, servandæ reipublicæ causa. Perspicua sunt hæc quidem, et in vulgari prudentia sita; sed illa quærenda[7], quæ ab accusatore et defensore argumenta, ad id, quod in judicium venit, spectantia, debeant afferri.

XXXI. (XXXII.) Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magnopere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum : unum appellant, in quo, sine personis atque temporibus, de universo genere quæratur; alterum,

6. *Opimius.* Anno U. C. 633, « C. Gracchus seditioso tribunatu acto, quum Aventinum armata quoque multitudine occupavisset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus, interemptus est ». Anno consequente « L. Opimius accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem conjecisset, liberatus est ». Epitome Livii lib. LXI. Payst.

7. *Prudentia sita; sed illa quærenda.* Sic interpunxi : si *illa* referretur ad *argumenta*, deberet post esse *debent.* MSS E. infra, « quæ et ab accusatore et defensore argumenta, ad id, etc. » Ern.

quod personis certis[1] et temporibus definiatur: ignari, omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii. De ipso enim universo genere infinita quæstio est, « Num pœna videatur esse afficiendus, qui civem ex senatusconsulto patriæ conservandæ causa interemerit, quum id per leges non liceret ». Nulla denique est causa, in qua id, quod in judicium venit, ex reorum personis, non generum ipsorum universa disputatione[2] quæratur. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne contra leges pecunias P. Decius, argumenta et criminum et defensionis revocentur oportet ad genus, et ad naturam universam: quod sumptuosus[3], de luxuria; quod alieni appetens, de avaritia; quod seditiosus, de turbulentis et malis civibus; quod a multis arguitur, de genere testium: contraque, quæ pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque homine ad communes rerum et generum summas revolventur. Atque hæc forsitan homini, non omnia, quæ sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti, permulta videantur, quæ veniant in judicium tum, quum de facto quæratur: sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita[4].

XXXI. 1. *Quod personis certis.* Lamb. « quod propriis nominibus personarum, locorum, ac temporum distinctum est: in quo uno illi occupati sunt. Superius vero illud, quod totum est in ratione generis positum, quasi non necessarium sit, nullis præceptis aperiunt, ignari ». Quæ hic mutat additque Lambinus, non comparent in Pall. nostris: neque adeo in Pith. aut Memmianis, quos excussit Gulielmius. Gaut.

2. *Disputatione.* Guelf. 1, *dubitatione*. Sch.

3. *Quod sumptuosus, de luxuria.* Supple « quod sumptuosus reus dicitur accusatori de luxuria in genere est dicendum », et sic in sqq.

4. *Sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita.* Schütz ius Lambini emendationem sequutus est: « sed tamen hominum est multitudo, non criminum aut defensionis locorum, infinita ».

XXXII. Quæ vero, quum de facto non ambigitur, quæruntur, qualia sint; ea si ex reis numeres, et innumerabilia sunt, et obscura; si ex rebus, valde et modica, et illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescumque is, quem pater patratus dediderit, receptus non erit, toties causa nova nascetur. Sin illa controversia[1] causam facit, videaturne ei, quem pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi, nec ad argumenta defensionis Mancini nomen pertinet. Ac, si quid affert præterea hominis aut dignitas[2], aut indignitas, extra quæstionem est, et ea tamen ipsa oratio[3] ad universi generis disputationem referatur necesse est. Hæc ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam: quamquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt[4] in personis et in temporibus positas esse. Nam etsi incurrunt tempora, et personæ, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quæstionis[5] pendere causas. Sed hoc nihil ad me: nullum enim nobis certamen cum istis esse[6] debet.

XXXII. 1. *Sin illa controversia.* Sine dubio legendum est « sin in illa c. » Nam controversia non causam facit, sed quæritur quid in controversia causam faciat, contineat. Excidit *in* ob verbum præcedens. In hac evidentia non dubitavi sic edere. Ern. — Schützius retinuit vulgatam, fretus codd. Guelf. 1, 2, 3. Ernestiumque J. V. L. merito reprehendit.

2. *Ac, si quid affert præterea hominis aut dignitas, aut indignitas, extra.* Memmii membr. item Palat. pr. sec. « præterea aut hominis vita, aut dignitas, extra, etc. » tertius *præterea* mutavit a manu secunda in *persona*; hac facie: « affert persona hominis aut dignitas indignitasve ». Ceteri tamen stant a vulgato. Gaut.

3. *Et ea tamen ipsa oratio.* Id est eleganter pro, ea ipsa pars orationis, quæ vel dignitatem vel indignitatem demonstret, sive quæ dicitur de dignitate vel indignitate. Itaque non corrigam cum Pearcio *oratione*, quod in MSS duobus reperit, estque et in Erl. Ern.

4. *Causas describunt.* Eleganter hoc pro, dicunt, docent: quia respectus est ad distributionem, de qua *describere* eleganter dicitur. Vid. Clavi

5. *Ex genere quæstionis.* Int. ex quæstione generaliter perspecta.

6. *Certamen cum istis esse debet.*

Tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consequutos, quod in tanto otio, etiam sine hac forensi exercitatione, efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent, eaque paullo subtilius explicarent. Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me, ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster et Sulpici: quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum: est enim infinita, si in personis ponitur[7]; quot homines, tot causæ: sin[8] ad generum universas quæstiones referuntur; ita modicæ et paucæ sunt, ut eas omnes[9], diligentes, et memores, et sobrii oratores percursas animo, et, prope[10] dicam, decantatas habere debeant: nisi forte existimatis, a M'. Curio causam didicisse L. Crassum[11], et ea re multa attulisse[12], quamobrem, postumo non nato,

Tantum satis est. Sic interpungi perineptum esse declarat Ernesti, *tantum* autem conjungendum esse cum *certamen*, sc. ut istos eruditos homines redarguere velim: atque ita distinguit: « C. c. i. e. debet tantum: satis est ». Schützius tamen eum non sequutus est, nec sequi debuit.

7. *Est enim infinita, si in personis ponitur.* Sic ista sunt conjungenda: *ponitur* int. causa; nisi corrigas *ponuntur*, quia et in altero membro pluralia est, *referuntur*: tum his eleganter subjicitur: « quot homines, tot causæ », sc. erunt. Vulgata distinctio perinepta est: « multitudo causarum pertimescenda est: est enim infinita ». At hoc quærebatur, et erat demonstrandum. Ern. — Schützius Ernestii interpunctionem sequutus, præterea dedit *ponuntur*.

8. *Sin*, scil. sin contra, ut vobis demonstravi hoc fieri, causæ privatæ referuntur ad quæstiones generales.

9. *Eas omnes.* Sic dedi pro *omnes eas*, ut jam alii: est enim lenius. Ern.

10. *Et, prope dicam, &c.* Addidi *dicam* e MS Gron. et E. adeo Ciceronianum est. Si voluisset Cicero adverbio uti, dixisset *quasi*: supra jam hoc restituimus Ciceroni. Ern. — Quem Sch. sequutus est.

11. *A M'. Curio causam didicisse L. Crassum.* Eleganter et ingeniose Lambinus corrigendum censuit: « nisi f. e. a M'. Curii nomine causam duxisse L. Crassum ». Sch. — De hac causa vid. lib. I, cap. 39, 56, 57.

12. *Et ea re multa attulisse*, etc. Verba *ea re* significant ob eam causam, ob eam rem. Sic Cicero in Tusc. IV, 38, § 83: « Ea reque suscipi, quod ita rectum esse videatur ». Sic etiam in ep. Bruti ad Atticum; « An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia jam, utroque deferenda putat? » Sed verba istius significationis huic loco non conveniunt; nulla enim ratio aut causa significatur, cur Crassus multa at-

Curium tamen hæredem Coponii esse oporteret. Nihil ad copiam argumentorum, neque ad causæ vim ac naturam nomen Coponii, aut Curii[13], pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus, omnis quæstio: Quum[14] scriptum ita sit, SI MIHI FILIUS GENITUS, ISQUE PRIUS MORITUR, et cetera, TUM UT MIHI ILLE SIT HÆRES: si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus hæres sit, hæres esse. Perpetui juris, et universi generis quæstio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentorum fontes desiderat.

XXXIII. In quo etiam isti nos jurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de jure viro aut mulieri responderint: credo, ut putaremus, in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse; ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a jure cognoscendo[1], voluntatem discendi simul cum spe perdi-

tulit. MS Bod. legit « et ex re multa », unde suspicor legendum « et ex reo multa att. » Sic in initio hujus capitis, « ea, si ex reis numeres, innumerabilia sunt ». Sic in cap. præcedente : « Nulla denique est causa, in qua id, quod in judicium venit, ex reorum personis, ac non generum ipsorum disputatione quæratur ». Nempe Antonius voluit dicere, Crassum non ex ipsa persona Curii, neque ex reo argumenta deprompsisse; sed omnia ab homine ad naturam universam quæstionis retulisse. PEARCIUS. — Sensus est : et hinc accepisse illa multa, quæ dixit, etc. nec opus est correctione. ERN.

13. *Aut Curii*, pro *ac Curii* MSS et edd. vett. ERN.

14. *Omnis quæstio : Quum scr. ita.* Hic rursus vitiosa est vulgata interpunctio, comma modo habens post *quæstio*; unde cetera fiunt vitiosa temporibus : deberet enim esse *scriptum esset*, etc. Immo in sequentibus exponitur factum et quæstio e facto, et est initium novæ sententiæ. ERN.

XXXIII. 1. *Debilitati a jure cognoscendo.* Vox *debilitatus*, quum sine ablativo casu ponitur, significat nihil aliud, quam « fractus, imminutus » : sed huic loco parum convenit ista significatio. Antonius paullo supra dixerat : « nos jurisconsulti impediunt, a discendoque deterrent » : idemque dicere etiam in hoc loco voluit, loquendi tamen formula variata. Legendum igitur censeo : « de-

scendi abjiceremus. (XXXIII.) Sed hæc Crassus aliquando nobis expediet, et exponet descripta generatim: est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se jus civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum, et ad artem facilem redacturum[2].

— Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit de jure, didicit; et, quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse afferet: ut, quæ sint in jure, vel apte[3] describere, vel ornate illustrare possit. — Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, quum se de turba et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque[4] contulerit. — Jam id quidem sæpe, inquit Catulus, ex eo audivi, quum diceret, sibi certum esse, a judiciis causisque discedere; sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit: neque enim ipse auxilium suum sæpe a viris bonis frustra implorari patietur, neque id æquo animo feret.

bilitati metu a jure cog.» Sic l. I, cap. 26, «simul ac me fractum ac debilitatum metu viderit». Immo MSS Cant. et Wag. exhibent reliquias hujus lectionis, leguntque: «debilitati a metu jure cog.» PEARCIUS. — Contra Ernesti: hoc exquisite dicitur. Vid. Clav. *debilitare*. Non opus est addere *metu*, ut videtur Pearcio, quamquam sic est de Inv. I, 25 extr. Schützius dicit fortasse verius esse: «debilitati in jure cog.»

2. *Et ad artem facile redacturum*. Facile se id effecturum, neque dixit, neque promisit: nec id est promissi; adeoque non convenit *facile* verbo *pollicitus*. Facile id eum perfecturum, ea vero Catuli laus est, bene de Crasso sperantis. Credo *facile* esse spurium, et natum a Catuli oratione. A MS F. plane hæc absunt «et ad ... redacturum». ERN. — Schützius dat «et ad artem facilem», e Guelf. 1.

3. *Apte describere*. Edd. pr. item MSS Pearcii habent *acute*, unde recepit ipse in textum. Mihi *apte* verum videtur, quia verbo *describendi* convenit, in quo partiendi sensus est. Nam *apte descr.* nihil aliud est, quam recte omnia ad sua genera revocare, genera in partes tribuere, etc. ut supra ipse dixit, quum modum doctrinæ ad artem revocandæ explicaret. ERN.

4. *In otium ... soliumque*. Redintegravi istud fide Pal. pr. sec. et Pith. firmatque ipse noster infra, cap. 56 sub finem, item libro III, cap. 34, ipso medio. GRUT. — Vict. Man. Lamb. habent *solitudinemque*. — *Soliumque*. Id est, sella, vel lectulus domi positus: de quo noster lib. III, cap. 34: «in solio sedentes, etc.» PEARC.

civitas; quæ si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit. — Nam hercle, inquit Antonius, si hæc vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum[5]; et istam oscitantem et dormitantem[6] sapientiam Scævolarum et ceterorum beatorum[7] otio concedamus. — Arrisit hic Crassus leniter, et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es: me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.

XXXIV. (xxxiv.) — Hujus quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius: quoniam intelligitur, non in hominum innumerabilibus personis, neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quæ in dubium vocarentur; genera autem esse definita, non solum numero, sed etiam paucitate: ut eam materiem orationis, quæ cujusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam[1], instructam, ornatamque comprehenderent, rebus dico et sententiis. Eæ vi sua verba parient[2], quæ semper satis ornata mihi quidem videri solent, si ejusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Ac, si verum quæ-

5. *In eodem e. p. C. vivendum.* Hanc lectionem primum in ed. Ald. et Juntina reperi. Ante fuit « eodem pistrino instituto », ut in MSS Pearcius reperit, nos in Erl. Unde illa Ald. et Junt. lectio recepta sit, nescio; sed est altera melior, et sequentibus aptior, ubi libertatis recuperandæ mentio. Ern. — Malim *per vivendum*, aut *porro vivendum*. Sch.

6. *Istam oscitantem et dormitantem.* Voces duæ posteriores non sunt in Pal. pr. sec. aut Mem. ac Pith. nec desiderem. Gaut.

7. *Et ceterorum beatorum.* Dictio *beatorum* non est in dictis gallicanis; unde Gulielmius conjiciebat *Cethegorum*; sed enim hæret in Pall. omnibus. Gaut.

XXXIV. 1. *Omnibus locis descriptam.* Schützius conficit « omnem locis descriptam ».

2. *Sua verba parient.* Schützius dat: « sua verba rapient ». Hanc, inquit, lectionem Heusingerus eruit e Guelf. 2, 3, appositeque laudavit locum de Finibus, III, 5, ubi est « ipsæ res verba rapiunt ».

ritis, quod mihi quidem videatur (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam) : hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus, neque, ut quæque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus : quæ quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito et usu, pertractata esse possunt; sed tamen animus referendus est ad ea capita, et ad illos, quos sæpe jam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc totum est sive artis, sive animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venere et pervestiges, quod quæras[3]. Ubi eum locum[4] omnem cogitatione sepseris, si modo usum[5] rerum percallueris, nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet.

XXXV. (xxxv.) Et sic, quum ad inveniendum in dicendo tria sint; acumen, deinde ratio, quam licet (si volumus) appellemus artem, tertium diligentia : non possum equidem non ingenio primas concedere; sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat : diligentia, inquam, quæ[1] quum omni-

3. *Intra quas venere et pervestiges, quod quæras*. Mire hic me locus torsit, ob diversitatem lectionum quæ in MSS; sed veni demum ad cubilia veri, ductu Palat. quarti ac septimi; in quibus totidem literis fuit, quod hic exhibeo : neque abibat octavus, nisi quod is *veneris* : vulgata in hunc diem, « intra quas venire debeas, ut pervestiges quod quæras » : fatue, præ altera nostra : metaphoram enim venatoriam omnibus modis premit Tullius, ut vel sequentia, « sepseris, effugiet, etc. » ostentant. GRUT.

4. *Ubi eum locum*. Int. quas ante dixerat *regiones* : infra *incidet*, eleganter : ductum est e re venatica, sive præda dicitur « incidere in casses, etc. » ERN. — Familiaris meus Johannes Walker pro *eum* reponit *enim*, et conjectura placet : in vulgata enim lectione nihil est, quod hanc sententiam priori connectat, etsi manifeste hic ratio redditur eorum, quæ jam præcesserant. PEARC.

5. *Si modo usum r. percall.* Schützius, « sic modo usu rerum percall. »

XXXV. 1. *Quæ quum omnibus*

bus in rebus, tum in causis defendendis plurimum valet. Hæc præcipue colenda est nobis; hæc semper adhibenda; hæc nihil est quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est; ut adversarium attente audiamus, atque ut ejus non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est (id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere[2] videatur, prudentia est[3]); deinde ut in iis locis, quos proponam paullo post, pervolvatur animus, ut se penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est; ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires: hæc magna sunt[4]. Inter ingenium quidem et diligentiam perpaullulum loci reliquum est arti. Ars demonstrat tantum, ubi quæras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno verbo[5], quo sæpe jam usi sumus; diligentia; qua una virtute omnes virtutes reliquæ continentur. Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philo-

in rebus. Sic e MSS et edd. Asc. et Lamb. dedit Pearcius, quem sequutus sum. Sic et MS E. A vulgatis abest *quæ*. Ern.

2. *Ne sibi ille aliquid proficere videatur*. Ne arbitretur adversarius nos commotos esse sua oratione, et timere ne illa audientium animi trahantur.

3. *Id tamen dissimulanter facere ... videatur, prudentia est*. Hæc verba ab interpolatoris manu inculcata esse nullus dubito. Sch.

4. *Hæc magna sunt*. Hoc non convenit uni ultimo, de memoria, voce, etc. sed universis. Sed ita illud ultimum, « ut his rebus, etc. » nihil habet simile superioribus, « diligentia est, etc. » Id videtur excidisse. A MS Erl. absunt « hæc magna sunt ». Ern. — *Hæc magna sunt*. Schutzius hæc verba expunxit, ut insititia et in Guelf. 1 omissa, eorumque locu. reposuit « diligentia est ».

5. *Complectar uno verbo, quo sæpe jam usi sumus, diligentia*. MS E. *complector*. *Hoc* addunt edd. pr. Delevit Aldus: certe esse deberet *hæc*. Sed melius pronumen abest: et sic Ciceru semper solet dicere. Ern.

sophi, qui, ut opinor (sed tu hæc, Catule, melius[6]), nulla dant præcepta dicendi, nec idcirco minus, quæcumque res proposita est, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur.

XXXVI. (xxxvi.) — Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi nulla tradant præcepta dicendi, et habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant[1]. Sed Aristoteles, is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via[2], non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur : a quo quidem homine jamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti; quod quidem magis verisimile videtur. Plus enim te operæ græcis dedisse rebus video, quam putaramus[3]. — Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule : semper ego existimavi, jucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicujus, deinde nullam græcarum rerum significationem daret. Atque ego idem[4] existimavi, pecudis esse, non hominis, quum tantas res Græci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscu-

6. *Sed tu hæc, C. melius.* Supple scis, quam ego.

XXXVI. 1. *Paratum t. quid d. q. r. d.* Videtur *quod* hic legendum, non *quid*. Etsi difficile est semper discrimen utriusque certo scire. Sed post hanc formam « habeo in promptu, habeo paratum », et similia, et *habeo* simpliciter, *quod* est ex lege latinitatis : ut, « habeo quod dicam », non *quid d.* Compendia scribendi *quid* et *quod* incertum fecere interdum, quomodo legendum sit. Ern.

2. *Omnis argumenti via.* Lambinus reposuit ex duobus MSS « argumentandi ratio »; quod nos exhibemus, erat in Pall. pr. sec. Pith. et Memmii membranaceo : recepta lectio « omnia argumentatio ». Gaut.

3. *Quam putaramus.* In Palat. sec. ac tert. nam pr. et Gallicani *putaremus*, quod mutabat in *putarimus* Gulielmius. Gaut.

4. *Atque ego idem existimavi*, etc. Schützius delet *idem* cum cod. Guelf. 2.

rissimas, et bene vivendi, et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollicerentur, non admovere aurem, et, si palam audire eos non anderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum, et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.

XXXVII. (XXXVII.) — Valde hercule, inquit Catulus, timide, tamquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti, quam hæc civitas aspernata numquam est. Nam et referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, quum erat in hac gente magna illa Græcia : ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt; qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras : quo etiam major vir habendus est, quum illam sapientiam constituendæ civitatis duobus prope sæculis ante cognovit, quam eam Græci natam esse senserunt. Et certe non tulit ullos hæc civitas aut gloria clariores, aut auctoritate graviores, aut humanitate politiores, P. Africano, C. Lælio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Græcia palam semper habuerunt. Atque ego ex istis sæpe audivi, quum dicerent, pergratum Athenienses et sibi fecisse, et multis principibus civitatis, quod, quum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius ætatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem, et Critolaum, et Diogenem[1]. Itaque eos,

XXXVII. 1. *Carneadem, et Critolaum, et Diogenem*. Legati Romam Athenis missi sunt, uti multam remitti civitati peterent quingentorum talentum, quam fecerat propter Oropi vastationem, Sicyoniis damnantibus, quibus illius causæ judicium a senatu permissum fuerat. Legationis illius tempus mira auctorum dissensione traditur. Gellius, lib. XVII, cap. ult. sub bellum Punicum alterum illos advenisse refert : ac posteriorem eorum adventu facit Ennium, quod ego falsum arbitror : si quidem obiit Ennius

dum Romæ essent, et a se, et ab aliis frequenter auditos : quos tu quum haberes auctores[2], Antoni, miror, cur philosophiæ, sicut Zethus ille Pacuvianus[3], prope bellum indixeris. — Minime, inquit Antonius; ac sic decrevi[4] philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium : « Paucis; nam omnino haud placet ». Sed tamen hæc est mea sententia, quam videbar exposuisse : ego ista studia non improbo, moderata modo sint; opinionem istorum studiorum, et suspicionem artificii apud eos, qui res judicent, oratori adversariam esse arbitror : imminuit enim et oratoris auctoritatem, et orationis fidem.

XXXVIII. (XXXVIII.) Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio[1], ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem fuisse[2], qui diceret, artem se tradere bene disserendi, et vera ac falsa dijudicandi, quam verbo græco διαλεκτικὴν appellaret? In hac arte, si modo est hæc ars, nullum est præceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo judicetur. Nam et[3] omne,

anno U. C. 585. At Cicero in Lucullo, cap. 45, legationem illam assignat P. Scipioni et Marcello consulibus, qui est annus 599. Verum Pausanias in Achaicis, sub annum Urbis 603, illos advenisse significat. PETAVIUS, Rat. Temp. lib. IV, cap. 12. — Eodem anno urbis 603, id evenisse putat Casaubonus in synopsi ad Polyb. Carneades erat Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus.

2. *Auctores*, philosophiæ colendæ, scil. « Africanum, Lælium, Furium ».

3. *Zethus ille Pac.* De quo vid. ad Herenn. II, 27.

4. *Ac sic decrevi.* Putabam verum esse *at sic d.* nec impedit quod sequitur : *sed tamen :* Nam id est : sed ut serio dicam, etc. ERN.

XXXVIII. 1. *Unde huc declinavit oratio.* Sc. ex fin. cap. 35, ubi dicebat Antonius philosophos nulla dare præcepta dicendi.

2. *Diogenem fuisse.* Lallem. « Diogenem eum fuisse ».

3. *Nam et omne*, etc. In hoc loco et libri variant, et judiciis virorum doctorum. Ego tantum primum *et* delendum puto. Vult demonstrare dialecticos modo judicare, et quidem primo in enuntiatis, in quibus aliquid aut esse aut non esse dicamus, et quum simpliciter prædicatur, et quum conjuncte, i. e. cum conditione, ut nostri dicunt. ERN. — Schützius pro « Nam et omne, quod..... et, si simpliciter » dat « Nam omne, quod..... id si simpliciter ».

quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus[4], aut non esse; et, si simpliciter dictum sit[5], suscipiunt dialectici, ut judicent, verumne sit, an falsum; et, si conjuncte sit elatum[6], et adjuncta sint alia, judicent, rectene adjuncta sint; et verane summa sit uniuscujusque rationis; et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, et multa quærendo, reperiunt non modo ea, quæ jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et potius detexta prope, retexantur. Hic nos igitur stoicus iste nihil adjuvat, quoniam, quemadmodum inveniam quid dicam, non docet; atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quæ neget ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum; quod si quis probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Hæc enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quæ non aurificis statera[7], sed quadam populari trutina examinantur. Quare istam artem totam dimittamus, quæ in excogitandis argumentis muta[8] nimium est, in judicandis nimium loquax. Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto

4. *Sic, ut id aut esse dicamus.* Ita Pall. posteriores. Victorii editio « fit ut id aut, etc. » quomodo editio prima et Pal. pr. et Memm. membranaceus, probabatque Camerarius. Grut. — Lallem. « quod eloquemur, eloquimur sic, ut id ».

5. *Si simpliciter dictum sit.* Sc. si propositio simplex est.

6. *Si conjuncte sit elatum.* Si ratiocinatio plurimis sententiis inter se conjunctis continetur. — *Et potius detexta.* Pro *et* leg. est « vel potius ». Est enim correctio. Ern.

7. *Aurificis statera.* Ita Palat. sec. quart. quint. sext. sept. oct. ne quis id putet cum Camerario non inveniri in libris vetustioribus: sed sic quoque Gallicanus Memmii ac Pithœi. *Artificis* tamen restabat in Pall. ceteris et Memmii chartaceo. Grut.

8. *Muta nimium est.* Sic omnes edd. J. V. L. habet *multa* vitio operarum: nam sensus repugnat. Stoici ni-

Aristotele, a cujus inventis tibi ego videor non longe aberrare : atque inter hunc Aristotelem[9] (cujus et illum legi librum[10], in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quædam de eadem arte dixit), et hos germanos hujus artis magistros, hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, hæc quoque adspexit, quæ ad dicendi artem, quam ille[11] despiciebat, pertinebant; illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt[12] in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu, in hoc uno genere, studioque majore. Carneadis vero vis incredibilis illa dicendi, et varietas, perquam esset optanda nobis : qui nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc majus est quiddam, quam ab iis, qui hæc tradunt et docent, postulandum sit.

XXXIX. (xxxix). Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eamdem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris[1], in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi

hil de Topicis, quibus multam operam dabant Peripatetici. Vid. c. 37, not. 1.

9. *Aristotelem*. Lambinus hoc delet ob repetitionem. SCH.

10. *Cujus et illum legi librum*. De hoc Cicero plura in Bruto, 12; item de Inv. II. ERN. — Hic liber Aristotelis hodie est deperditus.

11. *Quam ille desp*. Schützius dat : « q. ipse d. » ex Purgoldi emendatione.

12. *Habitarunt*. Ed. Omnib. Paris. *laborarunt*. Sch. al. e nostris codd. *laboraverunt*, quod glossam sapit.

XXXIX. 1. *Infantibus pueris*. Memmi membr. *puris* : quod spernendum non putat Gulielmius; utpote usurpatum Lucilio; idem etiam ex eodem annotarat *commostret* ἀντὶ τοῦ *commonstret*. Sed pusillis illis neutiquam mihi attendendum videtur, adeo graviora sunt ulcera quibus hic auctor obsitus sit. GRUT.

liberaliter institutus, et aliquo jam imbutus usu, et satis acri ingenio esse videatur; illuc eum rapiam[2], ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat : qui illi sedes, et tamquam domicilia omnium argumentorum commonstret, et ea breviter illustret, verbisque definiat. Quid enim est, in quo hæreat, qui viderit, omne, quod sumatur in oratione aut ad probandum, aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum, aut res quæ sit tota, quæratur, aut pars ejus[3], aut vocabulum quod habeat, aut quippiam, rem illam quod attingat; extrinsecus autem, quum ea, quæ sunt foris, neque inhærent in rei natura, colliguntur.

Si res tota quæritur, definitione universa vis explicanda est, sic : « Si majestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi romani potestati tradidit ». Sin pars; partitione, hoc modo[4] : « Aut senatui parendum de salute reipublicæ fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum : aliud consilium, superbum; suum, arrogans : utendum igitur fuit consilio senatus ». Sin ex vocabulo[5], ut Carbo : « Si consul est, qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius? » Sin ab eo, quod rem attingat[6], plures sunt argumento-

2. *Illuc eum rapiam, ubi ... qui illi. Illuc* et *ubi* de scriptore intelligendum : unde post *qui* sc. auctor dicendi : quod non animadversum torsit viros quosdam doctos. Ern.

3. *Pars ejus.* Puto reponendum *quæ* ante *pars.* Ern.—*Pop. r. p. tradidit.* Sumpta verba, ut videtur, ex Norbani defensione. Vide infra cap. 4?, 49.

4. *Sin pars; partitione, hoc modo.* Al. MSS, « sed in partitione, hoc modo ». J. V. L.—Sumptum, ut videtur, ex Opimii defensione, cujus causam cum sua de morte conjuratorum communem habebat Cicero, ideoque factus est Gracchorum memoriæ adversans, quos juvenis laudaverat.

5. *Sin ex vocabulo.* Sch. « Si ex vocabulo ».

6. *Quod rem attingat.* Al. *attingit.*

rum sedes ac loci : nam et conjuncta quæremus, et genera, et partes generibus subjectas, et similitudines, et dissimilitudines, et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi præcurrentia, et repugnantia, et causas rerum vestigabimus, et ea, quæ ex causis orta sunt; et majora, paria, minora[7] quæremus.

XL. Ex conjunctis sic argumenta ducuntur : « Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, quum Q. Metellum[1] tam pie lugere videatis ». Ex genere autem : « Si magistratus in populi romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas, cujus tribunatus voluntati paruit civitatis ? » Ex parte autem ea, quæ est subjecta generi : « Si omnes, qui reipublicæ consulunt[2], cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis, retinemus et nostram salutem, et imperii dignitatem ». Ex similitudine autem : « Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus? » At ex dissimilitudine : « Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent ». Atque utroque in genere et similitudinis, et dissimilitudinis, exempla sunt ex aliorum factis, aut dictis, aut eventis, et fictæ narrationes sæpe ponendæ. Jam ex contrario : « Si Gracchus nefarie, præclare Opimius[3] ». Ex consequentibus : « Si

7. *Et majora, paria, minora*. Sch. « Et majora, minora, paria ».

XL. 1. *Q. Metellum*. Anno U. C. 657, præturam obtinuit Q. Metellus, Pii cognomentum adeptus, quod, ut sit scriptor de Viris illustribus, patrem Numidicum precibus ac lacrymis assiduis ab exsilio revocasset. Qua singulari pietate facilem ad summos honores aditum paravit. Praust.

2. *Si omnes, qui reipublicæ consulunt*. Sensus est : Si illi, qui rempublicam adjuvant consiliis, cari esse debent; multo magis imperatores illi, qui non solum consiliis, sed et aliis rebus, sc. fortitudine et periculis subeundis, ejus salutem et dignitatem tuentur. Praust. — Sumptum videtur ex Aquillii defensione.

3. *Si Gracchus nefarie, præclare Opimius*. Post exemplum hoc, MS noster Reg. 7751 addit alterum : « Si Tiberius Gracchus legem agrariam tulit in perniciem patriæ, vos

et ferro interfectus ille, et tu inimicus ejus cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo præter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax; quid est, quod de facinore dubitare possimus? » Ex consentaneis, et præcurrentibus, et repugnantibus, ut olim[4] Crassus adolescens : « Non, si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt; simulasse te, et aliud quid[5] quæsisse perspicuum est, quod Tib. Gracchi mortem sæpe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem[6] in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissensisti[7] ». Ex causis autem rerum sic : « Avaritiam si tollere vultis, mater ejus est tollenda, luxuries ». Ex iis autem, quæ sunt orta de causis : « Si ærarii copiis et ad belli adjumenta, et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus[8] ». Majora autem, et minora, et paria comparabimus sic. Ex majore : « Si bona existimatio divitiis præstat, et pecunia tantopere expetitur, quanto gloria magis est expetenda? » Ex minore sic :

.... Hic parvæ consuetudinis[9]

leges vestras ad salutem ejus ferre debetis ». Quod forte est rhetoris alicujus.

4. *Ut olim Crassus*. Pighius in cod. legit : « ut olim hic Crassus »; et Schützius in textum intulit.

5. *Et aliud quid*. Schützius dat « et aliquid » a cod. Guelf. 1.

6. *Quod eam legem*. Pighius in Fastis ad annum U. C. 634, putat ante hæc aliquid omissum ignavia librariorum, quod vel prodat discrepantia MSS, quorum hi : « quod legem », illi « quidem legem ». A Memmiano vero abest illud « quod eam ». Putat, inquam, Pighius fuisse prius, « quod C. Graccho dux et auctor repetendæ per seditiones tribunitiæ potestatis fuisti, quod eam legem, etc. » vel simile quid. GRUT.—Schützius observat frustra Pighium conjicere, quia Crassus jam antea de hac lege loquutus fuerat et « eam legem » idem esse ac « legem tam perniciosam », Ernestio quoque Pighii conject. improbante.

7. *Dissensisti*. MS Pighii *discessisti*, quod ille probat. Gruterus malit *dissedisti*, cum Memmiano ac Pithœano, quod et Guelf. 1 et alii codd. ap. Gronovium, illique placebat; nec improbat Ernestius.

8. *Vectigalibus serviamus*. Id est, operam demus vectigalibus colligendis et expendendis.

9. *Hic parvæ consuetudinis*. Andr.

Causa hujus mortem tam fert familiariter:
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: « Est ejusdem et eripere, et contra rempublicam largiri pecunias[10] ».

Foris autem assumuntur ea, quæ non sua vi, sed extranea sublevantur, ut hæc: « Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius ». — « Hoc falsum est; habita enim quæstio est[11] ». — « Hoc sequi necesse est; recito enim tabulas ». De quo genere toto paullo ante dixi.

XLI. (XL.) Hæc, ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. Ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet, et id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore, inveniret: sic has ego argumentorum novi notas[1], quæ illa mihi quærenti demonstrant, ubi sint; reliqua, cura et cogitatione eruuntur. Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitæ præscribere, sed est mediocris ingenii judicare.

Terent. I, 1, 84. Lego in versu sequenti « tam fert fam. » ex Terent. et ex MSS meis. Vulgo « fert tam fam. » J. V. L. — Int. ille tantum dolorem suscepit ob mortem hujus, cum qua parvam habebat consuetudinem, quasi cum ea fuisset familiaris.

10. *Et contra rempublicam largiri pecunias.* Optimam hanc lectionem Pearcius e MSS Mag. Med. Nord. eruit, quibus accedit Guelf. 1. Vulgo: « est ejusdem et eripere contra remp. et largiri pecunias ». Ceterum idem dedit *elargiri* e MS Nov. Sch. — Sic « e republica largitio » est apud Suetonium in Cæs. 19, ubi vid. interpretes. Ern.

11. *Habita enim quæstio est*, quæ sc. falsum hoc esse indicavit. De his locis communibus plura vid. in Top. et Partitt. Oratt.

XLI. 1. *Sic has ego argumentorum novi notas, quæ illa mihi quærenti demonstrant, ubi sint; reliqua.* Pal. oct. non habet *novi*, sed *erui*, quod et in primo: sed is præterea scripsit: « erui notas, quærenti demonstravi: ubi sint »: et vero Pal. sec. item Pith. non agnoscit « quæ illa mihi »: ut verisimile sit restituendum auctori: « sic has argumentorum notas quærenti demonstravi ubi sint: reliqua ». Gaut. — Pearcius legendum opinabatur: « sic has ego argumentorum quasi notavi notas, quæ illa quærenti ». Sic Schützius dedit, nisi quod omisit *quasi*.

Neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quædam monita tradamus. His igitur locis in mente et cogitatione defixis, et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed omnino in ullo genere dicendi. Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita afficiat [2], apud quos aget, ut eos, quocumque velit, vel trahere, vel rapere possit; nihil profecto præterea ad dicendum requiret.

(XLI.) Jam illud videmus nequaquam satis esse, reperire quid dicas, nisi id inventum tractare possis. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas, et id quare ita sit, ostendere; et iisdem [3] illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque transire [4]; sæpe non proponere, ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare; si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes; deinde, quod agitur, adjungas [5]; puncta argumentorum [6] plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

XLII. (XLII.) Hæc ut et properans, et apud [1] doctos,

2. *Afficiat.* Sic edd. pr. et MS E. recte, non *afficiet:* pendet enim ab *assequentur, ut.* Ern.

3. *Et iisdem illis.* Lallem. « et ex iisdem illis ». Int. et adhibito quodam loco communi ex iis quos indicavi concludere; alias contra relinquere conclusionem et subito ad aliud argumentum transire.

4. *Relinquere alias, alioque transire.* Pal. pr. sec. « aliorsum transire », ut suspicer repetendam dictionem præcedentem: « relinquere alias, alias aliorsum transire ». Gaut.

5. *Quod agitur, adjungas.* Adnotavit Gulielmius forte legendum, « quo de agitur », non absurde. Gaut.

6. *Puncta argumentorum.* Intervalla quibus distinguuntur transitiones.

XLII. 1. *Hæc ut et properans, et apud doctos.* Fortasse melius: « hæc ego properans, ut apud doctos ». Sch.

et semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa majora veniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, majus, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis, quam judicio, aut consilio, regatur. Plura enim multo homines judicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore [2], aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut præscripto, aut juris norma aliqua, aut judicii formula, aut legibus. Quare, nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus.

— Paullum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere. — Quidnam? inquit. — Qui ordo tibi placeat [3], inquit Catulus, et quæ dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles. — Vide quam sim in isto genere, inquit, Catule, deus: non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem : ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnumquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo, vel casu potius incurrere. Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram [4], sic, tamquam ignotum hominem, præteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit : sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse. Nam si ego omnem vim

2. *Aut timore, aut errore.* Schütz. dat, « aut tim. aut terrore ». Recepi, inquit, lectionem MSS Nov. et Mag. a Pearcio commemoratam, ut hoc loco aptissimam. Vulgo *errore.* Id quidem alibi, ut Partt. Oratt. cap. 11, Or. 33, cum perturbationibus animi componitur, sed alia ratione.

3. *Qui ordo tibi placeat.* Si *placet* verum est, interrogative istud est capiendum : alias *placeat* legendum, quod et melius videtur, recepitque e MSS et edd. C. Stephanus, Lambinus, Pearc. Sic et Erl. Ern.

4. *Noram.* Schützius dat *meminetam*, sensu, ut ait, postulante.

oratoris in argumentis, et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset jam de ordine argumentorum, et de collocatione aliquid dicere : sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum[5]; quum de duobus rèliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quærendum.

XLIII. (XLIII.) Valet igitur multum ad vincendum, probari mores[1], instituta, et facta, et vitam eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus; et item improbari adversariorum; animosque eorum, apud quos agitur[2], conciliari quam maxime ad benivolentiam quum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitæ : quæ facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed hæc adjuvant in oratore, lenitas vocis, vultus[3], pudoris significatio, verborum comitas : si quid persequare acrius, ut invitus èt coactus facere videare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi, signa proferri per-

5. *Sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum.* Vide cap. 30 : « Meæ totius orationis..... tres sunt rationes; una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum... Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem hujus generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur, etc. » Dixit jam de ea prima parte Antonius; nunc transit ad eam quæ pertinet ad homines conciliandos.

XLIII. 1. *Probari mores, instituta, et facta, et vitam eorum, qui,* etc. Guelf. 1, « probari mores at instituta eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus ». Sch.

2. *Agitur.* Schützius dat *agetur* e Guelf. 1.

3. *Vultus, pudoris significatio.* Pearcius delendum putat comma post vocem *vultus*, ut tam *vultus* quam *pudoris* sit genitivi casus, et regatur a voce « significatio ». Hæc loquendi formula sæpius apud Ciceronem occurrit. Exemplo sit istud in initio orat. in Pisonem : « Jamne sentis, quæ sit hominum querela frontis tuæ? » Pearc. — Non placet *vultus* unum unde poni. Si est a Cicerone, referendum est ad *lenitatem*; sed malim deleri. Quod in vultu prodesse potest, id est, in pudore, qui maxime vultu significatur. Ern. — Schützius edidit ut est in ed. Omnib. « vultus puduris significatio ».

utile est; eaque omnia, quæ proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benivolentiam conciliant [4], abalienantque ab iis, in quibus hæc non sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda. Sed genus hoc totum orationis in iis causis excellet, in quibus minus potest inflammari animus judicis acri et vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quæritur, sed sæpe placida, summissa, lenis, quæ maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur : sic enim olim loquebantur. Horum igitur exprimere mores oratione, justos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet; et hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda, tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum [5], ut sæpe plus, quam causa, valeat. Tantum autem efficitur sensu quodam, ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum, et genere [6] verborum, adhibita etiam actione leni, facilitatemque significanti [7], efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur [8].

4. *Benivolentiam conciliant.* Pith. item Pal pr. ac sec. *concinant*, unde putabat Gulielmius gemina litera reponendum *concinnant* : sed præstat credere *li* inscitia librariorum mutatum in *n*. Gaut.

5. *Et cum sensu tractatum.* Nihil mutant Palatini, neque necesse est aliquid adjici, ut volebat Lambin. Gaut. — Quid sit *cum sensu*, vide Clav. et conf. mox cap. 45. Ern.

6. *Et genere verborum.* Schützius delet *genere*.

7. *Facilitatemque significanti.* Sic Pal. sec. neque abit primus, nisi quod is *significati*. Erat etiam nostrum in Memmiano membr. Nam Pith. « facilitatem significanti » sine copola : vulgata « facilitateque significandi ». Aldus Nepos publicavit « facultateque significandi ». Gaut.

8. *Ut boni viri esse videantur.* Int. qui dicant : non enim ad reos pertinet, ut P. Manutio videbatur. Sed malim scribi *videamur*, ut et Manutio visum. Ern. — Vulgatum tamen defendi poteat ut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ intelligatur *oratores*. Sch.

XLIV. (XLIV.) Huic autem[1] est illa dispar adjuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes judicum permovet, impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent[2], aut cupiant, aut abhorreant, aut lætentur, aut mœreant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos[3] motus adducantur[4], si qui finitimi sunt, et propinqui his ac talibus animi perturbationibus. Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam judices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem, ut aiunt, incitare, quam commovere languentem. Sin id, aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti, priusquam conetur ægro adhibere medicinam, non solum morbus ejus, cui mederi volet[5], sed etiam consuetudo valentis, et natura corporis cognoscenda est: sic equidem quum aggredior ancipitem causam[6] et gravem

XLIV. 1. *Huic autem est*, etc. Nunc transit Antonius ad eam partem artis quæ pertinet ad homines concitandos.

2. *Aut sperent*. MSS Bod. Mag. Norf. Pal. quart. quint. oct. itemque Lambinus, Asc. et editiones Ven. et Mediol. aliæque exhibent *sperent*, pro vulgato *spernant*. Recte sane, lector: vides enim contrarias animi permotiones sibi invicem opponi, amorem odio, invidiam favori: contraria vero permotio *metui* est *spes*. Nec aliter Cicero eas opponit cap. 42 hujus libri, «aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore». PEARC. — Pearcium Ernest. Lallem. Schütz. sequuti sunt.

3. *Ad eos motus*. Schütz. dat «ad aliquos m.» quod *eos* non respondet sequenti *si qui*.

4. *Adducantur*. Sic rescripsi pro vulgato *abducantur* ex MSS et edd. vett. Pearcius ex aliis MSS recepit *deducantur* (MS E. *diducantur*, sec. corr. *ded.*), quod sane usitatum Ciceroni in hac re, sed et *adducantur*, quod vulgato similius. Sic mox occurrit cap. 45. ERN. — Lallem. fecit cum Pearcio.

5. *Non salum morbus ejus, cui mederi volet*. Priores tres voces restant tantummodo in Pal. pr. in sec. Pith. et Mem. membr. quatuor. Non habent, inquam, «cui mederi volet», et vero non requiram, si absint. GAUT.

6. *Quum aggredior ancipitem causam et gravem*. MSS quidam ut et Erl. (et Pal. pr. sec. item duo Gallicani, teste Grut.) «in ancipiti causa et gravi»: idque placet viris doctis; mihi e correctione esse videtur, non videntis, unde «ad pertractandos animos»

ad animos judicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. Si se dant, et, ut ante dixi, sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent; accipio quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do[7]. Sin est integer quietusque judex, plus est operis : sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adjuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quæ recte a bono poeta[8] dicta est « flexanima, atque omnium regina rerum, oratio[9] », ut non modo inclinantem impellere[10], aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

XLV. (XLV.) Hæc sunt illa, quæ me ludens Crassus modo flagitabat, quum a me[1] divinitus tractari solere diceret, et in causa M'. Aquillii, C. que Norbani, non-

pendeat, et ad *aggrediar* referentis. Sed vulgata bene explicari potest ; sensus est, in tali causa, ut animos j. bene tractem, quo moveantur, ut velim, omni cura hoc ago, etc. Ern.

7. *Ad id, unde... vela do.* Vulgo vela dantur ex loco ad locum. In sententia, quæ hic est, proprie dicuntur *vela fieri* scil. ad captandam auram, quæ exoritur aut ostenditur. Itaque *vela do* est accipiendum ut *vela facio*. Nam lectionem sanam esse, indicant verba *ad id*, referturque *vela do* ad *accipio quod datur*. Ern.

8. *A bono poeta dicta est.* Pacuvio in Hermiona, teste Nonio voc. *flexanima*. Sch.

9. *Flexanima, atque omnium regina rerum, oratio, ut non modo*, etc. In duobus Lambinianis non est copulatio *atque*; neque exstat in Mem. aut Pith. retinent Palatt. posteriores; nam primus præfert : « flos atque anima omnium rerum, oratio ». Sec. « lex atque animi natura omnium ». Grut.

10. *Inclinantem impellere.* Vulgo *erigere*. Creverius eleganter conjicit *impellere*, nempe, ut plane ruat eo, quo inclinatur, et sic semper Cicero in hac re. Recepit Lallemand. quem in tanta evidentia imitatus sum. MS E. *excipere*. Ern. — *Excipere* occurrit et in Pal. pr. sec. item Mem. et Pith. et fere est ut præponam vulgato : loquitur enim de judice tamquam de milite nobis adversario. Grut.

XLV. 1. *Quum a me.* Sic edd. pr. non *quæ*, ut vulgo consentit MS E. Ernest.

nullisque aliis, quasi præclare acta, laudaret. Quæ mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo : tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor, oculis, vultu, gestu, digito[2] denique isto tuo significari solet; tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integræ sententiæ, tam veræ[3], tam novæ, tam sine pigmentis fucoque puerili, ut mihi non solum tu incendere judicem, sed ipse ardere videaris.

(XLVI.) Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur[4]; nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in ejusmodi genere orationis nihil esset, nisi falsum, atque imitatione simulatum, major ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio; de me autem causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar : non mehercule umquam apud judices[5], aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui, quin ipse in commovendis judicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Neque enim facile est perficere, ut irascatur, cui tu velis[6], judex, si tu ipse id lente[7] ferre

2. *Digito denique.* Quum tres contracti digiti pollice premuntur, tum digitus ille, quo usum optime Crassum Cicero dixit, explicari solet. Is in exprobrando et indicando, unde ei nomen est, valet. Fabius, lib. XI, cap. 2. PROST.

3. *Tam veræ.* Purgoldus conjicit *tam crebræ.* In hoc minime audiendus.

4. *Misericordiamque deducatur.* Schützius dat *ducatur.* Sic, inquit, Arntzenius legit in cod. Traject.

5. *Apud judices.* Hoc Schütz. delet auctoritate cod. Guelf. 2.

6. *Ut irasc. cui tu velis.* Sch. Lall. « ut irascatur, ei cui tu velis, judex, si tu ipse, etc. »

7. *Lente ferre.* Schützius dat « lente

videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione[8] denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quæ, nisi admoto igni, ignem concipere possit: sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, et ardens accesseris[9].

XLVI. (XLVII.) Ac, ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, præsertim in rebus alienis, magna vis est earum sententiarum, atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis ejus, quæ suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam, quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet. Et ne hoc in causis, in judiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, in civitate, in foro accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius; quamquam, quum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id quidem negligendum est), sed[1] alia sunt majora multo, fides, officium, dili-

facere » e cod. Guelf. 2, probante Hensingero ad Cic. Offic. I, 1.

8. *Collacrymatione denique ostenderis.* Sic Horatius in Art. Poet. « Si vis me flere, dolendum est Primum ipsi tibi »; post eumque Boleus noster: « Il faut dans la douleur que vous vous abaissiez; Pour me tirer des pleurs, il faut que vous pleuriez ».

9. *Accesseris.* Pearcius cum Gron. e MSS quibusdam et edd. correxit *accesserit*, ut habet etiam MS E. nempe orator cujus ante mentio. Sed non est id sufficiens, nec ea correctio necessaria; nam nec simpliciter orator dictus est, sed vis oratoris; et in ceteris est persona secunda. ERNEST. — Schutzius dedit *accesserit* cum Guelf. 2, 3.

XLVI. 1. *Sed alia sunt majora multo*, etc. Ibi est anacoluthon; ordo constructionis postulabat: « sed etiam quum aguntur alia multo majora, fides, officium ».

gentia; quibus rebus adducti, etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus. Sed ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum, quam versus[2], quam scena, quam fabulæ? tamen in hoc genere sæpe ipse vidi, quum ex persona[3] mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondalia[4] illa dicentis,

> Segregare[5] abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
> Neque paternum adspectum es veritus?

Numquam illum « adspectum[6] » dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

> ....Quem ætate exacta indigem

2. *Quam versus*. In ed. Omnib. abest « quam versus » : et sane melius abest. Sch.

3. *Ex persona*. Scilic. tragica, quæ tegit os tragœdi ita, ut tamen vultus perspici possit. In quo personæ tragicæ elegantiores comicis fuere, ut patet etiam e figuris earum in monumentis antiquis, ut apud Gruter. Inscript. pag. 1024. Add. Dorvill. Vann. Crit. p. 217. Nam quæ ibi de mimis dicta sunt, in tragœdos pariter conveniunt. Ern.

4. *Spondalia illa*. Pal. pr. et Pith. « spondali illa ». Auratus mutabat in « Sophoclea illa ». Turnebus, Advers. lib. XX, cap. 17, inserebat literam, ut fieret spondialia : qui videatur ; ut etiam Cœlius Rhodiginus, Ant. Lect. lib. VI, cap. 9. Grut. — An legendum hic *Sophoclea*, ut censet Auratus, quod hi versus ex Sophoclis Teucro a Pacuvio e græco in latinum sermonem conversi? An spondialia, ut Turnebus, seu potius, quemadmodum Salmasius et Vossius putant esse magis secundum analogiam, spondaulia? Σπονδαῦλαι sunt tibicines, σπόνδυλος enim tibia est. Atque hic σπονδύλων μέλος versus inter sacrificandum ad tibiam cani soliti, ne quid male ominatum audiretur. Proust.

5. *Segregare*, etc. Sic in Teucro tragœdia Telamonem inducit loquentem Pacuvius. Telamon, rex Salaminis, ad bellum trojanum filios miserat Ajacem at Teucrum, ut alter alterum tueretur. Ut audivit Ajacem, ob negata Achillis arma, sibi manus intulisse, Teucrum, qui fratris necem ultus non erat, reversum ejecit. Proust.

6. *Illum adspectum*. Lambinus corrigit *illud*, quod arrisit Pearcio. Mihi vulgatum verum videtur : *illud* nimis grammatice et jejune dictum esset. Ernest.

Liberum lacerasti, orbasti, exstinxsti; neque fratris necis,
Neque gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam est traditus 7?

flens ac lugens dicere videbatur. Quæ si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte[8] agere sine dolore non poterat; quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. Sæpe enim audivi, poetam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris.

XLVII. (XLVIII.) Quare nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus, fictosque luctus vellem imitari, atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienæ personæ, sed auctor meæ, quum mihi M'. Aquillius in civitate retinendus esset, quæ in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem, ornatum a senatu, ovantem in Capitolium adscendisse meminissem; hunc quum afflictum, debilitatum[1], mœrentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem[2] tum magnopere moveri judices, quum excitavi mœstum ac sordidatum senem, et quum ista feci, quæ tu,

7. *Traditus.* Aliquid deesse videtur sententiæ, quod videtur in versu sequenti fuisse, nec a Nostro citatum fuisse, quia satis ii versus noti erant.

8. *Recte agere sine dolore non poterat.* In hoc loco semper hæsi. Non quæritur an sine dolore recte agere potuerit; sed quum toties egisset; quare paullatim sensus rei minuitur per assuetudinem; tamen cum dolore egisse, nec sine dolore potuisse, hoc dicitur. Et argumentatio ab histrione ad auctorem non procedit. Ergo aut *recte* delendum est, aut in eo aliud verbum latet. Mihi illud verum videtur. Ern. — Cujus suasu Schützius *recte* delevit.

XLVII. 1. *Hunc quum afflictum, debilitatum.* Memmii membr. et duo Pall. priores «quum derelictum». Fere probem. Grut.

2. *Sensi equidem tum*, etc. Sic editiones primæ et MS E. recte. Vulgo *quidem*. Ern.

Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. Quum C. Marius mœrorem orationis meæ præsens ac sedens multum lacrymis suis adjuvaret; quumque ego illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem, atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit hæc sine meis lacrymis, non sine dolore magno miseratio, omniumque deorum, et hominum, et civium, et sociorum imploratio; quibus omnibus verbis, quæ a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea. (XLIX.) Quamobrem hoc vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis.

Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali et quæstore meo[3], tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi, et dolore, et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim[4] tum omnia in causa superiora: vim, fugam, lapidationem,

3. *Sodali et quæstore meo.* Uterque Mem. necnon Pith. et tres Palat. *sodali meo*, exclusis intermediis, nec desiderem. GAUT. — Hic erat Norbanus accensans Servilium Cæpionem. Qui Cæpio consul fuerat anno U. C. 647, annoque 648 a Cimbris victus fuerat qui octoginta millia hominum occiderunt. Ei reduci a populo honos proconsulatus detractus est. Decem annis post iterum accusatus fuit a Norbano tribuno, sed a patriciis omnibus defensus est, quos sibi conciliarat lege lata de judiciis, qua jus judicandi, quod jamdiu solis equitibus tributum erat, cum senatu communicabatur. Ejus causam Crassus oravit, duoque tribuni Didius et Cotta legi collegæ hic obstiterunt. Tum Norbanus talem defensionem nisi vi non posse superari sentiens popularem turbam excitavit. Ideoque ipse a Sulpicio in judicium vocatus ab Antonio defensus est, absolutusque.

4. *Habueras enim tum omnia in causa.* Schütz. dat « habueras enim tu omnia in causa », cum Guelf. 1, edit. Omnib.

crudelitatem tribunitiam in Cæpionis gravi miserabilique casu, in judicium vocabas; deinde principem et senatus, et civitatis, M. Æmilium, lapide percussum esse constabat; vi pulsum ex templo [5] L. Cottam, et T. Didium, quum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare.

XLVIII. Accedebat, ut hæc tu adolescens pro republica queri summa cum dignitate existimarere; ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem, et in hominis consularis calamitate crudelem, posse defendere. Erant optimi cives judices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quædam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quæstor fuisset [1]. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? Quid fecerim, narrabo : si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis.

Omnium seditionum genera [2], vitia, pericula collegi, eamque orationem ex omni reipublicæ nostræ temporum varietate repetivi, conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestæ semper seditiones fuissent, justas tamen fuisse nonnullas, et prope necessarias.

5. *Vi pulsum ex templo L. Cottam*, etc. E tribunali, unde conciones haberentur. Vide Clavem in hac voce. Ern.

XLVIII. 1. *Qui mihi quæstor fuisset.* Duo Pall. et totidem Gallicani *legatus* exhibent, non *quæstor* : quod tamen constanter in ceteris Palatinis : adeo ut pateat non unius esse sæculi horum illorumque librorum discordem concordiam : quippe Pall. sept. oct. semper stant a vulgato, ut et Memmii codex papyraceus; at membrana ejus ac Pithœanus et Palat. pr. ac secundus multis vocibus sunt succinctiores; quas tædet huic chartæ sæpius committere : annotata sunt tamen a Gulielmio, a me, in Cicerone ei rei destinato : cujus usum dum vivo cuicumque viro bono doctoque, libens merito communicabo : mortuus vero, celebriori alieni legabo Bibliothecæ, et cui, quæso, nisi Amsterodamensi, quum ibidem jam modo totius mundi opes et commeatus, veluti hospitio communi sese ultro libenterque dicant, dedicem? Grut.

2. *Omnium seditionum genera*, etc. Schützius exhibet «omnia seditionum genera».

Tum illa, quæ modo Crassus commemorabat, egi; neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis, ac vindicem libertatis, populo romano dari sine nobilium dissensione potuisse; ac, si illæ seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si quis motus populi factus esset, id Cn. Norbano in nefario crimine[3], atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo romano concessum esset, ut jure concitatus videretur, id quod docebam sæpe esse concessum, nullam illa causam justiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Cæpionis fugam, in deplorandum interitum exercitus: sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam, et animos equitum romanorum, apud quos tum judices causa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter judicia alienati[4], renovabam [atque revocabam[5]].

XLIX. Quod ubi sensi me in possessione[1] judicii ac defensionis meæ constituisse, quod et populi benivolentiam mihi conciliaram, cujus jus etiam cum seditionis conjunctione defenderam, et judicum animos

3. *In nefario crimine.* Totum istud abest a Pal. sec. at primus ejus loco habet, *in periculo*, quomodo et Memm. membr. Gaut. — Sic et in cod. Reg. 7703, collato a J.V. L. illique placet.

4. *Alienati.* Ernest. Lallem. Schütz. *abalienati.*

5. *Renovabam* [*atque revocabam*]. Illud *atque revocabam* non visitur in Pal. pr. sec. tert. aut Memm. membr. neque desideratur. Gaut. — *Atque revocabam* delevit Pearcius e MSS auctoritate. Alterutrum verbum esse spurium, et duplicem lectionem in textu conjunctam, facile agnosco; idque clare docet MS E. in quo est unum *revocabam* suprascriptum alia manu *renovabam*. Sed quia *renovabam* pulchrius est, id præferendum puto. Saltem uncis inclusi Ern.—Sch. delevit *atque rev.* cum Guelf. 1.—Uncis inclusit ut dubia J.V. L. qui in cod. 7702 non invenerat; et tamen illi numerus aliquid postulare videtur.

XLIX. 1. *In possessione.* Pal. sec. item Pith. « in possessionem ». Gaut.

totos vel calamitate civitatis, vel luctu ac desiderio propinquorum, vel odio proprio in Cæpionem ad causam nostram converteram : tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi[2], lenitatis et mansuetudinis cœpi ; me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more majorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere ; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui sæpe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. Petebam a judicibus, ut illud ætati meæ, ut honoribus, ut rebus gestis, si justo, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent : præsertim si in aliis causis intellexissent, omnia me semper pro amicorum periculis, nihil umquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Apuleia[3] dicerem, ut, quid esset minuere majestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi. His duabus partibus orationis[4], quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quæ minime præceptis artium sunt perpolitæ, omnis est a me illa causa tractata, ut et acerrimus in Cæpionis invidia renovanda, et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita magis affectis animis judicum, quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.

2. *De quo ante disputavi.* Cap. 43.

3. *De lege Apuleia.* Lex majestatis anno Urb. C. 651, a tribuno Apuleio Saturnino lata.

4. *His duabus partibus orationis.* Quadriga illa germano-gallica « his duabus orationibus », quod excutient quibus otium aliquod. GRUT. — Cod. noster 7703 pro « partibus orationis », habet *orationibus*, ut infra cap. 78, est « in oratione » pro « in parte orationis ». J. V. L.

L. (L.) — Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, ista commemoras: nam ego nihil umquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Quum enim, quemadmodúm dixisti, tibi ego non judicium, sed incendium tradidissem; quod tuum principium, dii immortales, fuit? qui timor[1]? quæ dubitatio? quanta hæsitatio, tractusque verborum[2]? Ut illud initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti; te pro homine pernecessario, quæstore tuo, dicere[3]: quam tibi primum munisti ad te audiendum viam? Ecce autem, quum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi, civem improbum defendenti, ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte cœpisti, nihildum aliis suspicantibus, me vero jam pertimescente, ut illam, non Norbani seditionem, sed populi romani iracundiam[4], neque eam injustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde qui locus abs te prætermissus est in Cæpionem? ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti? Neque hæc solum in defensione, sed etiam in Scauro, ceterisque meis testibus, quorum testimonia non refellendo, sed ad eumdem impetum populi confugiendo, refutasti. Quæ quum abs te modo commemorarentur, equidem nulla præcepta desiderabam: istam enim ipsam demonstrationem[5] defensionum tuarum abs te

L. 1. *Qui timor?* Abest hoc ed. Lall.

2. *Tractusque verborum.* Vid. Clav. in hac voce. Ern.

3. *Quæstore tuo dicere.* Dictio *dicere* non est in Pall. pr. sec. aut Mem. membr. et helle meis quidem auribus subintelligitur. Gaut.

4. *Sed populi rom. iracundiam.* Delevit *illam* Pearcius, quod ante *populi* ponebatur, secutus MSS quosdam, quibus accedit Erl. Etiam sine MSS delevissem; ita evidens vitium est. Ernest.

5. *Istam enim ipsam demonstrationem d. t. abs te ipso commemoratam, doctrinam esse*, etc. Pro his omnibus est solum in Palat. pr. et Pith. Memmianoque membr. «ipsam tamen doctrinam esse, etc.» neque aliter sec. nisi quod is *tum* loco *tamen*: restat tamen

ipso commemoratam, doctrinam esse non mediocrem puto. — (LI.) Atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quæ nos sequi in dicendo, quæque maxime spectare solemus : docuit enim jam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.

LI. Equidem primum considerare soleo, postuletne causa : nam neque parvis in rebus adhibendæ sunt hæ dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si aut tragœdias agamus in nugis, aut convellere adoriamur[1] ea, quæ non possint commoveri. Nam quoniam hæc fere maxime sunt in judicum animis[2], aut, quicumque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, lætitia, timor, molestia : sentimus amorem conciliari, si id videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare. Namque hæc res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem[3]; plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futuræ, quam præteriti beneficii commemoratio. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse, ac nihil omnino fecisse causa sua[4]. Invidetur enim commodis hominum ipsorum;

vulgata in reliquis Pall. ideoque non ausus sum abjicere. GAUT. — Schützius delet « abs te ipso commem. » ut interpolatoris.

LI. 1. *Convellere adoriamur.* Drakenb. ad Liv. XXXV, 51, conjicit *adordiamur:* non necessarium arbitror.

2. *In judicum animis.* Schützius cum Lambino : « in animis judicum ». Cf. Rhetor. Aristot. II, 1.

3. *Caritatem.* Caritas esse videtur e morum existimatione.

4. *Fecisse causa sua.* Lambin. « sua causa fecisse ». SCH.

studiis autem eorum ceteris commodandi favetur. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his ex locis et odium in alios struere discemus, et a nobis ac nostris demovere; eademque hæc genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda, vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur : sin, quod aut in bonos viros [5], aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rempublicam; tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut [6] invidiæ, aut odii non dissimilis offensio. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus : interior est ille proprius [7]; sed hic quoque communis ad eamdem similitudinem est perducendus.

LII. Par atque una ratio est spei, lætitiæ, molestiæ; sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiæ [1], nec minus virium opus sit in ea com-

5. *Sin, quod aut in bonos viros.* Vitiosa certe est sententia, quam Lambinus sic corrigit : « sin, quod aut bonis viris, aut iis quos quisque minime lædere debuerit, aut reipublicæ, etc. » sed alia, opinor, aggrediendum est via : istud *factum*, quod in priore parte sententiæ ante *augeas* plane otiosum est, ex illo loco suspicor huc afferri debere. Lego igitur : « Nam si quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id augeas, odium creatur. Sin, quod aut in bonos viros factum, aut in eos, etc. » Certe si vox *factum* in posteriori sententiæ parte in textum recipi non debet, subintelligi debet, « ut factum in bonos viros idem sit ac contra bonos viros ». Sic Noster de Amic. cap. 12 : « Quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrymis non queo dicere ». Sic et Terent. Heaut. act. I, sc. 1 : » Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero » : et ibidem sc. 2 : « Vereor, ne quid in illum iratus plus satis faxit pater ». Pearc. — Ernest. declarat se plane Pearcio assentiri.

6. *Tamen aut invidiæ.* Schützius dat : « tamen aut iracundia », quia hic *invidiæ* non est locus.

7. *Interior est ille proprius.* Ille timor, qui nobis proprius est, nos magis concutit. Vid. Aristot. Rhetor. lib. II, cap. 8.

LII. 1. *Longe sit omnium motus invidiæ.* Quomodo excitetur invidia, mirabiliter describit Aristot. Rhetor. lib. II, cap. 10.

primenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse; sed etiam superioribus invidetur sæpe vehementer, et eo magis, si intolerantius se jactant, et æquabilitatem[2] juris præstantia dignitatis aut fortunæ suæ transeunt : quæ si inflammanda sunt[3], maxime dicendum est, non esse virtute parta; deinde etiam vitiis atque peccatis; tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanta[4] ulla merita, quanta insolentia hominis, quantumque fastidium. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata; seseque, si quam gloriam peperisse videatur, etsi ea non sit iniqua[5] merces periculi, tamen[6] ea non delectari, totamque abjicere atque deponere : omninoque perficiendum est (quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium, et pervagatum[7]; invidetur

2. *Æquabilitatem juris.* Sic sine *communis*, quod est in vulgatis inde ab Aldo et Junta, est in edd. pr. Nec est contra latinitatem « æquabilitas jur. comm. » sed contra concinnitatis Ciceronianæ legem : tollit enim membrorum æqualitatem. Ed. s. l. et a. habet *æqualitatem*, quod sæpe in libris vett. cum illo permutatur, nec ipsum ab h. l. est alienum. Vid. Clav. Ern.

3. *Quæ si inflammanda sunt.* Exquisite dictum pro, si ad animos invidia inflammandos adhibenda sunt tamquam faces, ut c. sup. init. dixit. Sic Orat. 28, « inflammare rem ». Ern.

4. *Non esse tanta ulla merita, quanta.* Vulgo *tanti*, quod vitiosum esse, vel respondens ei *quanta* indicat leviter attendenti; itaque *tanta* rescripsimus. In MS uno, ex quo sequutus Lambinum, idem recepit Pearcius, est pariter correctio mera, sed justa. Ern. — Schützius reposuit *tanta*, fretus Guelf. 1, 2, 3.

5. *Iniqua merces.* Pall. aliquot et Mem. membr. *æqua*, quod placebat Gulielmio. Pall. quoque iidem fere omnes; item Pith. et Memmii membranaceus repræsentat *tamen etsi*, ubi hodie est *tametsi*: eidem complacitum.

6. *Et si ea non sit ... tamen.* Edd. vett. habent *tamen etsi*, ut MS E. Aldus et Junt. induxere *tametsi*, molliendi causa. Gruterus, ut solebat, illum veterem squalorem revocavit: Pearcius *tametsi*. Sine dubio tamen in antiqua lectione e versu sequente temere huc venit, et ne *tametsi* quidem Cicerone dignum in illa vicinia τοῦ *tamen*. Ern.

7. *Commune vitium, et pervagatum.* Vulgo *et perpetuum*. Edd. pr. vel

autem præstanti florentique fortunæ[8]), ut hæc opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur. Jam misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quæ de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas, aut timeat; aut intuens alium, crebro ad se ipsum revertatur. Ita quum[9] singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est; et, ut illa altera pars orationis, quæ probitatis commendatione boni viri debet speciem tueri, lenis (ut sæpe jam dixi) atque summissa; sic hæc, quæ suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet.

LIII. (LII.) Sed est quædam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, et ex hac vi nonnumquam animi aliquid inflammandum est[1] illi lenitati: neque est ulla tempe-

adduut *pervagatum*, vel solum habent ut ed. s. l. et a. Lips. « maximeque est hoc vitium pervagatum », sine *commune*. Vitium *perpetuum* non commode dicitur. Inclinabam in lectionem ed. s. l. et a. Sed tamen alteram prætuli *comm. v. et perv.* Cic. de Invidia in epistolis: « late patet et est in multis ». ERN. — Sch. eum sequitur.—Habent *pervagatum* tres MSS Regii. J. V. L.

8. *Invidetur ... fortunæ.* Hoc sine dubio spurium est: nam hoc supra dixerat, et stulte hic repeteretur; fuit nota in margine posita; arbitramur quemque admonitum, esse sensurum. Itaque uncis inclusimus. ERN. — Hæc frustra Ernest. spuria judicat. Scilicet nexum sententiarum non videt. J. V. L.

9. *Quum ... tum.* Sibi respondent, hoc fere sensu: inter casus quibus commoventur animi hominum, maxime deplorantur qui virtutem affligunt.

LIII. 1. *Inflammandum est.* Ita scripsi, secutus quadrigam MSS sæpius laudatorum, item Pall. oct. et nonum. Nam vulgata *influendum*, Lambinus *infundendum*, Gulielmius conjectabat *inflandum*, translatione ducta a tibiis: si et mihi mutire licitum, omnia isthæc habuerim pro putido emblemate libra-

ratior oratio, quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur; remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur.

(LIII.) In utroque autem genere dicendi, et illo, in quo vis atque contentio quæritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda[2] sunt, et exitus tamen[3] spissi[4] et producti esse debent. Nam neque assiliendum statim est ad illud genus orationis; abest enim totum a causa[5], et homines prius ipsum illud, quod proprium sui judicii est, audire desiderant : nec, quum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur, ita misericordiam, aut invidiam, aut iracundiam, simul atque intuleris[6], possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, quæ simul atque emissa est[7], adhærescit; illud autem ge-

rii alicujus: sane si resecentur, nihil depereat veneri sententiæ. GRUT. — Melanchthon cum Gul. conj. *inflandum*, pro *afflandum*; nam et inflatus divinus dicitur pro *afflatu*, ut Cic. Divin. 1, 6, idque ceteris longe melius est, «influendum, infundendum, inflammandum ». Ego cum Grutero ejiciendum puto. Correctores volebant hoc membrum priori similius reddere, et quum in illo sit *influat*, fecere *influendum est*, unde *inflammandum* factum est ab iis, qui putabant id lenius esse pro *vi animi*. *Influat* est commune et aptum utrique. ERN. — Schütz. dedit *inflandum*, quod et Pearcius probavit. Hensingerus olim *induendum*, postea *instillandum* legi volebat. Guelf. 2, 3, *influendum*. Nihil omnino mutandum monet J. V. L.

2. *Sunt*. Pearc. deleri vult *sunt*, nec id displicet. Deberet saltem esse *sint*.

3. *Tamen*. Porro *tamen* intelligi potest, et ferri si ad *tarda* referatur : nec tamen satis placet, mallemque cum Lambino *item* corrigere, si in libris vestigia ejus essent. ERN.

4. *Exitus... spissi*. De hac voce vide Clav. Ernest. Ex seqq. liquide patet hujus sententiæ sensus, sc. oratorem non aperte, sed quasi per circuitum accedere debere ad hoc genus orationis, attamen quum locum tetigit in eo hærere et se extendere libere.

5. *Abest enim... causa*. Hoc male in parenthesi dictum accipitur. Est prima ratio præcepti, de principiis tardis. Nam, inquit, hæc oratio non explicat causam, ut intelligatur ejus veritas, etc. ERN.

6. *Intuleris*. Schützius dat *impuleris*, quia alterum hic alienum est.

7. *Quæ simul atque emissa est, adhærescit*. Schützius dat «cui simul at-

nus orationis non cognitionem judicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa, et varia, et copiosa oratione, et simili contentione actionis, nemo potest. Quare qui aut breviter, aut summisse dicunt, docere judicem possunt, commovere non possunt; in quo sunt omnia.

Jam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. Sed argumento resistendum est, aut iis, quæ comprobandi ejus causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis[8], nec esse consequens; aut, si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius, aut æque grave. Illa autem, quæ aut conciliationis causa leniter, aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus[9] inferenda

que emissum est, adhærescit ». Optime sic, inquit, emendavit Wyttenbach. Bibl. crit. vol. I, pag. 21.

8. *Ex propositis*. MS Mem. *positis*, quod satisfaciebat Gulielmio, ut et antea Lambino, non male, sed vulgatum melius et elegantius, estque proprium in hac re verbum. Vide Clav. Ern.

9. *Contrariis commotionibus inferenda sunt*. Verbum *inferre* semper apud Ciceronem opponitur illi verbo, quod magis huic loco convenit, *diluere*, sive *propulsare*. Invito igitur, ut opinor, sensu hæc lectio retinetur. Vult enim Cicero significare affectus omnes contrariis affectibus tollendos, amovendos, frangendos, imminuendos esse. Placet igitur conjectura Jo. Walkeri, qui censet Ciceronem sic scripsisse, « contrariis commotionibus infirmanda sunt ». Nempe verbum *tollatur* satis nos docet, quid velit Cicero. Sic etiam in Oratore: « quumque animos in prima aggressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria ». Sed et has duas voces sæpe Cicero conjungit, lib. II de Nat. Deor. « quæ vos Academici, infirmatis et tollitis ». Lib. IV Acad. Quæst. « hoc quum infirmat tollitque Philo ». Livius, lib. XXXIV, in Catonis orat. « Ut unam tollendo legem, ceteras infirmetis ». Sed digna interim notatu est lectio, quam servant MSS Joan. Nov. Mead. Harl. duo et Bal. « contrariis commotionibus efferenda sunt ». Si vox *efferenda* significat *vincenda*, *superanda*, omnino retineri debet. Videtur autem hoc significare in Tuscul. Disp. lib. IV, cap. 29: « Quod non natura humana patienda efferat ». Calepinus in Lex. dicit *efferre* significare « vincere, superare, quasi extra ferre »: et ad eam significationem istius vocis probandam hunc locum sic citat: « contrariis comm. efferenda sunt ». Unde constat in veteribus libris, qui-

sunt, ut odio benivolentia, misericordia[10] invidia tollatur.

LIV. (LIV.) Suavis autem est, et vehementer sæpe utilis jocus, et facetiæ: quæ, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturæ sunt propria certe, neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe aliis, mea sententia, Cæsar, excellis; quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docebis.

— Ego vero, inquit Cæsar, omni de re facetius puto posse[1] ab homine non inurbano, quam de ipsis facetiis, disputari. Itaque quum quosdam græcos[2] inscriptos libros esse vidissem DE RIDICULIS, nonnullam in spem veneram[3], posse me aliquid ex istis discere: inveni autem ridicula et salsa multa Græcorum; nam et Siculi in eo genere, et Rhodii, et Byzantii, et præter ceteros, Attici excellunt; sed qui ejus rei rationem quamdam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur. Quare mihi[4] nullo videtur modo doctrina ista res posse tradi. Etenim quum duo genera sint

bus est usus Calepinus, *efferenda* exstitisse. Carolus etiam Steph. invenit *efferenda* in suis vett. libris. PEARC. — Pearcii conjectura *infirmanda* valde placet: vulgatum explicare non possum. In MS E. in textu non sunt verba *in contr. part....sunt*, sed in margine alia manu scripta, ubi est *efferenda*. ERN. — Schutzius dat *efferenda*. Heusingerus emendat *evertenda*. Strebæus legisse videtur *auferenda*. SCH.

10. *Misericordia.* « Ut misericordia » edd. Ald. Juntæ. ERN.

LIV. 1. *Facetius puto posse.* Gruterus e MSS laudat *facilius*, ut habet etiam Erl. et ed. Lips. Ipse probat, nec valde repugnem. Obstat *ipsis* in seqq. quod friget si *facilius* leg. Vulgatum int. elegantius. ERN. — Cui consentit Schutzius. Multi e nostris codd. *facilius*. J. V. L.

2. *Quosdam græcos.* Tradit Diogenes Laertius a Theophrasto scriptum fuisse librum quemdam περὶ γελοίου.

3. *Nonnullam in spem veneram.* Quomodo potuit aliquid sperare, qui ita, ut dixit, de ea re judicaret? Credo Ciceronem scripsisse *non ullam i. sp. v.* quæ forma et aliis locis in *nullam* aut *nonnullam* mutata est, ut dudum observatum a viris doctis. ERN.

4. *Quare mihi nullo.* Schutz. « quare mihi quidem nullo », ex MSS et edd. vett.

facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve : illa a veteribus superior cavillatio, hæc altera dicacitas nominata est. Leve nomen habet utraque res[5] : quippe; leve enim est totum hoc, risum movere. Verumtamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persæpe lepore et facetiis profici vidi. Sed quum in illo genere perpetuæ festivitatis ars non desideretur (natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos[6], et vultu adjuvante, et voce, et ipso genere sermonis); tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante illud facetum dictum[7] emissum hærere debeat, quam cogitari potuisse videatur? Quid enim hic meus frater ab arte adjuvari potuit, quum a Philippo interrogatus, quid latraret[8]? « Furem se videre » respondit. Quid in omni oratione Crassus vel apud centumviros contra Scævolam, vel contra accusatorem Brutum, quum pro Cn. Planco diceret? Nam id, quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est, omnium senten-

5. *Utraque res : quippe ; leve enim.* Ernestius nollam interpunctionem habet post *quippe*, dicitqoe oollam adesse io edd. pr. post *res*, verum post *quippe*. Sic, inquit, et MS E. Ald. et Jont. otraque. Vetos interponctio servanda : aot *enim* delendom, vel *in* etiam mutaodom. Schützius dat « otraqoe res ! quippe : leve enim ».

6. *Imitatores et narratores facetos, et vultu adjuvante.* Qoatuor apud Gruterum MSS, « Imitatores facetiarum adjuvaote et vultu ». Schötzios dedit « adjuvaote et vultu ».

7. *Facetum dictum.* MSS quidam et edd. Fraocicæ habent *facete*, ut et MS E. quod est sane elegaotios, et sic dicam ipse; sed mihi hæc correctio videtur. *Facetum dictum* dici poteat, ot *bonum dictum* infra, *brevia dicta*, et similia ex antiquiori ratione latioitatis. Supra similia in verbo « factom » habuimus. Ern. — Multi codd. MSS apod Pearcium, et ed. Steph. habent *facete d.* Sch.

8. *A Philippo interrogatus, quid latraret.* Depeculatorem Philippum foisse Catullus notavit, et ærarii furem : solent autem canes oocta fures allatrare. Sic Cato privatorum furtorom fures dixit *in nervo* ætatem agere : fures publicos, id est, depeculatores, « in aoro atque porpura ». Cato etiam Uticensis apud Sallustium fures ærarii appellat. Aut certe forem et spoliatorem proviocialium : non enim hio censeam alia Philippo forte objici. Turn.

tia, concedendum. Non enim fere quisquam reperietur, præter hunc, in utroque genere leporis excellens, et illo, quod[9] in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. Nam hæc perpetua contra Scævolam Curiana defensio, tota redundavit hilaritate quadam et joco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati: in quo ipse[10] servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum, et ea, quæ occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum[11] non insulse interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium, « flammam a sapiente facilius[12] ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat[13] »: hæc sci-

9. *Quod... quod.* Nihil interest *quod* hic legas, an *qui*. Sed quia edd. pr. fere *quod* habent, ideo prætuli. W. tamen fluctuat, primum *qui*, deinde *quod* exhibens ut MS E. Ern.

10. *In quo ipse.* Sic recte Peareius edidit pro vulg. *ipsa*, quod ab Ascensio et Aldo est. *Ipse* etiam MS Noster. Ern. — Schützius dat *ipso* cum cum Guelf. 2, 3. — Comparet ipse in MS Reg. 7702. J. V. L.

11. *Hoc ipsum.* Sc. dictum Ennii.

12. *Dicere enim aiunt Ennium, flammam a sapiente facilius.* Pro his solum restat in Pal. pr. « dicere enim autupienti facilius », in sec. et Pith. « aut cupienti facilius ». Mem. membr. « aiunt cupienti facilius ». Hæret tamen vulgatum in Pall. ceteris. Gaut.

13. *Quam bona dicta teneat.* Versus est trochaicus integer, et hemistichium. Itaque legi debet *a sapienti*, ut versus constet. Citatur hæc Enniana sententia a Symmacho in epistolis: quamquam Socratica potius est; nam Socratis verbum istud refertur: Σωκράτης ἔλεγεν, ὅτι ῥᾷον ἄν τις διάπυρον ἄνθρακα ἐπὶ τῆς γλώττης κατάσχοι, ἢ λόγον ἀπόῤῥητον, id est, Socrates dicebat facilius homines ardentem carbonem in lingua retenturos, quam quod arcano commissum sit. Os autem, si ardeat, id est, in ore sit flamma, qui nolit uri et lædi, os non occludet, sed quam maxime hiante flammam exspuat. Ennius autem bona dicta, bonas sententias intellexerat, quas sapiens tenere se non potest, quin loquatur. At homines faceti idem de dicacibus usurpare solebant, et aliter versum interpretari. Ab eadem mente Ennius docta dicta appellavit: « haud doctis dictis certantes, sed male dictis ». Et Catullus, XI, 15: « Pauca nuntiate meæ puellæ Non bona dicta », quum scripsit, maledicta significavit. Sunt etiam alia significatione dicta, dicacitates, et verba salsa. Plautus, Capt. III, 1, 23: « Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus, qui (Gronov. *quibus*) solebam menstruales epulas ante adipiscier ».

licet bona[14], quæ salsa sint; nam ea dicta appellantur proprio jam nomine[15].

LV. (LV.) Sed ut in Scævolam[1] continuit ea Crassus, atque illo altero genere, in quo nulli aculei contumeliarum inerant, causam illam disputationemque lusit[2] : sic in Bruto, quem oderat, et quem dignum contumelia judicabat, utroque genere pugnavit. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? atque illa brevia, quum ille diceret, se sine causa sudare : « Minime mirum[3], inquit; modo enim existi de balneis ». Innu-

In quem sensum versum Ennianum faceti homines, ut dixi, accipiebant.

14. *Hæc scilicet bona*, supple : *interpretantur.*

15. *Proprio jam nomine.* Scilicet proprio hoc nomine, *dicta* appellantur ea quæ salse dicuntur; ut apparet infra, cap. 60 : « quotiescumque potuerit dictum dici ».

LV. 1. *In Scævolam continuit.* Sic edd. pr. etiam MSS idem, quod non facilius mutem in *Scævola*, etsi MS noster habet cum Lambino et Pearcio, quos Lallem. sequutus est. Sed eadem habent mox *conticuit*, ut MS E. quod Aldus correxit in *continuit*, sequente Junta : idque melius est altero. Ernest. — *In Scævolam*, scil. *dicens in Scævolam.*

2. *Lusit.* Galli sic dicerent, *tourna en plaisanterie.*

3. *Minime mirum, inquit; modo enim existi de balneis.* Ni fallor, non modo non jocus, sed ne sensus in hac lectione inveniri potest. Brutus dixerat, « se sine causa sudare » : respondit autem Crassus non esse mirum illum sine causa sudare; modo enim exierat e balneis. Voces *minime mirum* non solum ad *sudare*, sed etiam ad *sine causa* referri debent, si vulgatæ lectioni hæreamus. Solebant ii, qui e balneis exierant sudare et aqua diffluere. Vides igitur, lector, in hac vulgata lectione Crassum negare, Brutum habere causam sudandi, et tamen causam, cur sudet Brutus, afferre. Quis ferre possit hæc tam secum pugnantia? MSS Joan. et Harl. 1 omittunt voces *mirum*, et *inquit*; unde statim sic locum emendavi : « quum ille diceret se sine causa sudare : minime, inquit; modo enim existi de balneis ». Clara nunc exhibetur sententia. Brutus dixerat, se sine causa sudare, id est, in impugnanda Planci contra Crassum causa nimis vehementer agere, quum sine sudore accusari Plancus et vinci Crassus potuerit. « Minime, inquit Crassus, non sudas sine causa. Modo enim existi, etc. » Jocus est in ancipiti significatione verbi *existi*, quod significat, et vendere balnea, et e balneis lotum egredi, etc. Voces *minime* et *mirum* adeo simili literarum ductu scribuntur, ut festinantes librarii facile possint errare. Pearc. — *Minime mirum.* Int. te sudare, id est, non sine causa sudas; nam qui de balneis

merabilia hujuscemodi fuerunt, sed non minus jucunda illa[4] perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset[5], et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de republica capita contulisset; noster hic facetissime tres patris Bruti de jure civili libellos tribus legendos dedit. Ex libro primo, FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. « Brute, testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse ». Deinde ex libro secundo, IN ALBANO ERAMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. « Sapiens videlicet homo cum primis nostræ civitatis, norat hunc gurgitem; metuebat, ne, quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur ». Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit (tot enim, ut audivi Scævolam dicere, sunt veri Bruti libri), IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO, ET MARCUS FILIUS. « Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem[6] te, inquit, jam haberet, quartum librum composuisset, et se etiam in balneis lotum cum filio, scriptum reliquisset ». Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore, atque his facetiis non

exeunt, sudant, cum sudore exeunt. Pearcius delevit *mirum*, tum quod in duobus MSS non repererat, quibus consentit MS Erl. tum quod rei non consentiret: quippe responsionem ad utrumque referri debere, et ad *sudare*, et ad *sine causa*: sed hanc responsionem *minime enim* tantum ad sudare referri posse: quod non est. Nempe miramur quæ sine causa fiunt, aut fieri videntur. Itaque sequi exemplum Pearcii non sum ausus. Si tamen vitium est in hac lectione, et simplex negatio requiritur, suspicor Ciceronem scripsisse modo *mirum*, ac. quod dicis, te sine causa sudare, quum modo exieris de balneis, et minime esse glossam quæ in textum venerit. In istis libris scriptis autem non modo *mirum* omittitur, sed etiam *inquit*, quod abesse non potest. Ern.

4. *Jucunda illa.* Sic MSS, edd. pr. Vulg. *ista juc.* Transpositio temere facta in Aldina, et repetita in Junt. in vulgatos venit. Ernest.

5. *Duos lectores excitasset.* Hujus rei pro Cluentio Cicero meminit, cap. 51. De colonia Narbonensi, in Bruto, cap. 43.

6. *Puberem.* Patri cum filio pubere in balneis lavari non licebat, nec socero cum genero. Cicero de Off. I,

minus refutatum esse Brutum, quam illis tragœdiis, quas egit idem, quum casu in eadem causa funere[7] efferretur anus Junia[8]? Pro, dii immortales! quæ fuit illa, quanta vis? quam inexspectata? quam repentina? quum, conjectis oculis, gestu omni imminenti, summa gravitate et celeritate verborum: « Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides[9]? quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? at id non est nobilitatis; sed fac esse: nihil superest;

35: « Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur ». Turnebus.

7. *Funere efferretur.* Vulgg. *cum funere.* Secuti sumus cum Pearcio libros veteres. W. habet *cum funere ferretur.* Repetitum *cum* e præcedentibus. MS E. habet tantum: *i. e. causa ferretur.* Ernest. — *Cum funere* abest quatuor MSS Gruteri, nec ille desiderat.

8. *Junia.* Popilia omnium prima Romæ in funere laudationem meruit, quum ante honoratis tantum viris ea tribueretur. At Ciceroni displicet, lib. II de Legg. cap. 24, laudatio mulierum, quum legem tantum de viris hanc sanciat: « honoratorum, inquit, virorum laudes in concione memorantur ». Quamquam Plutarchus jam inde usque a Camilli ætate honestis matronis eam dicit fuisse tributam, ob collatum ornamentorum suorum aurum in Apollinis crateram: quum Livius tamen scribat, tantum eis concessum, ut sacrorum et ludorum causa pilentis carpentisque uterentur. Paullo post Popiliam, idem honos est tributus Juniæ, quæ ex Brutorum erat familia. Ducebantur autem in forum funera laudationis causa: quod quomodo fieret, ex Polybio subjicere placet: Ὅταν γὰρ μεταλλάξῃ τις παρ' αὐτοῖς τῶν ἐπιφανῶν ἀνδρῶν, etc. i. e. « Quum apud eos illustris vir aliquis ex hac migravit vita, in funere cum reliquo ornatu in forum fertur, ad Rostra quæ vocantur, interdum stans ante omnium oculos, raro recubans, circumfusa autem populi corona, in Rostra ascendit filius, si quem puberem reliquerit, qui forte adsit: sin minus, propinquus aliquis, et de mortui virtutibus dicit, rebusque quas is prospere gesserit. Eo deinde sepulto, justisque factis, mortui imaginem in illustrissimo domus loco ponunt, in cellula lignea conditam. Imago autem persona est ad similitudinem egregie expressa, et forma, et lineamentis. Has imagines et in publicis feriis aperiunt, ornantque magnifice: et quum ex familia clarus aliquis moritur, in funus producunt ». Turnebus.

9. *Duci vides? quid majoribus tuis?* Schützius dat: *duci vides, majoribus tuis? — Quid te facere?* Cod. noster 7703, *agere.* J. V. L.

libidines totum dissipaverunt. An juri civili? est paternum; sed dicet, te, quum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium tibi paternum[10] recepisse. An rei militari? qui numquam castra videris. An eloquentiæ? quæ nulla est in te; et, quidquid est vocis ac linguæ, omne in istum turpissimum calumniæ quæstum contulisti. Tu lucem adspicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines[11] ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti ».

LVI. Sed hæc tragica atque divina : faceta autem et urbana innumerabilia ex una contentione[1] meministis. Nec enim concio major umquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam hujus contra collegam[2] in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior.

(LVI.) Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, et multum facetias in dicendo prodesse sæpe, et eas arte nullo modo posse tradi. Illud quidem admiror[3], te

10. *Solium tibi paternum*. In excipiendis rutis et cæsis, quæ in mancipatione prædiorum excipi solent, non retinuisse sellam patris, in qua ille jus respondere solebat. Hic enim *recipere* est excipere. Cicero, lib. I de Legg. cap. 3 : « Præsertim quum non recusarem, quominus more patrio sedens in solio, consulentibus responderem ». Ita qui solium vendiderit, jus non respondebit. Turneb.

11. *Imagines ipsas*. *Istas* reposui pro *ipsas*. Nam in *ipsas* esset gradatio, quæ nulla hic esse potest. Sch.

LVI. 1. *Ex una contentione*. Sic cum Pearcio rescripsi pro *concione* : nec enim illa *concio* fuit, sed *oratio*, ut post appellatur, in judicio. Vitium ortum est ex eo, quod mox sequitur verbum *concionis*, sive ex compendio scribendi. *Contentio* est quæ alias dicitur altercatio. *Contentione* præter MSS Pearcii habet etiam MS E. et ed. W. Ac verçor ne etiam mox Cicero *contentio* scripserit. Est enim tautologia, si concio verum est; quod nihil differt ab oratione apud populum. Ernest. — Schützius dat *ex una concione*, et infra, *nec enim contentio major*.

2. *Contra collegam*. Crassi contra Domitium, in nobili censura, de qua ap. Ciceronem et alios sæpe commemoratur. Vid. Clav. in Domitio. Ern. — Vid. Brut. cap. 44.

3. *Illud quidem admiror*. De-

nobis in eo genere tribuisse tantum, et non hujus rei quoque palmam, ut ceterarum, Crasso detulisse.

— Tum Antonius, Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paullum inviderem : nam esse quamvis [4] facetum atque salsum, non nimis est per se ipsum invidendum; sed, quum omnium sis [5] venustissimus et urbanissimus, omnium gravissimum et severissimum et esse, et videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur.

Hic quum arrisisset ipse Crassus [6], Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum, Juli, negares, aperuisti quiddam, quod præcipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid jocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet. Sed hoc præceptum prætermittendum est facetiarum [7], quum his nihil opus sit; nos autem quomodo utamur, quum opus sit, quærimus : ut in adversarium, et maxime [8], si ejus stultitia poterit agitari, in testem stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur. Omnino probabiliora sunt, quæ lacessiti dicimus, quam quæ priores : nam et ingenii

levimus *et* cum Pearcio, auctoribus MS E. edd. W. et aliis. Ernest.

4. *Quamvis facetum.* Male pro *quamvis* recepit Pearcius *quemvis* ex edd. quibusdam, quod hoc loco sensum nullum habet. Ed. W. habet *quamvis*, item MS E. 1, *quantumvis*. Ernest.

5. *Sis.* Et male dedit Pearcius *sit* pro *sis:* loquitur enim de genere ut ante. Ceterum *sit* est jam in quibusdam edd. et scr. etiam Erl. Ernest. — Atqui respondet Ernestio Schützius, qui Pearcium sequutus est, idem afficitur lectione *sit*, quia in verbis « nam esse quamvis facetum » subintelligitur *aliquem*.

6. *Ipse Crassus.* Schützius delet *ipse* cum Gu. 2, 3.

7. *Prætermittendum est facetiarum.* Schützius dat : « prætermittendarum est facetiarum ». Ita, inquit, necessario legendum est; quod vidit J. M. Heinsius et Heusingerus. Et sine hac correctione quis sensus sit non videmus.

8. *Et maxime.* Non placet *et*, quod in hac forma non solet addi. Sic mox c. 58 : « admirantur omnes acumen ... maxime respondentis ». Ernest.

celeritas major est, quæ apparet in respondendo, et humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti, ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo objectum, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur.

LVII. (LVIII.) — Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur, Cæsarem, qui quamquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat[1], non explicare nobis totum genus hoc jocandi, quale sit, et unde ducatur; præsertim quum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse[2] fateatur? — Quid si, inquit Julius, assentior Antonio dicenti, nullam esse artem salis? Hic quum Sulpicius reticuisset: — Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius jamdiu loquitur[3], ars ulla sit: observatio quædam est, ut ipse dixit, earum rerum, quæ in dicendo valent; quæ si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens? Quis enim hæc non vel facile, vel certe aliquo modo posset ediscere? Sed ego in his præceptis hanc vim et hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quæ natura, quæ

LVII. 1. *Elaborat.* MS Erl. ed. W. *laborat.* Crediderim Ciceronem scripsisse *elaboravit.* ERNEST. — Mox dedimus « explicare nobis totum » pro « expl. totum nobis » e MSS pluribus, etiam Erl. et edd. pr. sed etiam *tamen* est alieno loco, videturque Cicero dedisse *et multo elaborat*, vel *elaboravit*, *tamen n. e.* etc. ERNEST.

2. *Esse fateatur.* Pro *fateamur* dedimus cum Pearcio. Qui nobis *fateamur* dedere, retulere ad *patiemur*, non recte. *Fateatur* MSS tres Pearc. et Erl. ERNEST.

3. *Jamdiu loquitur.* Pro vulgato *tamdiu* e MSS apud Grut. et Erl. *tamdiu* foret reprehendentis. *Jamdiu* honeste dicitur. Mox *facere posset*, pro *facere possit*, ex edd. pr. præter W. et analogia id desiderat. Item infra *non vel* ex iisdem, pro *vel non*. ERNEST.

studio, quæ exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus, aut prava intelligamus, quum, quo referenda sint, didicerimus. Quare, Cæsar, ego quoque a te hoc peto, ut, si tibi videtur, disputes de hoc toto jocandi genere, quid sentias, ne qua forte dicendi pars, quoniam ita voluistis, in hoc tali cœtu, atque in tam accurato sermone præterita esse videatur. — Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva[4], Crasse, exigis, non committam, ut, si defugerim, tibi causam aliquam dem recusandi : quamquam soleo sæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum, spectante Roscio[5] : quis enim sese commovere potest, cujus ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum[6] loquar de facetiis, et docebo sus (ut aiunt[7]) oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset, « fœnum[8] alios aiebat esse oportere ». — Tum ille, Jocabatur, inquit, Catulus, præsertim quum ita dicat ipse, ut ambrosia

4. *Collectam a conviva.* Collectam exprimit græcum ἔρανος. Itaque non opus conjicere *convivis*, quod propria collecta fit a pluribus. Nam ἔρανος a singulis petitur. ERNEST. — *Collectam.* Græci συμβολὴν appellant, id quod confertur in cœnam a convivis; quo verbo Plautus utitur, quum scribit jocans : « Paratæ sunt scapulis meis symbolæ ». Sic collativum prandium dicunt Latini, quod Græci ἔρανον : et collativum ventrem eleganti translatione dixit Plautus. Vocant etiam Græci ἔρανος et συμβολὴν, pecuniam quæ exigitur a convivis. Proinde in Terentio, Andr. I, 1, 61 : « Quid Pamphilus? cœnavit, symbolam dedit », legendum censeo non ut vulgo *symbolum*. Collectrix etiam apud Plautum est, quæ religionis causa stipem colligit : « Præcantrici, collectrici, ariolæ atque haruspicæ ». TURNEBUS.

5. *Spectante Roscio.* Duo Pall. et totidem Gallicani *inspectante.* GRUT.

6. *Crasso audiente, primum loquar.* Schützius conjicit : Crasso aud. *potissimum*, vel *præsertim*, *loquar.*

7. *Et docebo sus (ut aiunt) orat.* Schützius dat : « et docebo sus, ut aiunt, Minervam, orat. » Jam, inquit, etsi me non fugit proverbia interdum non plane enuntiari, h. l. tamen ineptum esset supprimere vocabulum *Minervam*, quia verba sic sonarent, ac si proverbium fuisset *sus oratorem.* Confer Cic. Acad. I, 5.

8. *Fœnum.* Significavit alios videri Crasso comparatos pecudes esse, proinde fœno pascendos : Crassum autem divinum plane hominem, ut ambrosia pascendus sit, qui cibus est deorum. TURN. — *Esse.* H. e. *comesse.*

alendus esse videatur. Verum te, Cæsar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus[9]. — Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit; sed tamen defessus jam labore atque itinere disputationis[10] meæ, requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio[11].

LVIII. — Atqui, inquit Julius, non nimis liberale hospitium meum dices : nam te in viam, simul ac perpaullum gustaris[1], extrudam et ejiciam. (LVIII.) Ac, ne diutius vos demorer, de omni isto genere, quid sentiam, perbreviter exponam. De risu quinque sunt, quæ quærantur : unum, quid sit; alterum, unde sit; tertium, sitne oratoris, velle risum movere; quartum, quatenus; quintum, quæ sint genera ridiculi.

Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus[2], et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus[3] : neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet; et, si pertineret, nescire me

9. *Ut ad Antonii reliqua redeamus.* Codd. nostri 7702, 7703, « ut Antonii reliqua videamus ». J. V. L.

10. *Disputationis meæ.* Habent *meæ* multi codd. nostri, quorum auctoritate addimus. Vulgo abest. J. V. L.

11. *Deversorio.* Lallem. *diversorio.*

LVIII. 1. *Gustaris.* Gustus quum alia significat, tum interdum id quod venditores gustandi et explorandi causa dant emptoribus vini, quod γεῦμα dicitur a Græcis : ut quum quid ostenditur, specimen a Latinis, a Græcis δεῖγμα vocatur : a quo per translationem dixit Seneca, « dedit enim nobis gustum, ad quem respondebit ». A qua etiam translatione illud Ciceronis profectum est : « Et degustabit genus exercitationum mearum ». Significat enim paradoxa gustum Bruto fore, earum exercitationum quibus uti solet. Est et gustus interdum primus prandii missus. Martialis, XI, 32, 4 : « Gustu protinus has edes in ipso, Has primas feret, alterave cœna ». Sed et gustare multo minus est, quam vel jentare, vel prandere; quo sane hic modo intelligendum est. Turn.

2. *Ut eum cupientes tenere, nequeamus.* Guelf. 1, « ut vix eum cupientes teneamus ». Sch.

3. *Viderit Democritus.* Lepidus dat hoc negotii Democrito, quia semper risisse traditur. Ern.

tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur.

Locus autem, et regio quasi ridiculi[4] (nam id proxime quæritur) turpitudine et deformitate quadam continetur : hæc enim ridentur vel sola, vel maxime, quæ notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.

Est autem, ut ad illud tertium veniam, est plane oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benivolentiam conciliat ei, per quem excitata est; vel quod admirantur omnes acumen, uno sæpe in verbo positum, maxime respondentis, nonnumquam etiam lacessentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipsum oratorem politum esse hominem significat, quod eruditum, quod urbanum, maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat, odiosasque res sæpe, quas argumentis dilui non facile est, joco risuque dissolvit.

Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est, id quod in quarto loco quærendi posueramus. Nam nec insignis improbitas, et scelere juncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur : facinorosos enim[5] majore quadam vi, quam ridiculi, vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi si se forte jactant. Parcendum est autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur.

4. *Regio quasi ridiculi.* Non necessario *quasi* suo verbo præponitur. Interdum distrahitur ab eo, ut c. 83, « quasi oratori scena »; c. 84, « quasi a. pr. a nostris secreveram ». Ergo et postponi potest. Or. III, 16 : « Hinc discidium illud exstitit quasi linguæ atque cordis ». Nam *quasi* pertinet ad *discidium*. Non ergo necesse est cum Pearcio corrigere « quasi regio ». Est tamen sic in MS E. Ern.

5. *Facinorosos enim majore quadam vi.* Addidimus *enim* e MSS nostris. J. V. L.

LIX. Hæc igitur adhibenda est primum in jocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quæ neque odio magno, neque misericordia [1] maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis vitiis, quæ sunt in vita hominum neque carorum, neque calamitosorum, neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur : eaque belle agitata ridentur. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad jocandum; sed quærimus idem, quod in ceteris rebus maxime quærendum est, quatenus. In quo non modo illud præcipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis : vitandum est oratori utrumque [2], ne aut scurrilis jocus sit, aut mimicus. Quæ cujusmodi sint, facilius jam intelligemus, quum ad ipsa ridiculorum genera venerimus.

(LIX.) Duo enim sunt genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. Re, si quando quid, tamquam aliqua fabella, narratur, ut olim tu, Crasse, in Memmium, « comedisse eum lacertum Largii », quum esset cum eo Tarracinæ de amicula rixatus : salsa, attamen a te ipso ficta tota narratio [3]. Addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse literas, tria LLL, duo MM [4]; quum quæreres, id quid esset, senem tibi quemdam oppidanum dixisse, « Lacerat lacertum [5] Largii mordax

LIX. 1. *Neque misericordia.* Lall. « nec misericordia ».

2. *Vitandum est oratori utrumque.* Hæc, inquit Schützius, ut veritatem sententiæ vel corrumpentia, vel certe obscurantia ejeci ut spuria.

3. *Tota narratio.* Sic edd. pr. et MS E. recte. Vulgo *oratio.* Ens.

4. *Tria LLL, duo MM.* Schützius dat : *LLLMM.*

5. *Lacerat lacertum L. m. M.* Hunc versum Crassus orator usque adeo vulgo jactatum ait, ut Tarracinæ passim in omnibus parietibus inscriptus viseretur. Fabula, unde natum est adagium, sic habet : Memmius quidam Romanus quum ageret Tarracinæ, mulierculam quamdam deperibat, sed non citra rivalem. Cum hoc igitur quum aliquando rixa incidisset, eo iracundiæ provectus est Memmius, ut Largii (nam id rivali nomen) bra-

Memmius». Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas vere, quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis adspergendum, sive fingas. Est autem hæc hujus generis virtus, ut ita facta demonstres, ut mores ejus, de quo narres, ut sermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa fierique videantur. In re est item ridiculum, quod ex quadam depravata imitatione sumi solet, ut idem Crassus, « per tuam nobilitatem, per vestram familiam ». Quid aliud fuit, in quo concio rideret, nisi illa vultus et vocis imitatio? « Per tuas statuas » vero quum dixit, et extento brachio paullulum etiam de gestu addidit[6], vehementius risimus. Ex hoc genere est illa Rosciana imitatio senis : « Tibi ego, Antipho[7], has sero », inquit. Senium est, quum audio. Atque ita est totum hoc ipso genere ridiculum, ut cautissime tractandum

chium mordicus arriperet. Ea res posteaquam in popularem abiit jocum, faceti quidam et φιλόγιλοι senarium hunc in omnibus ejus parietibus quinque literis notarunt, depictis tribus *LLL* et duobus *MM*, videlicet ut advenis percontandi ministrarent occasionem. Itaque quum Crassus Tarracinam aliquando venisset, admiratus novum literarum ænigma, senem quemdam oppidanum percontatus est, quidnam sibi vellent ejusmodi literæ. Atque is, exposita fabula, versiculum explicuit : « Lacerat lacertum Largii mordax Memmius ». Tametsi Cæsar, qui hæc loquitur apud Ciceronem, existimat narrationem hanc totam in Memmium adversarium dedita opera confictam fuisse. Erasmus, Adag. Chil. I, Cent. IX.—Pro *Largii* Schützius scribit *Largi* cum Goelf. 2, 3.

6. *De gestu addidit*. De gestu adversarii, quem imitabatur cum depravatione.

7. *Tibi ego, Antipho*. Videntur hæc verba fuisse senis cujusdam arbores serentis, filioque suo dicentis, se non tamdiu victurum esse, ut eas arbores maturitatem suam assequutas videat : juvenem illum, et vigentem olim ex illis fructum percepturum. Tum, quum addit : « Senium est, quum audio », hoc vult : Ita perfecta est ista Rosciana senis tussientis, et fracta voce ac tremula utentis imitatio, ut non histrionem imitantem senem, sed senectutem ipsam videar audire. Pearcius.—Immo, inquit Ernestius, exposita Pearcii opinione, in hoc « sen. est qu. aud. » est aliud exemplum imitationis. — Nos vero Pearcio assentimur, nec quid velit Ern. intelligere fatemur.

sit. Mimorum[8] est enim ethologorum, si nimia est imitatio, sicut obscœnitas[9]. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat[10], cogitet plura, quam videat; præstet idem ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine et rerum obscœnitate vitanda[11].

LX. Ergo hæc duo genera sunt ejus ridiculi, quod in re positum est : quæ sunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus describuntur hominum mores, et ita effinguntur, ut aut, re narrata aliqua, quales sint[1], intelligantur; aut, imitatione brevi[2] injecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur.

(LX.) In dicto autem ridiculum est id, quod verbi, aut sententiæ quodam acumine movetur. Sed ut in illo superiore genere vel narrationis, vel imitationis, vitanda est mimorum ethologorum similitudo; sic in hoc, scurrilis oratori dicacitas[3] magnopere fugienda

8. *Mimorum*. Sic eos appellat, qui mores et affectus personarum exprimunt : nec mimos tantum dixit, sed *ethologos* addidit, ne ambigue loqueretur, ac fabula significari videretur, quam Mimum Græci, Latini Planipedem vocant, quales erant Mimi Publii et Laberii. Quamquam Cicero pro Cœlio mimum hujusmodi, fabulam, id est, comœdiam appellare non vult. « Mimi ergo, inquit, est jam exitus, non fabulæ ». Pantomimorum hic non meminit. Exorti enim postea sunt imperante Augusto : erantque saltatores, qui gestu historias et fabulas ita exprimebant, ut sub oculos subjicerent, ad quam saltationem respexit Horatius, quum dixit : « Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat »; et Juvenalis, sat. VI, 63 : « Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo ». Turn.

9. *Si nimia est imitatio, sicut obscœnitas*. Videtur oratio hiulca. Quæ tamen verba desiderentur, non facile dixerim. Vellem ita legi : « si nimia est imitatio. Si erit obscœnitas, orator, etc. » Muretus.

10. *Qui audiat*. Ed. W. « qui audiet », item MS E. Ern.

11. *Verborum turpitudine et rerum obscœnitate vitanda*. Schutzius dat : « rerum turpitudine et verborum obscœnitate vitanda ». Sic, inquit, transponenda esse verba recte vidit Wyttenbachius, Bibl. crit. vol. II, part. IV, p. 76.

LX. 1. *Quales sint*, pro vulgato *sunt*, quod est contra latinitatem. Ern.

2. *Brevi*. Lamb. *breviter*.

3. *Scurrilis oratori dicacitas*. Pearcius dedit *scurrili*, intellecto genere, non bene : non de genere scurrili sermo est; nam id est omnino vitandum, ut Cicero dixit. Ern.

est. Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a ceteris familiarem vestrum[4], Granium[5], aut Vargulam, amicum meum? non mehercule in mentem mihi quidem venit : sunt enim dicaces; Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne, quotiescumque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere. Pusillus testis processit. «Licet, inquit, rogare, Philippus?» Tum quæsitor properans, «Modo breviter». Hic ille, «Non accusabis; perpusillum rogabo». Ridicule. Sed sedebat judex L. Aurifex, brevior etiam, quam testis ipse[6] : omnis est risus in judicem conversus; visum est totum scurrile judicium[7]. Ergo hæc, quæ cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. Ut iste, qui se vult dicacem, et mehercule est, Appius, sed nonnumquam in hoc vitium scurrile[8] delabitur. «Cœnabo, inquit, apud te», huic lusco familiari meo, C. Sextio; «uni enim locum esse video[9]». Est hoc scurrile, et quod sine causa lacessivit; et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret. Ea, quia meditata putantur esse,

4. *Vestrum*. Lamb. *nostrum*.

5. *Granium*. Præconem, cujus multa dicta versibus complexus erat Lucilius. «Conjicere in versus dictum præconis volebam Grani», apud Gellium, IV, 17. Vide orat. pro Plancio, c. 14. Turn.

6. *Brevior etiam, quam testis ipse*. Sic dedi ex ed. s. l. et a. Lips. ed. W. «brevior ipse, quam testis». Vulgo, «quam ipse testis». MS E. non habet *ipse*. Ern. — Schütz. dedit «brevior ipse, quam testis» cum Guelf. 1.

7. *Visum est totum scurrile judicium*. *Judicium* quomodo *scurrile* dici potest? Immo dictum scurrile visum est. Pearcius dedit «scurrile ridiculum» : id sapit correctorem. Adscriptum erat ab aliquo in margine : *judicium* sc. auctoris de illo dicto, quales notæ centies in MSS marginibus reperiuntur. Itaque uncis inclusi. Ern. — Schützius cum Pearcio et Lallem. dedit *ridiculum*.

8. *Vitium scurrile*. Schützius delet *scurrile*.

9. *Uni enim locum esse video*. Jocus est sumptus ex communi illorum temporum consuetudine loquendi, qua aliquot convivis vocatis, ei quem præterea invitatum vellent, locum superesse dicebant. Plautus in Sticho «ædepol tibi etiam, opinor, uni locum conspicor, ubi accubes». Id scurriliter ad vitium oculi convertit Appius. Turn.

minus ridentur. Illud egregium Sextii, et ex tempore, « Manus lava [10], inquit, et cœna ».

Temporis igitur ratio, et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia, et raritas dictorum, distinguet oratorem a scurra; et, quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi [11] totum diem, et sine causa. Quid enim est Vargula assequutus, quum eum candidatus A. Sempronius cum M. suo fratre [12], complexus esset : « Puer, abige muscas [13] ? » Risum quæsivit, qui est, mea sententia, vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi prudentia et gravitate moderabimur : quarum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

LXI. (LXI.) Nunc exponamus genera ipsa summatim, quæ risum maxime moveant. Hæc igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re [1] haberi, alias in verbo; facetiis autem maxime homines dele-

10. *Manus lava*. Appius irridens C. Sextium, qui altero oculo captus erat, ait, « Cœnabo apud te; est enim uni locus » : ita carpebat hominis vitium, cujus in vultu erat locus uni oculo; quasi in ejus triclinio et convivio uni fuisset homini locus vacuus. Respondit Sextius subtili ac subito joco : « Cœnabis enim vero apud me, sed prius manus lava », quo dicto hominis impuritatem notabat. Proust.—Exprobrabat facetissime sordes avaritiæ e pecuniis captis. Ern.

11. *Illi*. Schutzius : *id illi*.

12. *Cum M. suo fratre*. *Suo* delendum puto. Sc. Auli, qui comitabatur fratrem petentem magistratum, de more. Ern.

13. *Puer, abige muscas ?* Propinqui et amici, qui gratiosi erant aut clari, deducere solebant candidatos, qui prensatum ibant, ut petitio et gratiam et auctoritatem majorem haberet. Igitur quum A. Sempronius Longus cum fratre Vargulam esset complexus, Vargula scurriliter lusit, jubens abigi muscas. Turneb. — Dicit J. V. L. a nemine hoc dictum intellectum fuisse, cujus sensus patet, si scias in T. Livio, lib. XLV, cap. 13, reperiri quemdam T. Sempronium Muscam.

LXI. 1. *Id alias in re haberi*, etc. Locum hunc correximus ex edd. pr. Vulgatum « habere. . . facetias : maxime etiam, etc. » est ab Aldo. Error ortus est ex eo, quod in ed. W. et a. l. et a. *autem* transpositum erat, *maxime autem*, quod correxit bene edit. Mediol. Sic est etiam in MS E. Ern. —Schütz. dedit : « alias in verbo : maxime autem homines del. »

ctari, si quando risus conjuncte, re verboque, moveatur. Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis[2] fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, jocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur : velut in iisdem verbis et laudare frugi servum possumus, et, si est nequam, jocari. Ridiculum est illud Neronianum[3] vetus in furace servo, « Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum » : quod idem in bono servo dici solet; sed hoc iisdem etiam verbis. Ex iisdem autem locis omnia nascuntur[4]. Nam quod Sp. Carvilio[5] graviter claudicanti ex vulnere ob rempublicam accepto, et ob eam causam verecundanti in publicum prodire, mater dixit, « Quin prodis, mi Spuri? quotiescumque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem[6] » : præclarum et grave est. Quod Calvino[7] Glaucia claudicanti, « Ubi

2. *Ex iisdem locis fere*. *Locis* delendum puto : quod e glossa natum est. Deberet saltem esse « ex iisdem fere locis ». Ern.

3. *Neronianum*. Illius, ut reor, Neronis, qui res adversus Hannibalem gessit; estque exemplum hoc, ut pleraque ejus loci prisca, sumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. Dictum autem hoc et de forece accipi potest, qui omnia resignet et recludat : et de servo frugi, cujus fidei omnis herus committat, cui nihil annulo obsignet, cui nihil claudat sera. In quodam libro scripto legitur *Nævianum*, ut a Nævio poeta sumptum, quod fortasse verius. Turn.

4. *Omnia nascuntur*. *Omnia* delendum puto, quod in MS E. est post *nascuntur*. Nam de genere universo ante dixit. Hoc pertinet tantum ad exemplum propositum : nempe, et quod in laudem dicitur, et quod ad contumeliam, ex eodem fonte ducitur. Sic paullo post, in exemplo proximo, simile quid adjungit. Et debent sic conjungi : « iis etiam verbis : ex iisdem a. l. nascuntur ». Ern. — Schutzius pro *omnia* edidit *alia*. — *Omnia*. Iot. et gravia et ridicula.

5. *Sp. Carvilio*. Puto hunc esse qui primus apud Romanos uxorem dimisit. Vir fuit illustris, qui ex equestri loco natus ad summam pervenit dignitatem, ut Paterculus scribit. Consul autem fuit cum Fabio Maximo. Auctor Cicero de Senectute. Turn.

6, *Veniat in mentem*. Sic in Apophtheg. Laced. apud Plutarch. mater ad filium : Τέκνον, κατὰ βῆμα τῆς ἀρετῆς μέμνησο.

7. *Calvino*. C. Sextius Calvinus, ut

est vetus illud? num claudicas? at hic[8] clodicat»: ridiculum est[9]. Et utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. «Quid hoc Nævio[10] ignavius?» severe Scipio. At in male olentem, «Video me a te circumveniri[11]», subridicule

ait Cicero in Bruto, ingenio et sermone eleganti, sed valitudine incommoda fuit, etsi quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis. Is igitur ex podagra plerumque claudicabat. TURN.

8. *Num claudicas? at hic clodicat.* Peareius *claudicat;* sic et Stephanus et Lamb. ex ingenio; sed illud habent MSS fere omnes.—Sunt qui scribant: «at hic clodicat»; et sic interpretantur: Calvinus etsi claudicat pede, non tamen tam claudicat, quam clodicat, id est, Clodio favet. Istorum sententiæ non habeo fidem, quia Cicero confert exempla duo, quæ non sic sunt ex immutatione literæ, ut ea quæ sequuntur. Præterea immutant codices sine ratione. Ad hæc, quando fingitur Cæsar hæc tractavisse, quumque vixit Glaucia homo impurus, ut ait Cicero in orat. pro Rabirio Posthumo, nullus erat Clodius, cui deforme esset favere. Nondum ceperat rempublicam P. Clodius, quem Milo interemit. Ego igitur sic interpretor: Glaucia impurus homo quum videret Calvinum pede claudicantem, recordatus est antiqui proverbii, quo Veteres utebantur in hominem errantem, vel dubiæ fidei. Quærebant enim *Num claudicat?* hoc est, constatne sibi, an potius errat, aut variat? Ex translatione verbi et ambiguitate objecit homini mentis errorem, vel dubiam fidem. STRAB.

9. *Ridiculum est.* Delevi *hoc:* manifeste sibi respondent, hinc præclarum et grave est; illinc ridiculum est.

10. *Nævio.* Dictum est Africani, ut opinor, superioris in Nævium, a quo fuerat accusatus, quod præda bello Antiochi capta ærarium fraudasset: alii tamen a Petilio accusatum fuisse scribunt. Locus annominationem habet. Nominatur a Livio oratio P. Africani in M. Nævium, in qua, ut opinor, hoc dixerat. TURN.

11. *Video me a te circumveniri.* Expressi quod erat in Pall. septem et editione prima: nam pr. et sec. hic deficiebant; uti etiam Gallicani quos consulere solebat Gulielmius. Postea vulgati addidere de suo: «non conveniri, sed circumveniri», quod tamen neutiquam admisit Victorius. GAUT. — Cæsar dicit hæc duo Scipionis et Philippi dicta verbi ad literam immutati similitudine contineri. In joco Scipionis verba *Nævius* et *ignavius* idem prope sonant, eædemque fere sunt verborum literæ. In hoc vero Philippi, cui verbo simile est verbum *circumveniri?* Prorsus nescio: jocus igitur non erit, nisi cum vulgatis nonnullis editionibus et cum Lambino et Steph. legamus «Video me a te non conveniri, sed circumveniri». Memento, lector, hoc in male olentem quemdam dictum esse. Sensus autem est: Quum gravis est tibi halitus, quoties mihi occurris, non videris mihi convenire, sed insidias mihi parare, et mali aliquid mihi inferre velle. PEARC. — Ernest. negat his correctionibus opus esse. Potest, inquit, intelligi, onde fit acutius etiam. Pro eo quod debebat dicere, «Video me a te

Philippus. At utrumque genus continet verbi ad literam immutati similitudo.

Ex ambiguo dicta, vel argutissima putantur, sed non semper in joco, sæpe etiam in gravitate versantur. Africano illi majori, coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea sæpius rumperetur, P. Licinius Varus, « Noli mirari, inquit, si non convenit; caput enim magnum est[12] » : laudabile, et honestum. At ex eodem genere est, « Calvus satis est[13], quod dicit parum ». Ne multa : nullum genus est joci, quo non ex eodem severa et gravia sumantur.

Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam Sannio[14] est? Sed ore, vultu, imitandis mori-

cooveniri », dixit *circumveniri*, quod est ridiculum παρὰ προσδοκίαν. Sch. dicit in verbo *circumveniri* allusum esse ad *hircum veniri*, prima mutata litera, quod refert, et videtur interpr. gallicus amplecti.

12. *Caput enim magnum est.* Ambiguom est : nam significatur et magnitudo partis, et amplitudo hominis. Publius aotem iste Licinius Varus bello secundo Punico ædilis cum Venturio fuit, ut Livius scribit. Postea etiam prætoram eodem bello adeptus est, io qua tulit ad populum, ut ludi Apollinares io statum diem in perpetuum vovereotur. Turn.

13. *Calvus satis est.* Hic *Calvum* oomen esse proprium non censeam, sed appellativum. Jocus ex eo est, vel quod Veteres calvos fallaces censebant, vel qood calvi miml, ot Nonius ait, omoibus erant frustratui : oode *calvor*, quod est frustror, decipio. « Satis est » igitur « quod dicit parum » est ambiguum. Id est enim quod parum loqoitur, vel quod parum orator est. Nam « dicere parum » pro « oratorem non esse » dicere solebant. Cicero in Bruto : « Nam T. Aufidius, qui vixit ad sommam senectutem, volebat similis esse horum, eratque et bonus vir et innocens, sed dicebat parum ». Qui de Licinio Calvo oratore et poeta intelligunt, peccant ignoratione temporis. Si quis tameo, Calvum, nomen proprium, quod verum non puto, censeat, eamdem servare poterit ambiguitatem. Satis est quod parum loquatur, et parum sit eloquens, ne nos fallat verbis, homo præsertim ineptus et molestus. Turn.

14. *Sannio.* Saona, inquit vetus Persii ioterpres, dicitur os distortum cum vultu : qood facimus quum alios irridemus : unde *Sanniones* dicti sunt, quod non rectum vultum habent. Hic tamen doctissimus Budæus animadvertit mimurum quoddam genus significari. Verum, ut reor, Sanna et Sannio ab homine stolto et Inepto Sanna originem sumpsere; qui tam fatuus fuit, ut Cratinus comicus Sannam pro stulto osurpaverit, quemadmodum relatum est ab Eustathio : quo etiam an-

bus, voce, denique ipso corpore ridetur[15]. Salsum hunc possum dicere [16], atque ita, non ut ejusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.

LXII. (LXII.) Quare primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum [1] : morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum; naturæ ridentur ipsæ : quas personas agitare solemus, non sustinere. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum[2], sed nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim; aliter enim minime est liberale [3]. Tertium, oris depravatio, non digna nobis. Quartum, obscœnitas, non solum non foro digna, sed vix convivio

etore deduci potest utrumque a Sannis populis Asiæ, quos consuetudo Græcorum erat ejus ætate Tzanos vocare, qui moribus erant barbaris et incultis, ac proinde insulsis et inscitis. Affert et aliam originem a verbo σαίνειν. Torn.

15. *Ipso corpore ridetur.* Sic edd. pr. item MS E. Aldus « corpore ridetur ipso », quod in oratione gravi efficacius foret. Sed id h. l. non agitur. Locus est mox : « naturæ ridentur ipsæ » : nam ibi est in reprehensione. Ern. — Guelf. 1, « corpore ridetur ipso ». Sch.

16. *Salsum hunc possum dicere, atque ita.* Edd. pr. et MS E. habent *possem :* malim *possim.* Mox scribendum puto *at ita*, pro *atque ita :* est enim quasi correctio, vel explicatio ac distinctio; ubi non dicitur *atque ita*, verum *at*, vel *sed ita*, hic dixit *at*, quia statim sequitur *sed.* Ern.

LXII. 1. *Primum genus hoc... non est nostrum : morosum*, etc. Hæc sunt Sannionum ridicula. Sustinent enim personas eorum, qui mores duros sequuntur et agrestes, qualis est Demea apud Terentium : qui nimia religione, et vano deorum metu laborant, cujusmodi fere sunt mulierculæ : qui nihil non suspicantur, ut senes : qui gloriam avide captant, ut Thraso Terentianus : qui stulti sunt, ut Phædria. Hujuscemodi personas non sustinebit orator, sed agitabit. Sustinere est agere et imitari : agitare vero, faceto aliquo dicto, aut lepida narratione perstringere. Strеb. — *Non est nostrum.* Scil. oratorum, de quibus hic dicimus. Interpunctio hic in vulgatis non bene habet. Ern. — *Morosum*, quod versatur in morosi persona imitanda, et sic de ceteris.

2. *Alterum genus est imitatione admodum ridiculum.* Schütz. dat : « alterum genus est imitatio; admodum ridiculum ». Emendationem hanc, inquit, sequentia membra facile confirmant. Agitur hic de imitatione depravata ejus quem vis deridere, quod genus gallice vocamus *parodie.*

3. *Aliter enim minime est liberale.* Sic bene Pearcius, nisi quod *enim* posset abesse. Sed vulgo *alterum est*, etc. male. Nam *alterum* jam ante positum est, et sequitur mox *tertium.* Ern. — Schütz. sequutus est.

liberorum[4]. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco[5], facetiæ reliquæ sunt, quæ aut in re, ut ante divisi, positæ videntur esse, aut in verbo. Nam quod, quibuscumque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

(LXIII.) Ambigua sunt in primis acuta, atque in verbo posita, non in re; sed non sæpe magnum risum movent; magis ut belle et literate dicta laudantur : ut in illum Titium[6], quem, quum studiose pila luderet, et idem signa sacra noctu frangere putaretur[7], gregalesque, quum in campum non venisset[8], requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum « brachium

4. *Convivio liberorum. Liberorum* delendum. Quorsum enim additur? An de convivio servorum in mentem cui venire potest? *Convivii dicta* nota sunt e Cicerone. Est gloss. ERN. — Non puto; magna est enim in conviviis licentia, ubi multi licet liberi servis digna faciunt.

5. *Loco.* Lamb. *joco;* sic Guelf. 3.

6. *Ut in illum Titium, quem.* « In illum Titium », int. dictum, nec necesse est cum Pearcio corrigere : « ut illud in Titium » : quamquam melius convenit sequenti, « ut illud Afric. » At post, *quem* necessarium est fieri e *qui;* quod non est, quo referatur. *Quem* refer ad *excusavit.* ERN.

7. *Et idem signa sacra... putaretur.* Primum *et* elegantius abest, et quod natum videtur ex ultima præcedentis. Deinde *sacra* delendum : quorsum enim additur? ERN.

8. *Quum in campum non venisset.* Sic edd. pr. recte, pro vulgato « eum ... non venisse », quod plane non coit cum textu orationis, estque ab Aldo. In meo Aldino etiam sic correxit manus docta. Decepit Aldum vitiosum illud *qui;* nisi quis malit *cur,* pro *eum*, ut est in MS Erl. sed præcedente *eum.* ERN. — In campo Martio juventus romana quum aliis ludis, tum pila se exercebat, cujus studiosus erat Titius. Frangere autem brachium ambigue dixit Vespa Terentius, vel suum, vel signi sacri. Apparet istum Titium quadam religionis opinione imbutum fuisse, qua simulacra damnabat, aut certe non satis pium fuisse, qui signa sacra frangeret. Vespa proprium nomen non est meo judicio, sed appellativum, significatque vespillonem. Pompeius : « Vespæ dicuntur, qui funerandis corporibus officium gerunt », non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt. Itaque, ut reor, hic dicitur *Vespa* Terentius, ut in Miloniana *Popa* Licinius, id est, sacrificulus. Si cui tamen Vespæ proprium nomen esse videatur, non vehementer contra pugnabo : tantum, quid sentiam, testificor. TURN.

fregisse » diceret ; ut illud Africani, quod est apud Lucilium :

Quid? Decius, Nuculam[9] an confixum vis facere? inquit.

Ut tuus amicus, Crasse, Granius, « non esse sextantis[10] ». Et, si quæritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellet[11] ; sed risus movent alia majores. Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime : ingeniosi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere ; sed admirationem magis, quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud genus ridiculi.

9. *Quid? Decius, Nuculam.* Africani dicterium, quidam interpretari voluerunt, et ad obscœnitatem turpitudinemque retulerunt. Satius esse duxerunt, effutire nugas aniles, quam se nescire quod nescirent, confiteri : quasi vero turpe sit ignorare, quod non culpa tua, sed temporum injuria ignores. Si Lucilii satyræ exstarent, non esset difficile rem videre, quam Cicero tamquam notam attigit, non explicavit. Perierunt vel casu, vel majorum negligentia. Quid facias? unde sumas notionem? divinabisne, et incerta pro certis habebis? Tantine tibi est versiculus maxime ridiculus, ut propter illum impudentiam atque temeritatem vendites? Non placet mihi temere augurari : et si placeret, non referrem ad obscœnitatem, quia nec obscœne loqueretur Africanus, nec obscœna inter faceta collocaret Cicero. Strab. — Explicat Janus Parrhasius in quæsitis per epistolam, numero quinquagesimo. Grut. — Hunc qualemcumque sensum, explosis aliorum turpiculis interpretationibus, elicimus : Quid? o Deci, inquit alius quispiam, an Nuculam hominem vis configere? configi autem aliquis et mucrone et sermone asperiori dicitur, in quo ambiguum posuit Africanus. Paust.

10. *Non esse sextantis.* Jocus est ex ambiguo. Dicitur enim non esse sextantis, quod pluris est, i. e. quod est magni pretii : et non esse sextantis etiam dicitur, quod minoris est, id est, quod nullius prope pretii. Nam non putem diduci et distrahi verbum debere, ut sex tantis dicatur, quo fere modo interpretantur. Sic illusit hominem nihili Granius, quum eum laudare videretur. Pretium enim in hominibus dicebant orta consuetudine ab emptione servorum. Turn.—Sextans est sexta pars assis. Res aliqua magni pretii esse dicebatur. Granius dixit illam non esse sextantis. Ambiguum est : si enim, ut vox unica, pronuntietur, significat vilissimum et minimum pretium ; si separate legatur *sex tantis*, sensus erit, id de quo agitur, non esse comparandum et æquiparandum sex aliis tantis, seu pluris valere, quam alia sex, tantæ seu æqualis magnitudinis et pretii, adeoque esse rem valde pretiosam. Paust.

11. *Hoc... excellet.* Sic restituimus ex edd. pr. quibus consentit MS

LXIII. Quæ genera percurram equidem. Sed scitis esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est etiam ambiguum, fit salsius : ut apud Nævium[1] videtur esse misericors ille, qui judicatum duci[2] videns, percunctatur ita, Quanti addictus[3]? « Mille nummum ». Si addidisset tantummodo, « Ducas licet »; esset illud genus ridiculi præter exspectationem : sed quia addidit, « Nihil addo, ducas licet »; addito ambiguo [4], altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimum [5]. Hoc tum est venustissimum, quum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo, ut a Catulo in [6] Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur. Sed quum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quædam subtilior; attendere et aucupari verba oportebit : in quo [7], ut ea, quæ sint frigidiora, vite-

E. *excellit* est ab Aldi correctione. Ernest.

LXIII. 1. *Ut apud Nævium*. Schutzius dat : « ut apud Novium ». Acutissime Schneiderus in epist. ad Langerum Wetzelianæ Bruti s. libri de claris oratoribus editioni præmissa perspexit, hoc loco *Novium* esse legendum, Atellanarum scriptorem, non, ut vulg. *Nævium*. Et sic II, 69 et 70. Sch.

2. *Judicatum duci*. Id est, condemnatum. Plaut. « Male cubandum est, judicatum me uxor abduxit domum »: et apud Gellium, æris confessi et debiti judicatis triginta dies sunt dati. Sententia est, qui damnatum pecunia duci videt a creditore. Turn.

3. *Quanti addictus?* Versus est trochaicus catalecticus. « Quanti addictus? Mille nummum. Nihil addo, ducas licet ». Ille qui rogabat, videbatur judicatum soluta summa aut promissa vindex liberaturus. Præter exspectationem igitur, *ducas licet*, creditori dixit, significans se illi nullam facere moram. Addidit etiam ambiguum, quum dixit, *Nihil addo*, quod est nihil præterea rogo. Tantum enim scire volebam, quanti esset addictus, nec peto, ut a prætore pluris addicatur mea causa. Nihil enim mihi debet, nec quidquam addo summæ. Turn.

4. *Addito ambiguo*. Nempe « nihil addo »: quod est ex auctionibus : non plus liceor : habe tibi mancipium. Ern.

5. *Salsissimum*. Sic sine hæsitatione correxi vulgatum *salsissimus*. Retulerunt librarii, ad illum qui apud Nævium dixit, male : respondent sibi clare hæc : « esset illud genus » et « fuit, u. m. q. v. salsissimum ». Ernest. — Cui Schützius assentitur.

6. *In Philippum*. Vide sup. c. 54.

7. *In quo*. Hoc est ab Aldo, qui ad

mus (etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur), permulta tamen acute dicemus.

(LXIV.) Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum, Græci vocant παρονομασίαν, ut Nobiliorem [8], « mobiliorem » Cato; aut, ut idem, quum cuidam dixisset, « Eamus deambulatum [9] », et ille, « Quid opus fuit de? » « Immo vero, inquit, quid opus fuit te? » aut ejusdem responsio illa, « Si tu [10] et adversus, et aversus [11] impudicus es ». Etiam interpretatio nominis habet acumen, quum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis vocetur; ut ego nuper, Nummium divisorem, ut Neoptolemum ad Trojam, sic illum in campo Martio [12] nomen invenisse. Atque hæc omnia verbo continentur.

totum retulit. Edd. pr. MS E. *in quibus*, quod ad verba refertur; id rectius puto: ad sensum tamen nil intereat. ERNEST.

8. *Nobiliorem*. Fulvium *Nobiliorem* (eum accusaverat Cato, eique ut probrum objecerat, quod poetas in provinciam duxisset) *Mobiliorem* Catu appellavit, ejus levitatem notans, quod maximum apud Romanos crimen erat, studiosos gravitatis et constantiæ. TURN. — Hic Fulvius ex Ætolis duxit triumphum anno U. C. 567.

9. *Deambulatum*. Reprehendebat, quod male esset latine loquutus, quum ambulatum dicere debuisset. Plerumque tamen composita idem quod simplicis significant, ut *deambulare* pro *ambulare* Cato dixerat latine. ERN.

10. *Si tu*. Vereor ut hoc integrum sit; nam non est hæc forma responsionis. ERN.

11. *Et adversus, et aversus*. Objicit obscœnitatem oris, quum *adversum* dicit, et muliebria, quum *aversum*: ne quis scortatorem aut adulterum cogitet, quos Latini non vocant impudicos. Nam impudicitia est in patiendo. Simile quiddam Arcesilæ refertur in hominem castum illum quidem et integrum, voce tamen infracta, et capillo composito, et oculis illecebrosis. Nihil interesse quibus membris homines cinædi sint posterioribus, an prioribus. TURN. — Nec te moveat obscœnitas indigna liberali joco. Non enim jocabatur Cato, quum diceret hæc. In verbis quæ cadunt jucunde, non in re, hoc dictum facetum est. STRED.

12. *Illum in campo Martio*. Romæ forum in campo Martio habebatur, ubi tabulæ nummulariorum erant, et ubi divisores nummum, seu pecuniam populo dividebant: a nummo igitur *Nummius* hic nomen suum traxisse jocose dicitur. PEARC. — Ex quo mores Romanorum corrupti fuerant: candidati populi suffragia publice emebant, qui, quum in campum Martium descenderent, secum adducebant quosdam qui pecuniam tribubus largirentur, quarum suffragia captabant. Ii *divisores*, sc. pecuniæ, appellaban-

LXIV. Sæpe etiam versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus, aut aliqua pars versus, ut Statius Scauro [1] stomachanti; ex quo sunt nonnulli, qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant:

> St, tacete, quid hoc clamoris? quibus nec mater, nec pater,
> Tanta confidentia estis [2]? auferte istam enim superbiam.

Nam in Cœlio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, quum ille a se pecuniam profectam diceret testis, et haberet filium delicatiorem, abeunte jam illo,

> Sentin' senem [3] esse tactum triginta minis?

tur. Et erant qui de pretio suffragiorum cum populo agerent, nomine *interpretes*, et quorum inter manus pretium conventum deponeretur, nomine *sequestres*. Inde dixit Juvenal. X, 77: « Ex quo suffragia nulli vendimus ».

LXIV. 1. *Ut Statius Scauro*. Ed. s. l. et a. Lips. habent *Seius*, quod prætulerim, intellexerimque illum Seium, cujus est apud Ciceronem de Off. II, 17, mentio. *Statium* quem intelligam, non habeo Ern. — Gellius, IV, 20: « Cæcilius quoque ille comœdiarum poeta inclytus, servus fuit et propterea nomen habuit *Statius* ». Is forte, aut potius alius ejusdem nominis libertinus, Scauro stomachanti paupertatem patris objecerat, qui, quamvis patricius et nobilis, carbonariam tamen exercuisset. Ex eo natam ferunt legem Liciniam et Mutiam, de regundis civibus, latam a Licinio Crasso et Q. Mucio Sævola, quæ bellum Italicum magna ex parte concitavit, quod qui vix liber esset et civis, aut ne civis quidem, tam superbe principem senatus appellasset. De qua lege vid. Cic. Off. III, 11; pro Balbo; 21, 24; pro C. Cornelio. Huic usurpationi non admodum dissimilis est παρῳδία, quum versum paullum immutamus, aut ad versus poetæ nobilis similitudinem versum condimus, ut ad imitationem versuum Homeri Hegemon Thrasius poema totum (unde parodus poeta appellatus est) et Matron apud Athenæum, lib. IV. Turn.

2. *Quibus nec mater, nec pater, Tanta confidentia estis?* Schützius dat « queis nec mater, nec pater Tanta confidentia? » Metri, inquit, trochaici causa dedi *queis*, simulque *estis* delevi. Potest intelligi *est* post *confidentia*.

3. *Sentin' senem*. Antonius orator censor factus de ambitu causam dixit, accusatus a M. Duronio. Cœlius, cujus filius erat intemperantior in libidines (eum enim hic delicatum vocat), pecuniam quamdam a se profectam dicebat, qua corrupta essent ab Antonio suffragia: dixit Antonius ab adolescente in meretriculas insumptam emuncto patre, ut in comœdiis adolescentes facere solent. *Tangere*

In hoc genus conjiciuntur proverbia[4] : ut illud Scipionis, quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur, « Agas asellum », et cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non possunt retinere eamdem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur.

Est etiam in verbo positum non insulsum genus, ex eo, quum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare : ex quo uno genere totus est TUTOR[5], mimus vetus, oppido ridiculus. Sed abeo a mimis; tantum genus hujus ridiculi insigni aliqua et nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud, quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num tibi[6] molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem[7] venisset : « Tu

enim hic fallere et circumvenire est. Plautus : « quia amare cœpit, tangere hominem vult bolo ». Sic ferire dicebant, ut Terentius : « ferietur alio munere Geta ». M. autem Antonius et L. Flaccus censores hunc Duronium postea senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam trib. plebis abrogaverat. TURN.

4. *Proverbia.* Proverbium est : « agas asellum, si bovem agere non queas », quod tum de Claudio asello, quocum gerebat inimicitias, usurpavit Scipio. Græce sic effertur : Εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνέ γ' οὖν ὄνον, quo monemur, ut si bubulci esse non possimus, nec queamus vel plaustrum vel aratrum agere, asinarii simus saltem. Significavit ab imperatoribus eum inopia meliorum ductum fuisse; nec tam ductum militem ab imperatore, quam asinum ab agasone actum esse. Nonnulli hic « Agaso asellum » legunt, eodem sensu, quod ab asinariis potius quam ab imperatoribus ductus sit; sed, nisi fallor, proverbium quod protuli, verissimum sensum aperit. TURN. — Alii putant plenum proverbium fuisse, « agas asellum, cursum non docebitur ».

5. *Tutor.* Titulus est fabulæ mimicæ. TURN.

6. *Num tibi molestus.* Quamquam sermo in interrogatione est, tamen apparet a Cicerone scriptum fuisse *Non ;* aliqui non esset locus joco : dicebantque *non* in interrogatione etiam, ut in negatione. Quod autem percontatur dixerat interrogando, quasi infitiando dictum accepit Crassus, verba, non sententiam sequutus. TURN. — Quomodo venit in libros *non*, quod manifeste falsum est, quum sit interrogatio, in qua necessaria est particula interrogandi ? Nempe, quia infra vitium irrepserat *negaras*, pro *negaram*, quod in uno MS repertum recte restituit Pearcius, estque etiam in MS E. Ipse vel sine MS restituissem. Nam Crassus negarat : « Tu vero molestus non eris ». *Num* habent edd. pr. omnes, et MS E. et alii Pearcii.

7. *Bene ante lucem.* *Bene* aliquando suspectum fuit. Sed videtur *mane*

vero, inquisti, molestus non eris ». — « Jubebis igitur te, inquit, suscitari? » Et tu, « Certe negaram te molestum futurum ». Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem[8], quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, præcoque dixisset, « Dic de L. Manlio[9] »; — « Virum bonum, inquit, egregiumque civem esse arbitror ». Ridicule etiam illud. L. Porcius Nasica censori Catoni[10], quum ille, « Ex tui animi sententia tu uxorem habes[11]? » — « Non hercule, inquit, ex mei animi sen-

excidisse : « bene mane ante lucem » : idem Gulielmiu in mentem venisse video; qui et *ante lucem* delet. Ern. — Quid si « bene mane », ut est, non et « bene ante lucem » dicetur?

8. *Scipionem.* Vir doctus quidam legi vellet *Cæpionem*. Signnius, de nom. rom. cap. 5, vulgatam defendit.

9. *De L. Manlio.* Comitiis centuriatis consules et prætores creabantur. Consul autem factus est L. Manlius Acidinus cum Q. Fulvio Flacco, anno U. C. 574. Quamquam alii etiam forte Acidini ante consulatum sunt adepti, de quibus jocus forte accipi possit. In comitiis autem rogatores dicebantur consules, qui comitia habebant : sed et illi qui in centuria aliqua suffragia rogabant et renuntiabant consuli comitia habenti interrogante præcone, ut tum Scipio Maluginensis in sua centuria fecit. Meminit etiam Livius M. Cornelii Maluginensis lib. IV, qui consul fuit cum L. Papirio Crasso, multis ante hujus ætatem sæculis, si de eo Manlio quem dixi jocum interpreteris. Ac voce tum suffragia, non tabella ferebantur, nondum latis legibus tabellariis. Rogatores autem renuntiatores centuriarum fuisse, docet Cicero de Divin. lib. II. Sed et consul renuntiabat, ut Cicero Murenam se renuntiasse dixit. Præco etiam populo renuntiabat quem centuria quæque relata et renuntiata a rogatoribus consuli consulem faceret. Quum ergo Maluginensis a præcone rogaretur, ut de candidato L. Manlio diceret, quid ipsius centuria censuisset, ille tamquam non de renuntiatione interrogatus esset, sed de Manlii moribus, respondit : « Virum bonum et egregium civem esse reor ». Quod eo festivius est, quia non tantum de hominum moribus, sed et de candidatis ea verba vulgo usurpare solebant. Turn. — J. V. L. putat in eo esse ambiguum, quod Scipio responderit de L. Manlio, quum interrogaretur de L. Manlio Acidino, quasi alium præco, alium Scipio intellexissent.

10. *L. Porcius Nasica censori Catoni.* Hic quidem vitium inest. Nasicæ non sunt e Porciis, sed Catones. Ergo sic, opinor, fuit : *L. N. censori Porcio Catoni*, vel *censori P. C. L. N.* Ita melius conveniet, *quum ille*. Ern. — Schützius dat inductus eadem ratione : « Ridiculum etiam illud, quod Nasica censori Catoni ».

11. *Ex tui animi sententia tu uxorem habes?* Interpunctione mutata recte jocum hunc sic explicat Lipsius. Censores, quum lustrum conderent,

tentia[12]». Hæc aut frigida sunt, aut tum salsa, quum aliud est exspectatum. Natura enim nos, ut ante dixi, noster delectat error : ex quo, quum quasi decepti sumus exspectatione, ridemus.

LXV. (LXV.) In verbis etiam illa sunt, quæ aut ex immutata oratione[1] dicuntur[2], aut ex unius verbi translatione, aut ex inversione verborum. Ex immutatione[3]; ut olim Rusca quum legem ferret annalem[4], dissuasor M. Servilius, « Dic mihi, inquit, M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? » — « Ut sementem feceris, ita metes »,

diligenter cavebant, ne quis civis sine uxore esset. Cicero de Legibus censorum officia describens, *cælibes*, inquit, *esse prohibento*. Solebant porro in exigendo jurejurando hæc verba præmittere : « Ex animi tui sententia » : id est, responde ad id quod rogabo, ita ut sentis : ac deinde addebant : « Tu equum habes », aut « tu uxorem habes? » Quod idem in omni juramento servatum auctor Cicero in Academicis. Hinc facilis hujus loci interpretatio. Quum enim censor Cato in lustro condendo a nescio quo Nasica solemnibus verbis de more petiisset, » Ex animi tui sententia « dic videlicet « tu uxorem habes? » ille intempestive dicax, et in alium sensum verba censoris detorquens respondit : » non hercle ex animi mei sententia ». Quasi censor non rogasset utrum uxorem haberet, sed utrum morigeram et bonam, et ex animi sui sententia haberet. Quis iste fuerit L. Nasica incertum : censorem autem cui id contigit fuisse M. Catonem illum censorium Lipsius existimat. PROST.

12. *Ex mei animi sententia.* Haud secus Pall. septem et Memm. liber chartaceus, et primitus cusi : male posteriores, « ex animi tui sententia ». GAUT. — Schütz. hunc locum sic profert : « Ut tu ex animi tui sententia uxorem habes? Non hercule, inquit, ex animi mea sententia ». Veriorem, inquit, lectionem adscivi e Gellii narratione, Noct. Att. IV, 20. Nasica ob hoc indecore dictum relatus fuit a censore in ærarios.

LXV. 1. *Ex immutata oratione.* Sic allegoriam convertit, quæ non in verbo, sed oratione posita est. De Orat. lib. III, traductionem et immutationem vocat, quam Græci ὑπαλλαγὴν vocant. Hæc immutatio orationis *permutatio* ad Herenn. dicitur. TURN.

2. *Dicuntur.* Lallem. Ern. Schütz. dant *ducuntur.*

3. *Ex immutatione.* I. e. ἀλληγορίᾳ, ut patet exemplo, « Ut sementem feceris, ita metes ». » Verba immutata », sunt translationes, tropi ; at » oratio immutata », quum tota est tropica, id est, in allegoria. Orat. 27 : « quum fluxerunt plures continuæ translationes, alia plane fit oratio ». Quintil. VIII, 6, *inversionem* vertit. Ceterum forma narrationis vix sine vitio est.

4. *Annalem.* Quæ ætatem describeret certam in magistratibus petendis, anno U. C. 622. Prima lex annalis lata est a. 574 a L. Villio (Liv. XL,

inquit. Ex translatione autem, ut, quum Scipio ille major Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, « turmales[5] dixit displicere ». Invertuntur autem verba, ut, Crassus apud M. Perpernam judicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Ælius Lamia[6], deformis, ut nostis; qui quum interpellaret odiose : « Audiamus, inquit, pulchellum[7] puerum », Crassus. Quum esset arrisum, « Non potui mihi, inquit Lamia, formam ipse fingere; ingenium potui ». Tum hic, « Audiamus, inquit, disertum ». Multo etiam arrisum est vehementius.

Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis. Dixi enim dudum, materiam aliam esse joci, aliam severitatis; gravium autem, et jocorum unam esse rationem[8]. Ornant igitur in primis orationem verba relata contrarie : quod idem genus sæpe est etiam facetum; ut, Servius ille Galba quum judices L. Scribonio[9] tribuno plebis ferret familiares

44), cui inde et posteris ipsius nomen Annalis hæsit.

5. *Turmales.* Statuæ turmales proprie dicuntur, et translate. Proprie dictæ sunt statuæ equestres : nam turmæ sunt equitum, non peditum. Improprie et translatitie dicuntur gregales, et in turba collocatæ, cujusmodi non expetebat Scipio. Strb.

6. *L. Ælius Lamia.* Sic edidimus cum Pearcio, ut voluit Pighius. Nam omnes Lamiæ sunt ex Æliis. Vide Clav. Edd. pr. dant *Helalius*, unde *L. Ælius* fieri debebat, non *Helmius* aut *Helvius*. Ern.

7. *Pulchellum.* Lall. et Ernest. dant *pulcellum.*

8. *Materiam aliam esse... unam esse rationem.* Scb. transponit « rationem aliam esse... unam esse materiam », quia, ut ait, vulg. aperte repugnat iis, quæ Cicero supra, c. 1 1, exposuerat.

9. *L. Scribonio.* Magnas inter se simultates et odia exercuerunt Galba orator et Scribonius Libo, adeo ut tribunus tandem Libo in eum rogationem ferret privilegii similem, quod Lusitanorum magnam manum perfidiose interemisset, tribunitiæ actioni Catone subscribente, qua de re in Bruto scribitur. In quadam igitur altercatione, ac forte in concione, Galba de Libone conquerens, in eum invehens, postremo judices ferebat : quod solent homines facere in magna causæ fiducia adversarium provocantes, quum aut judicem ei ferunt, aut ab eo

suos, et dixisset Libo, « Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? » — « Quum tu, inquit, de cubiculo alieno ». A quo genere ne illud quidem plurimum distat[10], quod Glaucia Metello, « Villam in[11] Tiburte habes, cortem in Palatio[12] ».

LXVI. (LXVI.) Ac verborum quidem genera quæ

petunt. Ferebat autem, id est, offerebat, et dabat ei Galba familiares suoa, quibuscnm esset epulari solitus. *Suum* et *alienum* contrarie relata sunt. Cubiculum alienum dicit objiciens ei adulteria. Torn.

10. *Ne illud quidem plurim. distat. Plurimum* pro *multum* nondum alibi in Cicerone reperi : suspectum mihi est. Ern.

11. *Villam in Tiburte.* Villæ Tiburtinæ in maximo erant pretio, adeo ut doleat Catullo suum fundum Sabinum, potius quam Tiburtem, dici : « O funde noster, seu Sabine, seu Tiburs : Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est Curdi Catullum lædere : at quibus cordi est, Quovis Sabinum pignore esse contendunt ». Illic villam habebat magnificentissimam et elegantissimam, ideoque invidiosam Metellus. Ergo Glaucia vir improbissimus objicit illi invidiose villam Tiburtinam, ut et infra Cæsar : « Ego vero, inquam, a porta Esquilina video villam tuam ». Idem Metellus in Palatio habitabat, ubi, ut ex oratione pro Cœlio intelligi potest, Metellorum domus fuit : quumque *chors* villæ sit, non domus, in qua *impluvium* dicitur potius, illum dicit chortem habere in Palatio, ei objiciens crimen affectati regni. Chortem enim hominum intelligit. Palatio autem occupato Romam fere habere potuisset in potestate. Itaque periculosia temporibus ei præsidium imponebatur. Cicero in Catil. I, 1 : « Nihil te nocturnum præsidium Palatii ». In Metellum autem Numidicum istud dictum est, qui exsulare maluit, quam in Saturnini leges jurare. Glaucia Saturnini factionem sequebatur. Torn.

12. *Cortem in Palatio.* Cneius Apuleius Saturninus, tribunus plebis seditiosus ac turbulentus, quum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, eo quod in eam minime jurasset, diem dixit. Qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa malorum certaminum esset, in voluntarium exsilium Rhodum profectus est. Hæc ex Floro, lib. III, cap. 16. Qui defendebant Metellum, et vim parabant, conveniebant in Palatium, consulesque vocabant adversus Saturninum, et Glauciam, prætorem, socium ejusdem furoris. Quamobrem Glaucia homo dicax, et tum infestus Metello, « Villam, inquit, in Tiburte habes, chortem in Palatio ». *Chortem* dixit ut cohortem, pro multitudine eorum qui conveniebant in unum, quo Metellum tuerentur. Est autem *chors* spatium intra villæ maceriem. Varro de Re rust. « Chortem barbari coriam vocant ». A *chorte* dicta est *cohors*, quæ est decima pars legionis, et aliquando incerta multitudo. Usus est Glaucia translatione. Transtulit enim cohortem villicam ad significandum hominum cohortem, ut sit sensus : Qui villas habent, in illis habent chortes, in quibus aves et pecudes alunt. Tu vero villam in agro habes, chortem Romæ in Palatio. Strab.

essent faceta, dixisse me puto; rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi ante) ridentur: in quibus est narratio; res sane difficilis. Exprimenda enim sunt, et ponenda ante oculos ea, quæ videantur esse [1] verisimilia, quod est proprium narrationis[2], et quæ sint, quod ridiculi proprium est, subturpia: cujus exemplum, ut brevissimum, sit sane illud, quod ante posui, Crassi de Memmio[3]. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum. Trahitur etiam aliquid ex historia, ut, quum Sex. Titius se Cassandram[4] esse diceret, « Multos[5], inquit Antonius, possum tuos Ajaces Oileos[6] nominare ».

Est etiam ex similitudine; quæ aut collationem habet, aut tamquam imaginem. Collationem: ut ille Gallus olim testis[7] in Pisonem, quum innumerabilem

LXVI. 1. *Videantur esse verisimilia.* Sic edd. pr. pleræque pro vulg. « et verisimilia », restituitque jam Pearcius. Ern.

2. *Quod est proprium narrationis.* Hæc absunt ab ed. Lall.

3. *Crassi de Memmio.* Vid. c. 59.

4. *Cassandram.* Ita se vaticinatum esse dicebat, sed neminem credidisse. Nec enim Trojani fidem habebant Cassandræ vati. Propert. III, 13, 62: « Vera loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam Verax Pergameis Mænas habenda viris ». Quod et a Marone scribitur. Eam Ajax Oilei filius capta Troja in templo Minervæ constupravit, ut multi poetæ canunt: quod tamen Homerus non scribit, aliamque affert naufragii Græcorum causam, ut auctor est Strabo. Objicit autem istam obscœnitatem Titio Antonius propter mollitiem fracti et soluti gestus et viro indigni: adeo ut ex ejus nomine saltatio quædam mollis et delicata *Titius* diceretur. In Sextum Titium virum turbulentum et seditiosum se testimonium accuratissime dixisse narrat hoc libro II Antonius. Turneb.

5. *Multos.* Legendum opinor « Et multos » vel « et quidem multos ». Sch.

6. *Oileos.* Videtur e glossemate adjectum. Sch.

7. *Gallus olim testis.* Confirmabat innumerabilem ab illo pecuniam Magio præfecto per corruptelam esse datam. Scaurus, qui patronus aderat Pisoni, testimonium refellere conabatur tenuitate, id est, paupertate Magii: non esse verisimile, eum qui innumerabilem pecuniam recepisset, tam pauperem esse. Tum Gallus facete: « Erras, inquit, Scaure, in hac tua refutatione. Ego enim Magium non conservasse pecuniam dico, sed tamquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse ». Qui nuces legit, id est, legit nudus, non potest auferre in sinum, vel in manicas: mittit in ventrem. Sic ille Magius in compotando

Magio præfecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret : « Erras, inquit, Scaure; ego enim Magium non conservasse dico, sed, tamquam nudus nuces legeret, in ventre[8] abstulisse ». Ut ille[9] M. Cicero senex, hujus viri optimi, nostri familiaris, pater, « nostros homines similes esse Syrorum venalium[10] : ut quisque optime græce sciret, ita esse nequissimum ».

Valde autem ridentur etiam imagines, quæ fere in deformitatem, aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris : ut meum illud in Hel-

dicebatur omnem pecuniam absumpsisse. Strba.

8. *In ventre abstulisse.* Sic ed. W. quod prætuli vulgatæ *in ventrem :* cujus lectionis auctores non intellexere dictum. Sicut nudus, quum nuces legit, non potest eas abscondere et domum auferre : sed tantum aufert, quantum in ventrem condidit; sic Magius ille quum omnia obliguriret, « in ventre abstulit » illas pecunias. Nihil certius et evidentius. Ern.

9. *Ut ille M. Cicero senex.* Vulgo *ut illud.* At Cicero scripsit sine dubio *ut ille*, sicut supra *ut ille Gallus.* Deberet enim esse *Ciceronis*, etc. Non dubitavi in textum recipere. Ern. — *M. Cicero senex.* Is avus Ciceronis oratoris fuit, qui in municipali republica M. Gratidio legem Tabellariam ferenti restitit : pater autem Ciceronis Cæsari, Crasso, Antonio familiaris fuit, sed et patruus. Itaque qui de patre Ciceronis intelligunt, peccant. Turn. — Ursinus censuit legendum esse *Cato*, quia notæ sunt Catonis cum Græcis et græce scientibus inimicitiæ : sed cur non fieri potuit, ut ejusdem esset sententiæ M. Cicero senex, scilicet avus nostri Ciceronis? De avo ejus hoc dictum puto, non de patre; is enim qui istius *M. Ciceronis senis* filius fuit, quique hic vocatur *vir optimus* et Cæsaris *familiaris*, non fuit Cicero orator (nam tunc temporis nonnisi decimum sextum annum ætatis agebat), sed pater oratoris, qui, ut diximus ex lib. II, cap. 1, familiaris Crassi et Antonii fuit. Prarc. — De hac re adeundum esse Corradum in Quæst. Ernestius monet.

10. *Syrorum venalium.* Venalitiarii magnam vim servorum Syrorum Romam advehebant. Hinc illud Ciceronis in Pis. cap. 1 : « Nemo queritur Syrum nescio quem de grege novitiorum factum esse consulem ». Nam prædones Cilices oram Syriæ infestam habebant, et prædas illinc agebant, captaque corpora Delum deportabant ad mercatum, unde Romani emebant. Qui autem Syri optime loquebantur græce, diu servierant in Græcia, veteratoresque et nequam evaserant, nec novitii erant : sed quod servituti diuturnæ, quæ improbos et callidos reddit, attribuendum fuit, id in Græcorum mores conferebat Ciceronis avus, qui infestus Græcis fuisse videtur non multo secus ac Cato Censorius. Turn.

vium Manciam[11], « Jam ostendam, cujusmodi sis » : quum ille, « Ostende, quæso » ; demonstravi digito pictum Gallum[12] in Mariano scuto[13] Cimbrico, sub Novis[14], distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus : risus est commotus ; nihil tam Manciæ simile visum est. Ut quum Tito Pinario[15], mentum in dicendo intorquenti, tum ut diceret, si quid vellet, si nucem fregisset.

11. *Helvium Manciam.* Recepi et ipse post Pearcium *Helvium*, ut volebat Ursinus. Vide Clav. Etiam apud Quintil. VI, 4. Quidam libri habent *Helmium* pro *Helvium*. Ern.

12. *Pictum Gallum.* Tabernæ erant circa forum, inquit Fabius : et scutum illud signi causa positum. Marianum autem scutum Cimbricum vocat, propterea quod Cimbris nuper a Mario victis, in memoriam victoriæ dominus tabernæ scutum suspenderat, sic pictum pro tabernæ signo. Solebant etiam ad pompam triumphi ornandam multa hujusmodi scuta traduci, et in foro poni. Scutum igitur pendebat in taberna pro signo, in quo Gallus linguam ejiciebat, id est, exserebat. Sic enim in contumeliam et deformitatem eum fœde pinxerant : fortasse etiam quod in historia scriptum scirent, Gallum, qui cum Torquato pugnasset, linguam exseruisse, ut patet e Livio. Plinius, XXXV, 4, hunc jocum non Julio, sed Crasso tribuit, nec scutum, sed tabulam nominat. Sic enim scribit : hinc illa Crassi oratoris lepos agentis sub veteribus, quum testis compellatus instaret : Dic ergo, Crasse, qualem me reris ? Talem, inquit, ostendens in tabula pictum infacetissime Gallum exserentem linguam. Turn.

13. *Mariano scuto.* Pighius ad a. 392 corrigit *Manliano*, quem vide de toto loco, diligenter comparato cum locis Plinii et Quintiliani de eadem re. Vulgatum verum puto, propter verbum « Cimbrico » : quamquam et Manlius cum Cimbris bellavit, etsi infeliciter. Ernest.

14. *Sub Novis.* Sic legendum recte censuit amicus noster Stephanus Pighius, Fastor. lib. IV, qui consulatur. Publicata *sub Nodis*, inepte : altera enim lectio innuit locum in foro ubi posita Galli pictura. Turnebus tamen non alienus videtur a vulgata, qui videatur libello peculiari in hos Tullii jocos. Grut. — Plinius eamdem rem narrans habet *sub veteribus*, sed novæ Ciceroni veteres erant Plinio. Edd. pr. *sub Nodis*, ut MS E. *Sub Novis* correxit Lambinus. De dissensu Cic. et Plinii vide Gesn. ad Quint. l. c. Ern.

15. *Tito Pinario.* Sic Ursin. correxit pro *Testio*. Vere. Nulla *Testia* familia umquam Romæ fuit : nec duplex nomen gentile his temporibus usurpatum. Scriptum fuit explanate *Tito* : inde factum *Tertio*, *Testio*, *Cestio*, ut in MS E. Ern. — Titus Pinarius dicendo mentum non aliter intorquebat, quam qui dentibus frangunt nucem : quod quum J. Cæsar animadvertisset, excepit adversarium ridiculo : « Dic, inquit, si quid velis, posteaquam nucem fregeris ». Strab. — Simile est illud in Vespasianum, qui vultu nitentis erat : « Dicam, quum ventrem exonerare desieris ». Turn.

Etiam illa, quæ minuendi, aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur : velut tu, Crasse, in concione, « ita sibi ipsum magnum videri Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii[16] demitteret ». Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur, « Si[17] quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram ».

Arguta etiam significatio est, quum parva re, et sæpe verbo res obscura et latens illustratur : ut, quum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis, et bonus imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello præsertim magno et gravi : « Nihil est, quo[18] mihi gratias agas, inquit, si malui compilari, quam venire[19] » : ut Asello Africanus, objicienti lustrum illud infelix, « Noli, inquit, mirari; is enim, qui te ex ærariis exemit[20], lustrum condidit, et tau-

16. *Ad fornicem Fabii.* De homine prælongo interpretatur Fabius, VI, 3, hunc in modum : Quale refert Cicero de Memmio homine prælongo, caput eum ad fornicem Fabii offendisse. Sed censeam potius accipi debere de animi vitio, ut C. Memmium infestum patribus tam magnum sibi videri dicat, ut ad fornicem Fabii, qui altissimus erat, caput demittat. Sic enim reprehenduntur magni ejus spiritus, et notatur insolentia hominis sese efferentis supra modum. Ut ita intelligam, faciunt et verba Ciceronis scribentis ipsum Memmium ita sibi videri magnum, et historia. Turn.

17. *Si quintum.* Q. Metellus Macedonicus quatuor habuit filios consulares, quorum ut quisque ceteros ætate, sic ingenio superabat. Omnium igitur minime ingeniosus fuit C. Metellus, cujus tarditatem accusans Scipio aiebat, si quintum ejus mater pareret, asinum fuisse parituram : quasi ita obtusus fuisset Metellus, ut nullus nisi asinus ipsi posset esse inferior. Pearc.

18. *Nihil est, quo mihi.* Ed. W. *quod*, usitatius.

19. *Compilari, quam venire.* Gellius, lib. IV, cap. 8, refert quosdam scribere id Fabricium, non Ruffino, sed aliis mirantibus, quod hominem inimicum et avarum consulem fecisset, respondisse. Apud Fabium, lib. XII, cap. 1, scribitur : « Malui a cive me spoliari, quam ab hoste venire ». Turn.

20. *Ex ærariis exemit.* Censores malos cives sic notabant, ut qui senator esset, senatu moveretur; qui eques romanus, equum publicum amitteret; qui vero plebeius, fieret ærarius, nec esset in albo centuriæ suæ

rum immolavit [21]». Tanta suspicio est [22], ut religione civitatem obstrinxisse [23] videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.

LXVII. (LXVII.) Urbana etiam dissimulatio est, quum alia dicuntur, ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quum contraria dicas [1], ut Lamiæ Crassus, sed quum toto genere orationis severe ludas, quum aliter sentias, ac loquare : ut noster Scævola Septumuleio [2] illi Anagnino, cui pro C. Gracchi capite

tamquam civis, sed tantummodo pro capite suo tributi nomine æra penderet. Si quis plebeius hac ignominia levabatur, illum *ex ærariis eximi* dicebant. Stren.

21. *L. cond. et t. immolavit.* Censu peracto, immolatisque sue, ove, tauro, lustrum conditum dicebatur, quod in censendo finis esset factus : non autem semper acto censu lustrum condebatur. Nam si quid dirum, et ominosum, aut sinistrum accidisset, lustrum condi nefas erat. Livius : «Census actus eo anno : lustrum, propter Capitolium captum, consulem occisum, condi religiosum fuit». Itaque census is, quo lustrum condebatur, ab Ulpiano census lustralis appellabatur. Significat igitur Scipio, civitati prope opus esse expiatione, quod quum Asellus exemptus sit ex ærariis, quod ominosum et dirum videri vult, conditum tamen lustrum sit; inde enim infelix lustrum et calamitosum fuisse, multumque mali postea reipublicæ evenisse. Verba Africani de Mummio, quæ a Valerio scribuntur, hic adscribam : «Quum haberet, inquit, censuræ consortem Mummium, ut nobilem, ita enervis vitæ, pro Rostris dixit ipse ex majestate reipubl. omnia gesturum, si sibi cives, vel dedissent collegam, vel non dedissent». Turn.

22. *Tanta suspicio est.* Hæc non intelligo. Vereor, ut sint Ciceronis; videntur quidem explicationem dicti habere debere. Ernest. — Schutzius feliciter, ut mihi videtur, emendat «Tacita suspicio est», conferrique jubet auct. ad Herenn. II, 30.

23. *Religione civitatem obstrinxisse.* Religione civitatem obstringere, est enim metum violatæ religionis incutere civibus, ut expiandam civitatem, et deos esse placandos existiment. Stren.

LXVII. 1. *Quum contraria dicas.* Genus illud superius dicit, quo per inversionem quis jocatur, a quo ironiam hic distinguit, quam dissimulationem appellat, ac mox etiam dissimulantiam. Ea plurimum usus est Socrates in sermonibus, præsertim cum sophistis disputans. Nam de se ipso detrahens, plurimum tribuebat iis, quos volebat refellere. Turn.

2. *Scævola Septumuleio.* C. Gracchus seditioso tribunatu acto, quum Aventinum armata multitudine occupasset, L. Opimius consul ex senatusconsulto persequens illum, præmium pollicitus est ei, qui tribuni caput auferret, ad seque deferret. Id fecit Septumuleius Anagninus, et aurum in præmium accepit. Quum Scævola in Asiam proficisceretur, et Anagninus

erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam præfectum duceret, « Quid tibi vis, inquit, insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romæ manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum ». In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Æmilianum dicit fuisse, et eum græco verbo appellat εἴρωνα : sed, uti ferunt, qui melius hæc norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus præstitisse. Genus est perelegans, et cum gravitate salsum, quumque oratoriis dictionibus, tum urbanis sermonibus accommodatum. Et hercule omnia hæc, quæ a me de facetiis disputantur, non majora forensium actionum, quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, « P. Mummium cuivis tempori[3] hominem esse ». Sic profecto res se habet, nullum ut sit vitæ tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari. Sed redeo ad cetera.

Est huic finitimum dissimulationi, quum honesto verbo vitiosa res appellatur : ut quum Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in Paulli pugna[4] non affuerat, quum ille se custodiæ[5] causa

rogaret, ut eo se præfectum duceret : « Quid tibi vis, inquit, etc. » Videtur severe et graviter homini consulere, quem ut avarum crudelemque deludit, quia pro capite malorum civium velit aurum sibi rependi. Stræb.

3. *Cuivis tempori.* Simile quiddam de Asinio Pollione refert Fabius hunc in modum : « Ut de Pollione Asinio seriis jocisque pariter accommodato dictum est, esse eum omnium horarum ». P. autem Mummius lepidus et facetus quum esset, homo cuivis tempori a Publicio dictus est, quod in otio, in negotio, in rebus lætis, in asperis, jucundus hominibus esset, et cuicumque tempori aptus. Turn.

4. *Paulli pugna.* Prælium illud intelligo, quo conflixit cum Perse rege Macedoniæ Paullus Æmilius. Turn.

5. *Quum ille se custodiæ causa.* Quatuor e Palatinis non admiserunt illud *causa*, quod forsan additum a descriptoribus : de quo videatur et

diceret in castris remansisse, quæreretque, cur ab eo notaretur : « Non amo, inquit, nimium diligentes ». Acutum etiam illud est, quum ex alterius oratione aliud excipias, atque ille vult; ut Salinatori Maximus, quum [6], Tarento amisso, arcem tamen Livius retinuisset, multaque ex ea prælia præclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse; « Quidni, inquit, meminerim? numquam enim recepissem, nisi tu perdidisses ».

(LXVIII.) Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine sæpe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis :

> ....Homo fatuus,
> Postquam rem habere cœpit, est mortuus [7].
> .... — Quid est tibi
> Ista mulier? — Uxor. — Similis medius fidius [8].

Et

> Quamdiu ad aquas [9] fuit, numquam est mortuus.

Lipsius meus, lib. V, ep. 9, 17. GRUT.

6. *Quum... quum*. Potest offendere repetitum *quum*, ubi *et* esse debebat vel poterat : sed et alia exempla latina memini me observasse, et videtur assiduitatem copulæ vitare voluisse. ERN.

7. *Est mortuus*. Schützius dat « est emortuus ». Sic, inquit, leg. esse Turn. et Lamb. visum est, ut iambicus trimeter absolveretur. Idem postea recepi, ubi vulgo est « numquam est mort. »

8. *Similis medius fidius*. Quidam quum deformem et fœdam mulierem videret, interrogavit virum qui aderat illi persimilis : Quid est tibi ista mulier? soror, an cognata? Quum respondisset : Uxor est mea : tum iste, « Similis est tibi medius fidius ». Ac si diceret, ex lineamentis corporis judicaveram tuam sororem esse, vel cognatam. Hoc modo facete notavit illius viri fœditatem. STREB.—Non hic certe sensus est : sed in eo acumen est, quod is sibi plaudat se auspicatum fuisse ex similitudine hanc mulierem alteri fuisse cognatam vel affinem.

9. *Ad aquas*. Aquas in plurali quum dicunt, aquas calidas et medicatas intelligunt, ut Baianas et Puteolanas : ægri autem valitudinis causa ad aquas Baianas ibant. Horatius, lib. I, ep. 15. Quidam igitur lento contabescens morbo, ad aquas recreatus tandem esse videbatur; reversus paullo post obiit. Id absurdum videri vult cavillator, quod ad aquas potius, ubi valitudinis causa tamdiu desederat, mori debue-

LXVIII. Genus hoc levius, et, ut dixi, mimicum; sed habet nonnumquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, quum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum, « Aliquando, inquit, tibi tuum negotium [1] agere licebit ». Valde hæc ridentur, et hercule omnia, quæ a prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi [2], subabsurde salseque dicuntur. Ex quo genere est etiam, non videri intelligere quod intelligas, ut Pontidius, « Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? » — « Tardum ». Ut ego, qui in delectu, Metello [3], quum excusationem oculorum a me non acciperet, et dixisset, « Tu igitur nihil vides? » — « Ego vero, inquam, a porta Esquilina video villam tuam ». Ut illud Nasicæ,

rit. De piscatore intelligi jocum minime placet. Ern.

LXVIII. 1. *Tuum neg.* Erat Antonius admodum occupatus in gerenda censura, et negotium multis facessebat. Accusatus de ambitu coactus est, ut se defenderet, omittere aliena negotia. Visus est illi Mancia quidam gratulari, quod de suis tandem negotiis, quæ, ut publica curaret, neglexisse videbatur, serio ipsi cogitare liceret. Verum clam arguebat his verbis nimiam illius in aliena re severitatem et diligentiam: negligentiam in sua.

2. *Quasi per dissimulationem non intelligendi.* Hic locus manifestus est vitii: sed ubi sit vitium, pro certo dici non potest. Pearcius corrigit *simulationem n. i.* Ego deleverim *non*. An totum hoc *non intelligendi* fortasse est a glossatore? Nam species non intellectorum dictorum sequitur, et genus illius dissimulationis sequitur. Ernest. — Schützius Ernestio suadente delevit *non intelligendi*.

3. *Metello.* Metellum hunc esse puto Numidicum, qui Numidiam sortitus provinciam bello Jugurthino, delectum, ut Sallustius scribit, Romæ habuit: in quo petenti militiæ vacationem Cæsari, morbumque oculorum juranti, « Tu igitur, inquit, nihil vides? » quasi sola cæcitas excusanda esset, nec satis esset morbus oculorum ad vacationem. « Immo vero, inquit ille, a porta Esquilina video villam tuam Tiburtinam ». In quo objecit ei invidiose villam nimis magnificam, nimisque alte ædificatam: et quid ageretur, dissimulavit, atque ita respondit, quasi tantum interrogaretur quantum videret, non quam justa excusatio esset. Turn. — Equidem non video quomodo hic Cæsar videatur non intelligere quæstionem, adeo mihi videtur ad rem respondere. Credam potius exemplum esse ejus salis de quo superius, dictumque « a prudente per dissimulationem, quasi non intelligendo » non *absurde* quidem quid mordacitatis habeat responsio: certe *simpliciter* et *salse*.

qui quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quærenti Ennium, ancilla dixisset, domi non esse; Nasica sensit, illam domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quæreret, exclamat Nasica, « se domi non esse » : tum Ennius, « Quid ? ego non cognosco vocem, inquit, tuam ? » Hic Nasica, « Homo es impudens : ego quum te quærerem, ancillæ tuæ credidi, te domi non esse; tu mihi non credis ipsi ? »

Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipso genere, quo dixit[4] : ut, quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset, « Quid tu, Egilia[5] mea ? quando ad me venis cum tua colu et lana ? » — « Non pol, inquit, audeo : nam me ad famosas vetuit mater accedere ».

LXIX. (LXIX.) Salsa sunt etiam, quæ habent suspicionem ridiculi absconditam, quo in genere est illud Siculi, cui quum familiaris quidam quereretur, quod diceret, uxorem suam suspendisse se de ficu, « Amabo te, inquit, da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos[1] ». In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo ; qui quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse : « Ac ma-

4. *Quo dixit.* Pearcius conjicit sic legendum. Ego recepi hoc pro *quod :* nam sic edd. pr. Vulgatum est ab Aldo, sed tamen c. MS : nam sic et E. Ern.

5. *Quid tu, Egilia mea ?* Retinui lectionem membranarum : alii qui omnia redigere volunt in versus nimium fuerunt licentiosi in transponendis addendisque vocibus suis. Grut.—Apud Nonium legitur *Decilla*, unde Turnebus conjicit Decium intelligi, a quo postea trib. pleb. vocatus est in judicium Opimius. Sch.

LXIX. 1. *Surculos.* Arbores seruntur, quocumque modo manu humana fiant : ergo etiam surculi, qui proprie *pangi* dicuntur. Argutatur ergo P. Manutius, quum *inseram* corrigi vult, sequente Pearcio. Ern.

gnam quidem, inquit; neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit». Me quidem hercule valde illa[2] movent stomachosa, et quasi submorosa ridicula, quum non a moroso[3] dicuntur: tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Nævium[4],

...............Quid ploras, pater?
—Mirum, ni cantem! condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti: ut, quum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret, «Cave!» rogavit, «numquid aliud ferret præter arcam?» Etiam stultitiæ salsa reprehensio, ut ille Siculus, cui prætor Scipio patronum causæ dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum: «Quæso, inquit, prætor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis». Movent illa etiam, quæ conjectura explanantur longe aliter, atque sunt, sed acute, atque concinne: ut, quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in ejus tabulis[5] osten-

2. *Valde illa movent*. Schütz. dat: «etiam illa valde movent» ex Guelf. 2, 3.

3. *Quum non a moroso*. Libri omnes *non quum a m.* sed in hac forma aliud membrum, quod contrarium sit, sequi debet: *sed*, etc. scribendum ergo *quum non*; nam obscœnitatis vitandæ causa sic a Cicerone collocatum esse, non crediderim. Ern.

4. *Nævium*. Schützius dat *Novium*. Habent hic *Nonium*, vel *Nouium*, multi e MSS nostris, unde firmetur Schneideri conjectura, quam cap. 63 laudavimus. J. V. L.

5. *Et in ejus tabulis*. Veteres Romani (ut dixi ad cap. 23) tabulas rei familiaris suæ conficere solebant; has et Rutilius ille Rufus confecit, et ex his in judicium prolatis Æmilius Scaurus aliquid contra Rutilium attulit. Causa hujusmodi fuit: Scaurus et Rutilius una consulatum petebant; Scaurus vero, qui eum obtinuit, accusavit Rutilium ambitus, et ad id crimen probandum postulavit, ut Rutilii tabulæ in judicium afferrentur: in iis tabulis Rutilius retulerat ea quæ in sua petitione consulatus contigerint, puta turbas populi, suffragiaque non sine seditione quadam lata, et in fine addiderat quatuor has literas *A. F. P. R.*

deret literas, A. F. P. R. idque diceret esse, ACTUM FIDE P. RUTILII; Rutilius autem, ANTE FACTUM, POST RELATUM; C. Canius[6], eques romanus, quum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. «Quid ergo?» inquit Scaurus. — «Æmilius fecit, plectitur Rutilius».

LXX. Ridentur etiam discrepantia. «Quid huic abest, nisi res et virtus?» (LXX.) Bella etiam est familiaris reprehensio, quasi errantis: ut quum objurgavit Albius Granium[1], quod, quum ejus tabulis[2] quiddam Albucio probatum videretur, et valde absoluto Scævola gauderet, neque intelligeret, contra suas tabulas esse judicatum[3]. Huic similis est etiam admonitio in

Eas Æmilius Scaurus malo animo sic explicavit, «Actum fide Publii Rutilii», iisque innui contendit, id, quod actum fuerit et memoratum in Rutilii tabulis, actum fuisse auctoritate Rutilii ejusque sponsione, quasi clam promiserat vel pecuniam vel securitatem suffragia istiusmodi ferentibus. Rutilius vero dixit se his literis solum significasse, «ante factum, post relatum», id est, ea quæ in tabulis ejus memorata præcesserant, ante (scilicet interjecto tempore) facta erant, quam ipse ea scripto mandasset. Interim Canius alio modo, quam vel Scaurus, vel Rutilius, istas literas explicavit, scilic. «Æmilius fecit, plectitur Rutilius», id est, in quo Scaurus Rutilium accusat, fecit Scaurus ipse, quamvis Rutilius ob id plectendus videretur. PEARC.

6. *C. Canius.* Est ille Canius, de quo bella est narratio apud Ciceronem, Offic. III, 14, ubi ei facetiæ tribuuntur. ERN.

LXX. 1. *Quum objurgavit Albius Granium.* Sunt qui hunc locum emendandum censent; omnes, ut opinor, male interpretati sunt. Albucius Scævolam de pecuniis repetundis accusavit, ut dicit Cicero in Bruto, et libro primo de Finibus: ad probanda vero ea, quæ Scævolæ objecerat, Granii tabulas protulit; Scævola judicum sententiis absolutus est; Granii igitur tabulas falsas esse iisdem sententiis judicatum est: si quid enim Albucius ex istius tabulis contra Scævolam adhibuit, judices vero Scævolam absolverunt, manifestum est istas tabulas judicibus visas fuisse falsas. Albius igitur quidam ex iis, qui aderant, objurgavit Granium, qui et gauderet suum amicum Scævolam absolutum fuisse, et non videret contra suas tabulas judicatum fuisse. Monuit igitur eum non tam ad Scævolæ res secundas, quam ad suas adversas respiceret. PEARC.

2. *Quum ejus tabulis.* Hic locus est vitiosus, nec sanatur si maxime «ab Albucio» legas, ut placebat Lambino et aliis, et *neque* accipias pro *et non*, cum Pearcio. Omnino non intelligo. ERNEST.

3. *Judicatum.* Sine dubio est lacuna post *judicatum*. Nempe deest di-

consilio dando familiaris, ut, quum patrono malo, quum vocem[4] in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simul ac domum redisset : « Perdam, inquit, vocem, si id fecero». — « Melius est, inquit, quam reum». Bellum etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur : ut, quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiæ, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, « Vide, inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor ».

Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est præter exspectationem ; cujus innumerabilia sunt exempla, vel Appii majoris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis, et de lege Thoria[5], et premeretur Lucilius[6] ab iis, qui a pecore ejus depasci agros publicos dicerent, « Non est, inquit, Lucilii pecus

etum facetum Albii ; quod si exstaret, priora etiam facilius judicaremus. Id non animadversum a viris doctis, inanes conjecturas peperit. Ernest. — Schütz. post *judicatum* lacunæ signa posuit. Forte nihil deest, sed mendosi quiddam in MSS latet. J. V. L.

4. *Quum vocem*. Fortasse *qui vocem*. Sch.

5. *Et de lege Thoria*. Sp. Thorius, ut inquit in Bruto Cicero, valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit. Appianus hoc aliter scribit, nec ei cum Cicerone convenit. Ait enim a Thorio vectigal agro publico esse impositum, quod plebi viritim distribueretur : ab. alio deinde tribuno vectigal esse sublatum. Sed Ciceroni fidem habeamus in legibus et institutis patriæ suæ, nec peregrino nec hospiti. Lege igitur Thoria agri publici, qui ante attributi fuerant civibus vectigales, publice possideri cœpere, et publicanis elocari, quod minus utile erat, quam si possessores vectigal pependissent. Nihilominus tamen Lucilius lege recenti et populo invisa, in agros suum pecus immittebat, fortasse non pascuos, certe non petito a publicanis pascendi jure. Turn.

6. *Lucilius*. Ex veteri codice Pighius ad annum U. C. 638 corrigendum putat *Lucullus*, L. Luculli qui Mithridatem vicit pater, quem avaritia, luxu, aliisque vitiis infamem fuisse scribit Plutarchus in Lucullo. Proustæus. — Lucullum faciunt quidam libri scripti (MSS Harl. 1 et Mag.) et Melanchthon : non est tanti istud quærere. Ern.

illud; erratis (defendere Lucilium videbatur) : ego liberum puto[7] esse; qua lubet, pascitur ». Placet etiam mihi illud Scipionis, illius, qui Tib. Gracchum perculit : quum ei M. Flaccus multis probris objectis P. Mucium judicem tulisset, « Ejero, inquit; iniquus est[8] » : quum esset admurmuratum, « Ah, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum ejero, verum omnibus[9] ». Ab hoc vero Crasso nihil facetius : quum læsisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset : « Potest fieri, inquit, Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit » : annuit Silus. « Potest etiam, ut tu non recte intellexeris » : id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. « Potest etiam fieri, inquit, ut omnino, quod te audisse dicis, numquam audieris » : hoc ita præter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Hujus generis est plenus Nævius[10], et jocus est familiaris[11], « Sapiens si algebis, tremes »; et alia permulta.

7. *Liberum puto.* Id est, nullius esse puto, dominum habere non existimo. Videri etiam cuipiam fortasse posset ductum a pecudibus, quæ diis consecrabantur, vocabanturque ἄνετα et ἄφετα ζῶα, quæ sine custode libere pascebantur. Turn.

8. *Ejero, inquit; iniquus est.* Rejicio, inquit, judicem iniquum. Nam ejerare est tamquam jurejurando testari se recusare. Quum autem Nasica ejerasset iniquum Scævolam, sequuta est admurmuratio omnium, propter eximiam de Scævola æquitatis et probitatis opinionem. Præter exspectationem tamen rursum eum omnibus Nasica iniquum ejeravit, quod in consulatu causam publicam deseruisset, nec eam armis adversus Tiberium Gracchum defendisset, patribusque ejus opem implorantibus negasset se quidquam vi esse acturum. Turneb.

9. *Verum omnibus.* Gulielmius annotavit : ambiguitas in *verum*, id est, *justum*, δίκαιον. Gaut.—Ambiguitas est in verbo, non fuit in mente dicentis.

10. *Est plenus Nævius.* Edd. pr. *Novius.* Post inductum *Nævius* ex aliis MSS, quibus consentit Erl. Ern. — Schützius dedit *Novius.* Rectius forte, et sic disertissime hic legitur in fere omnibus MSS Regg. J. V. L.

11. *Et jocus est familiaris.* Pall. omnes præter octavum : « est locus, est familiaris ». Gaut. — Melius in libris veteribus scribitur : « est jocus, est familia, sapiens si algebis, tremes ». Ita enim senarius erit integer, cujus sensus erit : Quantumvis urbanus facetusque sis, quantumvis bono loco natus, tamen ista non facient, quin si algeas, tremas : quod præter exspectationem

LXXI. Sæpe etiam facete concedas adversario id ipsum, quod tibi ille detrahit : ut C. Lælius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis majoribus, « At hercule, inquit, tu tuis dignus ». Sæpe etiam sententiose ridicula[1] dicuntur : ut M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus[2] tulit, quum C. Cento prodiisset, et satis contumeliose, « Quid fers[3], Cinciole ? » quæsisset : « Ut emas[4], inquit, Cai, si uti velis ». Sæpe etiam salse, quæ fieri non possunt, optantur : ut M. Lepidus, quum, ceteris in campo exercentibus[5], in herba ipse recubuisset, « Vellem hoc esset, inquit, laborare ». Salsum est etiam, quærentibus et quasi percunctantibus lente respondere, quod nollent[6] : ut censor Lepidus, quum M. Antistio

est dictum, quum præsidia non defutura exspectaremus homini ingenioso et bona nato familia. Turn.—Variant scr. et edd. inter *locus* et *jocus* : nec quidquam certi extricari potest : facile credo in his *et jocus*, etc. esse partem dicti Næviani ; Lambinus dat : « est locus, est, etc. » quod tamen intelligi potest, et Turnebiano quoque melius est. Ern.—Equidem nihil intelligo.

LXXI. 1. *Sententiose ridicula dicuntur.* I. e. acute et argute, ut sensus non omnibus statim pateat : ut in hoc, cujus sensus est : Ut ea, quæ soles pacisci pro causis agendis, dona, quæ soles accipere causarum agendarum causa, non posthæc gratis accipias, sed emas. Ern.

2. *De donis et muneribus.* Caius Cincius, vir ætatis Lucilianæ, ut Macrobius scribit, legem tulit Muneralem, qua cavebatur, ne quis ob caussam orandam munus aut donum caperet. De ea loquitur Plautus, quum scribit : « Neque Muneralem legem, neque Lenoniam, rogata necne fuerit, flocci æstimo ». Eam legem admodum senex suasit Fabius Maximus. Verba hujus legis quæstionem attulerunt, quid donum a munere differat. Labeo genus esse donum ait a donando dictum, speciem munus. Nam munus esse donum cum causa, ut puta natalitium, nuptiarum : et quale patronorum fuerit honorarium. Turn.

3. *Quid fers, Cinciole?* Contumelia inest in diminutione, et contemptio, quam etiam voce adjuverat. Turn.

4. *Ut emas, Cai.* Ducta est hæc sententia ab iis, qui, quum nolunt vicinis commodare vasa utenda, respondent : Eme si uti vis : quam ad dona et munera patrociniorum, quibus ditatus erat Cento, traduxit Cincius, illius perstringens operam venalem. Sese enim ait laturum, ne quis ei quid donet. Turn.

5. *In campo exercentibus.* Int. *se*, vel artem armorum, etc. Ponitur enim interdum absolute. Ern. — Lallem. addit *se*.

6. *Quod nollent.* Edd. pr. *nolent*, quod placet ; est enim aptum h. l. nisi quis etiam malit *nolint*. Aldus muta-

Pyrgensi equum ademisset, amicique quum vociferarentur[7], et quærerent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset : « Me istorum[8], inquit, nihil credere ».

Colliguntur a Græcis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes. Sed hæc ipsa nimis[9] mihi videor multa in genera descripsisse : nam illa, quæ verbi ratione et vi continentur, certa fere ac definita sunt; quæ plerumque, ut ante dixi, laudari magis, quam rideri solent. Hæc autem, quæ sunt in re, et in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipsorum[10] ridicule indicandis, et similitudine turpioris, et dissimulatione, et subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque imbuendus[11] est is, qui jocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad hæc genera, et moribus, ut ad cujusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur : qui quidem quo severior est, et tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quæ dicuntur, salsiora[12] videri solent.

(LXXII.) Sed jam tu, Antoni, qui hoc deversorio sermonis mei[13] libenter acquieturum te esse dixisti,

vit, ut alia. Ern. — Sch. dat *nolent*.

7. *Quum vociferarentur.* Πλεοναστικῶς repetitum est *quum* : nisi malis deleri, quia nimis frequentatur illa particula, quæ et tertio redit. Ern. — Schützius auctore Lambino delevit.

8. *Me istorum.* Id est, dicat patri suo, me non credere ipsum talem esse, qualem prædicatis, scilicet parcissimum, modestissimum, frugalissimum. Pearc.

9. *Nimis mihi videor.* Schützius delet *nimis*, quod abest Guelf. 1, probante Heusingero ad Cic. Off. I, 6, 4.

10. *Ipsorum*, scilicet qui dicunt.

11. *Imbuendus. Induendus*, inquit Schützius, reposui pro vulgato *imb.* minus apto. Ac deinceps forsan leg. « quasi persona, natura ».

12. *Salsiora videri solent.* Sequeretur ut ei qui jocose velit dicere, vultus sit ad gravitatem informandus, quod nescio an auctor dicere voluerit.

13. *Hoc deversorio sermonis mei.* Schütz. « in hoc deversorio ». — *Tui*

tamquam in Pomptinum deverteris, neque amœnum, neque salubrem locum, censeo, ut satis diu te putes requiesse, et iter reliquum conficere pergas.

— Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te, tum etiam audacior factus sum ad jocandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem jam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. Sed habetis ea, quæ voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit: nam cetera faciliora sunt, atque ex iis, quæ jam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia.

LXXII. Ego enim quum ad causam sum aggressus, atque omnia cogitando, quoad facere potui, persequutus; quum et argumenta causæ, et eos locos, quibus animi judicum conciliantur, et illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi: tum constituo, quid habeat quæque causa boni, quid mali. Nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem aut controversiam vocari, quæ non habeat utrumque: sed, quantum habeat, id refert. Mea autem ratio in dicendo hæc esse solet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi hæream: a malo autem vitioque causæ ita recedam, non ut id me defugere appareat [1], sed ut totum, bono

habet MS E. ed. W. Seqoentes *mei*, quod recte recepit Peareius. Refertur enim ad id quod cap. 57 dixerat Antonius, se in sermone Cæsaris acquieturum, tamquam in peropportuno deversorio: cui et sequentia hoc loco respondent. Ern. — Qua sermonem absolverat Antonius metaphora c. 57, eadem desinit hic Cæsar; ac vereri se dicit, ne sit inamœnum hoc sermonis sui diversorium, sed potius simile Pontinarum paludum, injucundarum, ac minime salubrium. Pruat.

LXXII. 1. *Defugere appareat.* Non aptum h. l. verbum *defugere*, quod de labore dicimus, quem recusamus obire: at malum, cujusmodi est h. l. *refugimus*; infra cap. 75, dicit sim-

illo ornando et augendo dissimulatum, obruatur[2]. Et, si causa est in argumentis, firmissima quæque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum; sin autem in conciliatione, aut in permotione causa est, ad eam me potissimum partem, quæ maxime commovere animos hominum potest, confero. Summa denique hujus generis hæc est, ut, si in refellendo adversario firmior esse oratio, quam in confirmandis nostris rebus, potest, omnia in illum conferam tela; sin nostra facilius probari, quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione, et ad nostram conor traducere[3]. Duo denique illa, quæ facillima videntur, quoniam quæ difficiliora sunt, non possum, mihi pro meo jure sumo: unum, ut molesto aut difficili argumento aut loco nonnumquam omnino nihil respondeam: quod forsitan aliquis jure irriserit; quis enim est, qui id facere non possit? sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo, confiteorque me, si quæ premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abjecto, sed ne rejecto quidem scuto[4] fugere videar; sed adhibere[5] quamdam

plieiter *fugere*, cui etiam recedendi verbum convenit. Ern.

2. *Dissimulatum, obruatur.* Hæsi in *dissimulatum*, quod h. l. parum aptum videtur. Non enim dissimulatur, quod non refingitur prorsus. Hæsit etiam Gulielmius, cujus tamen correctio *dissimulatim* non placet. Malim a glossa ortum putare: nam quid in eo verbo lateat, aptum h. l. non reperio. Ernest. — Videtur nobis legendum e MSS nostris «ante obruatur». J. V. L.

3. *Conor traducere.* Pearcius edidit *coner*, sequutus Lambinum. Si necessario ad *ut* referendum est verbum, *ut conferam:* recte. Sin altera pars non ita cum prima cohæret, ut verbum ab *ut* pendere *debeat*, *conor* verum est. Et hoc mihi videtur. Ern.— Mihi prope necessarium videtur cum Lamb. et Pearcio corrigere *coner.*

4. *Sed ne rejecto quidem scuto.* Ad consuetudinem spectat eorum, qui in prælio fugientes clypeos suos in tergum reducebant, ne aversi vulnerarentur; neque enim solum clypeum abjicere, sed in tergum reducere, imbecillitatis fuit. Frequentissime apud Homerum hic mos contumelia notatur. Pearc.

5. *Sed adhibere.* Schützius dat *et adhibere*. Nam hic, inquit, copulativæ potius quam adversativæ particulæ locus est.

in dicendo[6] speciem atque pompam, et pugnæ similem fugam; consistere vero in meo præsidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci causa cessisse videar. Alterum est illud, quod ego oratori maxime cavendum et providendum puto, quodque me sollicitare summe solet, non tam ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim : non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius oratori, nocuisse videri causæ, quam non profuisse.

LXXIII. (LXXIII.) Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an hæc, ut sunt contemnenda, contemnitis? — Minime, inquit ille; sed Cæsar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur. — Me vero lubente, inquit Antonius, dixerit, sive refellendi causa, sive quærendi.

— Tum Julius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te, oratore, sic prædicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum[1], propriumque hoc esse laudis tuæ, nihil a te umquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Idque memoria teneo, quum mihi sermo cum hoc ipso Crasso, multis audientibus, esset de te institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum, quod opus esset, diceres, sed etiam, quod non opus esset, non diceres : tum illum mihi respondere memini, cetera in te summe esse laudanda; illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere quod alienum esset, et

6. *In dicendo.* Fortasse verius « in cedendo ». Sch.

LXXIII. 1. *Tectissimum.* Hæc est vera et apta h. l. lectio. Edd. W. habent *lectissimum*, ut MS E. et edd. aliæ vett. *Tectissimum* recte habet Aldus, ex hoc Junta : ceterum per correctionem a contextu, ut opinor. Vulgo *rectissimum* : sed de hoc non quærebatur. *Tectissimus* est cautissimus in dicendo, ne quid excidat, quod adversum sit. Ern.

noceret ei, pro quo quis[2] diceret : quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore majus esse videatur.

LXXIV. (LXXIV.) — Dicam equidem, Cæsar, inquit, quid intelligam : sed et tu, et vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis meæ mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cujusdam est ingenii ac singularis : cui quiddam portenti simile[1] esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo, obessetque ei, quem defenderet : facit enim de se conjecturam; cujus tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra se ipsum sit, dicere (sed ego non de præstanti quadam et eximia, sed prope de vulgari et communi prudentia disputo) : ut apud Græcos[2] fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themisto-

2. *Pro quo quis diceret.* Sic nostri codd. Male Ernest. et alii, *quisque*. J. V. L. — *Quisque* edd. vett. Pronomen hic plane inane est, sive *quisque* legas, sive *quis*; *pro quo diceret* refertur ad *improbum hominem*. Ean.

LXXIV. 1. *Quiddam portenti simile.* Sic primus edidit Aldus. Edd. priores habent omnes *quidem*, quod restituit Pearcius. Sic et MS E. Vulgatum servavimus, quod quidem bene latinum est; sed quum statim præcedat *Crassi quidem* non bene habet statim *cui quidem*. Ean.

2. *Ut apud Græcos. Ut* delevit Pearcius, in quatuor MSS non repertum. Et sane ei non in sequentibus respondet *sic*. Verum illa omissio verbi *ut* in libris est ab non intellecta connexione, quæ sic intelligi debet, ut illa præcedentis, « sed ego non... disputo », in parenthesi accipiamus. Ita Themistocles cum Crasso comparatur. Ad extremum summa comparationis est in his : « Sed neque propter hoc Themistocles... significavit facultatem » : atque ita res porro explicatur, de qua dicere cœperat Antonius. MS Erl. pro *ut* habet *ita*; sed litera prima evanuit. Ean. — Schützius dedit « ita apud Græcos » cum MS Erl. Lallem. delevit *ut*.

cles ; ad quem quidam doctus homo atque in primis eruditus, accessisse dicitur, eique artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitus esse[3] se traditurum; quum ille quæsisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset; et ei Themistoclem respondisse, « gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quæ vellet, quam si meminisse, docuisset ». Videsne, quæ vis in homine acerrimi ingenii, quam potens et quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, umquam effluere potuisse; quum quidem ei fuerit optabilius, oblivisci posse potius, quod meminisse nollet, quam quod semel audisset vidissetve, meminisse. Sed neque, propter hoc Themistocli responsum, memoriæ nobis opera danda non est, neque illa mea cautio et timiditas in causis, propter præstantem prudentiam Crassi, negligenda est[4]. Uterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem.

Etenim permulta sunt in causis, in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Sæpe aliquis testis aut non lædit, aut minus lædit, nisi lacessatur : orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut maledicamus, denique ut interrogemus. Non moveor, non obtempero, non satisfacio, neque tamen ullam assequor laudem[5]. Homines enim imperiti facilius, quod stulte dixeris, reprehendere,

3. *Pollicitus esse*. Sic correxi vulgatum « pollicitum esse », ut Manutius et Lambinus voluere, et grammatica ratio postulat : « doctus homo... dicitur accessisse... eique pollicitus esse, etc. » aliter recte dici non potest : in *pollicitum* intelligere *dicunt*, in tali contextu, ineptum est. Ern.

4. *Negligenda est*. Schützius delevit *est*.

5. *Neque tamen ullam assequor laudem*. Tres Pall. tres Gallicani *nullam*. Hæreo utrum præferam. Gaut. — Frustra. Nihil dubii est.

quam, quod sapienter tacueris, laudare possunt. Hic quantum fit mali[6], si iratum, si non stultum, si non levem testem [7] læseris! Habet enim et voluntatem nocendi in iracundia, et vim in ingenio, et pondus in vita : nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi, et sæpe committunt. Quo quidem mihi videri turpius nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo, aut responso, aut rogatu, sermo ille sequitur, « Occidit ille ». — « Adversariumne? » — « Immo vero, aiunt[8], se, et eum, quem defendit ».

LXXV. Hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse : ego autem sæpissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos. (LXXV.) Quid? illud, quod supra dixi, solere me cedere, et, ut planius dicam, fugere ea, quæ valde causam meam premerent? quum id non faciunt alii, versanturque in hostium castris, ac sua præsidia dimittunt[1]; mediocriterne causis nocent, quum aut adversariorum adjumenta confirmant, aut ea, quæ sanare nequeunt, exulcerant? Quid? quum personarum, quas defendunt, rationem non habent? si, quæ sunt in his invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora faciunt; quantum in eo[2] tandem mali? Quid? si in homines caros, judicibusque jucun-

6. *Hic quantum fit mali.* Plerique ante Ernestium, « quantum sit ». *Fit* laudatur, inquit, pro Victoriana lectione : quam sibi dicit placere Pearcius, nec tamen in textum recepit. Immo sic est in edd. vett. omnibus, etiam Aldi, Juntæ, etc. Sic in MS E. et sine dubio vitio operarum *sit* in textum venit, quod pro lectione vulgata deinde fuit, et, ut sæpe factum in aliis, defensum est a severis criticis, qui a recepta lectione discedere nollent, nec vere receptam lect. tenerent. Ern.

7. *Non levem testem læseris.* Ex sqq. patet, intelligi testem gravem e dignitate. Ern.

8. *Aiunt* videtur delendum. Sch.

LXXV. 1. *Ac sua præsidia dimittunt.* Malim *omittunt :* non enim præsidia militum; exercitus, intelliguntur, quæ dimitti dicuntur; sed castra, munimenta, quæ omittuntur, i. e. relinquuntur. Sic cap. 72, « consistere in meo præsidio ». Ern.

2. *Quantum in eo.* Lall. « quantum est in eo ».

dos, sine ulla præmunitione orationis acerbius et contumeliosius invehare; nonne abs te judices abalienes? Quid? si, quæ vitia, aut incommoda sunt in aliquo judice uno, aut pluribus, ea tu, in adversariis exprobrando[3], non intelligas, te in judices invehi; mediocre peccatum est? Quid? si, quum pro altero dicas, litem tuam facias, aut læsus efferare iracundia, causam relinquas; nihilne noceas? In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia ego[4] causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor: ut, quum te ipsum, Sulpici, objurgabam, quod ministratorem[5] peteres, non adversarium. Ex quo etiam illud assequor, ut, si quis mihi maledicat, petulans, aut plane insanus esse videatur. In ipsis autem argumentis si quid posueris aut aperte falsum, aut ei, quod dixeris, dicturusve sis, contrarium, aut genere ipso remotum ab usu judiciorum ac foro; nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim sæpius), si possim, ut boni aliquid efficiam dicendo; sin id minus, ut certe ne quid mali.

LXXVI. (LXXVI.) Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo ante laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac locorum. Cujus ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum; altera,

3. *In adversariis exprobrando.* Si *in* genuinum est, notanda est forma loquendi « in aliquo quid exprubrare »; quam nuspiam notavi, aut notatam reperi; sed ego id delendum puto. Viciniæ præpositionis hujus ante et post, in fraudem induxit librarios, aut operas primas. ERN.

4. *Sed quia ego causam.* Schütsius delet *ego*.

5. *Ministratorem peteres, non adversarium.* E codicibus nostris. Alii, *administratorem;* alii, quod magis placet, *me oratorem.* J. V. L. — Ministrator is fuit, qui in eausis advocato sive patrono soleret subjicere ea, quæ pro reo dicenda essent. Sic in orat. pro Flacco, cap. 22: « Hic mihi Mæandrius, quasi ministrator, etc. » PEARC. — Minus pugnare contra adversarium clientis tui quam contra ejus defensorem videreris.

quæ oratorum judicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde, ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris præsidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus, hoc dicendi genus[1] natura ipsa præscribit. Ut vero statuamus, ea, quæ probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus[2]; id est vel maxime proprium oratoris prudentiæ. Multa enim occurrunt argumenta; multa[3], quæ in dicendo profutura videantur : sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint; partim, etiam si quid habent adjumenti, sunt nonnumquam ejusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo conjungatur. Quæ autem sunt utilia atque firma, si ea tamen, ut sæpe fit, valde multa sunt : ea, quæ ex iis aut levissima sunt, aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quam expendere.

LXXVII. (LXXVII.) Et quoniam, quod sæpe jam dixi, tribus rebus omnes[1] ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permovendo, una ex omnibus his rebus res[2] præ nobis est ferenda, ut nihil aliud, nisi docere velle videamur : reliquæ

LXXVI. 1. *Genus*. Schützius dat *generis*.

2. *Quemadmodum componamus*. Ed. W. *exponamus*. MS E. *componantur*. Ern.

3. *Multa, quæ in dicendo*. Schützius delet *multa*. Quod, inquit, abest in MSS Mag. teste Pearcio. Si retineas; illud, « quæ in dicendo profutura videantur », referendum est ad alia oratoris adjumenta, quæ non sunt in argumentis posita.

LXXVII. 1. *Omnes*. Fortasse legendum *homines*. Sch.

2. *Una ex omnibus his rebus res*. Sic ex edd. pr. dedimus pro vulgato *u. e. tribus*, etc. quod primum exstat Aldo editum, sed e MSS : nam sic

duæ, sicuti sanguis in corporibus, sic illæ in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt. Nam et principia, et ceteræ partes orationis, de quibus paullo post pauca dicemus, habere hanc vim magnopere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanare possint. Sed his partibus orationis, quæ etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo, et in perorando; degredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, sæpe utile est. Itaque vel narratione exposita[3], sæpe datur ad commovendos animos degrediendi locus[4]; vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest: eæque causæ sunt ad agendum[5] et ad ornandum gravissimæ atque plenissimæ, quæ plurimos exitus dant ad ejusmodi degressionem, ut his locis uti liceat, quibus[6] ani-

Erl. ceterum *rebus* aut *res* delendum est. Ern.

3. *Itaque vel narratione exposita.* Biga illa nostra duplex «itaque vel re narrata atque exposita», quomodo Lambin. Gaut. — Sic etiam MS E. quod melius Ernestio videtur.

4. *Degrediendi locus; vel argumentis.* Hic post *locus*, colon scribunt Manutius, Pearcius, recte si illa in sqq. «recte id fieri potest», sunt sine vitio: quod mihi non videtur. Est enim in hac structura valde dura et insolens oratio. Arbitror aut scribendum: «Et, si habet... dignitatem atque copiam, recte id fieri potest»; aut, quod malim: «si habet... ut id recte fieri possit». Ern. — Lamb. dedit: «eamque copiam, recte ut fieri possit».

5. *Ad agendum, et ad ornandum.* Lambinus et Robertus Stephanus impresserunt *augendum*, quomodo se habet MS Mead. Et recte quidem, ut opinor: loquitur enim Cicero de permovendis animis, quod fit augendo et amplificando. Pearcius. — Pearcius recepit *augendum*, et id sane sæpe in *agendum* est mutatum, ut supra vidimus exemplis. Sed tamen hic *agendum* locum habet, referturque ad *gravissimæ*, ut ornandum ad *plenissimæ*. Et Cicero alibi quoque hæc duo conjungit, ut pro L. Manil. 1. Ern. — Recte Pearcius *augendum* reposuit, frustra repugnante Ernestio. Sch.

6. *Quibus animorum impetus eorum.* Durum hoc: *animorum* mihi glossam olet.

morum impetus eorum, qui audiunt[7], aut impellantur, aut reflectantur.

Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quæ minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui[8], quando (id quod mihi numquam placuit) plures adhibent patronos, ut in quoque eorum[9] minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quæ non statim, ut dici cœpta est, melior fieri videtur. Ergo ut in oratore[10] optimus quisque, sic et in oratione, firmissimum quodque sit primum : dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quæ excellant[11], serventur etiam ad perorandum ; si quæ erunt mediocria, nam vitiosis nusquam esse oportet locum, in mediam turbam, atque in gregem conjiciantur. Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio : nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare, atque commune.

LXXVIII. (LXXVIII.) Principia autem dicendi semper quum accurata, et acuta, et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis

7. *Audiunt.* MS E. *audiant;* rectius, nam et alibi est, *qui audiant*, vel *audient*. Ern. — Schützius retinuit *audiunt* cum Guelf. 1, 2, 3.

8. *Qui, quando.* Sch. Lallem. Ern. « qui, si quando ».

9. *Ut in quoque eorum.* Codd. nostri 7702, 7703, « uti quemque eorum minimum ». Non male. J. V. L.

10. *Ut in oratore.* Schötz. corrigit « ut in oratoribus ». Sensus est, inquit, si plures oratores eamdem causam defendant, optimo cuique primum dicendi locum dandum esse.

11. *Excellant.* Schötzius dat *excellent* cum Guelf. 2, 3.

in principio, quæ continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet. In quo admirari soleo, non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; et ait idem, quum brachium concalefecerit[1], tum se solere pugnare : neque attendit, eos ipsos, unde hoc simile ducat[2], illas primas hastas ita jactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant, et reliquis viribus suis consulant. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non sæpe esse debeat : sed si in ipso illo gladiatorio vitæ certamine, quo[3] ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quæ non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur; quanto hoc magis in oratione exspectandum[4], in qua non vis potius, sed delectatio[5] postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum

LXXVIII. 1. *Quum brachium concalefecerit*. Non tacenda est lectio ed. W. « ii, quos Bacchus concalefecerit, tum se aiunt optime pugnare ». Sed ut sententia bona sit, tamen non consentit sequentibus, aut rei universæ. Simile quid est in MS E. « Bacchum quum calefecerit ». Ern.

2. *Unde hoc simile ducat. Simile*, etsi scio a Cicerone interdum sic in Rhetoricis dici, pro similitudine, tamen hic a suspicione glossæ non libero. Ern.

3. *Certamine, quo ferro decernitur. Quod* mallet Pearcius, cujus formæ sunt exempla quædam; sed libri nil juvant : nam edd. Victorii, Ascensii, Stephan. nihil hic valent : et nec verum est eas *quod* habere : nisi si Victoriana sec. sic habet, quæ non est in manibus. Ern. — Sch. tamen dedit *quod* cum Guelf. 2, 3, et MSS Mag. Norf. a Pearcio collatis.

4. *Exspectandum*. Schützius *spectandum*.

5. *In qua non vis potius, sed delectatio*. Insolentius hoc est : itaque Pearc. e suis MSS et Gruterianis, quibus Erl. consentit, dedit *quam* pro *sed*. Verum id est e correctione scribarum. Ego malim *potius* delere quod e *non vis* nasci potuit. Ceterum oratio hoc loco est pars, genus orationis, scil. exordiorum, in quibus non vis, sed delectatio quæritur, per quam auditores concilientur dicenti. Ern. — Schützius dat : « non vis, potius delectatio ». Sic, inquit, legendum esse vidit Heusingerus. Potest et *potius* postponi τῷ *sed*.

profundat, et quod totum repente evolet[6]: sic omnia[7], quæ fiunt, quæque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa prætexuit.

Hæc autem in dicendo non extrinsecus alicunde quærenda[8], sed ex ipsis visceribus causæ sumenda sunt. Idcirco tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum : sic et facile reperietur. Sumentur enim ex iis rebus, quæ erunt uberrimæ vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas dixi degredi sæpe oportere. Ita et momenti aliquid afferent, quum erunt pæne ex intima defensione deprompta[9], et apparebit ea non modo non esse communia, nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quæ tum agatur, effloruisse[10].

LXXIX. (LXXIX.) Omne autem principium aut rei

6. *Profundat, et quod totum repente evolet.* Pal. pr. et Memmian. *evolvat*, in quod inquirendum; nam et sec. habet *revolvat* et Pith. *evolvat.* GRUT.

7. *Sic omnia.* Non hic est comparatio, ut *sic* locum habere solito sensu possit : sed continuatur proposita sententia, exprimiturque positive, quod dictum erat negative. Itaque intelligendum est *adeo* pro quo quoque *sic* et *ita* dicuntur. Nam corrigere *sed* facile fuerit, eaque commoda sententia foret ; sed non est necesse. ERN.

8. *Extrinsecus alicunde quærenda. Aliunde* habent edd. pr. et MSS omnes; *alicunde* induxit Aldus. *Extrinsecus* et *aliunde* jungit, sed aliter Cicero ad Div. V, 13. Nam illo in loco sunt synonyma et in diversis formis dicta : « Non aliunde pendere, nec extrinsecus habere suspensas rationes bene maleque vivendi ». Sed hic debent verba sensu differre : quod tamen non est. Atque hoc motus videtur Aldus correxisse *alicunde*; sicut recte potuisset dici etiam *extrinsecus alicubi.* Igitur ad sensum *alicunde* melius esset, si modo constaret id e genuino sumptum, non ab Aldo factum, quod credo ; valdeque vereor, ne *aliunde* per glossam additum τῷ *extrinsecus* fuerit, et sic in textum venerit. Judicent acutiores. ERN.

9. *Deprompta... ea... communia.* Sic cum Pearclo edidimus pro « depromptæ... eæ... communes ». Intelligenda enim sunt, principia dicendi, exordia. Confusio orta videtur a præcedente verbo *rebus. Deprompta* quidem habet plane MS E. ERN.

10. *Ex ea causa, quæ tum agatur, effloruisse.* Ita Pall. omnes editioque Victorii : aliæ *defluxisse*, præter libros : nam Gallicani *et floruisse.* Sciendum tamen in Pal. pr. et sec. non comparere *quæ tum agatur*, poteratque abesse. GRUT.

totius, quæ agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et munitionem [1], aut quoddam ornamentum et dignitatem [2]. Sed oportet, ut ædibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione rerum præponere [3]. Itaque in parvis atque infrequentibus [4] causis ab ipsa re est exordiri sæpe commodius. Sed quum erit utendum principio, quod plerumque erit, aut ex reo, aut ex adversario, aut ex re, aut ex eis, apud quos agitur, sententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res est), quæ significent virum bonum, quæ liberalem, quæ calamitosum, quæ misericordia dignum, quæ valeant contra falsam criminationem; ex adversario, iisdem ex locis fere contraria; ex re, si crudelis, si infanda, si præter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quæ restitui sanarique non possit; ex iis autem, apud quos agetur, ut benivolos beneque existimantes efficiamus : quod agendo efficitur melius, quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam; sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. Nam et attentum monent Græci ut principio faciamus judicem, et docilem; quæ sunt utilia : sed non prin-

LXXIX. 1. *Munitionem.* Schützius dat *communitionem* cum MS Norf. edd. vett. Lamb. Steph.

2. *Quoddam ornamentum et dignitatem.* Suspicatus sum Ciceronem scripsisse *ad dignitatem :* ita venustius respondet priori *aditum ad causam :* et hanc per exordia, velut ornamenta, conciliari orationi vult Cicero cum aliis rhetoribus, sicut ornatæ fores dignitatem ædibus. Sed tamen video etiam « ornamentum et dignitatem » respondere posse verbis « aditum ad causam et munitionem ». Ernest.

3. *Præponere.* Gruteri amicus conjiciebat *præpollere ;* contra sententiam. J. V. L.

4. *Atque infrequentibus.* Per causas *infrequentes* intellige causas parum frequentatas, sive eas, quæ non tanti erant momenti, ut quam plurimi iis judicandis interesse solerent. Pearc. — Victor. « atque in frequentibus » ; alii « atque frequentibus », quod Strebæus interpr. levioribus, sæpius occurrentibus. Sch.

cipii magis propria, quam reliquarum partium; faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quæ in principiis, quam quæ in mediis causis dicuntur, aut arguendo, aut refellendo. Maxima autem copia[5] principiorum ad judicem aut alliciendum, aut incitandum, ex iis locis trahitur, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa: quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantum impelli primo judicem leviter, ut jam inclinato reliqua incumbat oratio.

Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharœdi prooemium affictum aliquod, sed cohærens cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri nolle videantur[6]. Atque ejusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur; sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint.

LXXX. (LXXX.) Narrare vero rem quod breviter jubent; si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat[1], brevis est L. Crassi oratio; sin tum[2] est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est; sed sæpe ob-

5. *Maxima autem copia... trahitur.* Schütz. dat cum Guelf. 1, «Maximam autem copiam... trahimus».

6. *Ut audientiam sibi fieri nolle videantur.* Sic ed. W. habet et MSS aliquot apud Gruter. et Pearc. quæ est vera lectio, habens sensum aptum rei propositæ. At aliæ edd. vett. et vulgg. habent *velle;* quæ lectio abhorrens est, et nullum sensum habet, qui rei conveniat. Nam «*audientiam sibi fieri velle*» est in laude; at hic reprehensio est vitiosi transitus. Ern.

LXXX. 1. *Redundat.* Alii, *redundet.*

2. *Sin tum.* Alii, *si tum.*

est vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quæ narrationis est maxima, ut jucunda, et ad persuadendum accommodata sit, tollit. Ut illa[3], « Nam is postquam excessit ex ephebis[4] », quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius, et servilis percunctatio, mors Chrysidis, vultus et forma, et lamentatio sororis, reliqua, pervarie jucundeque narrantur. Quod si hanc brevitatem quæsisset,

> Effertur, imus; ad sepulcrum venimus;
> In ignem posita est,

fere decem versiculis[5] totum conficere potuisset: quamquam hoc ipsum, « Effertur, imus », concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. Quod si nihil fuisset, nisi, « In ignem posita est »;

3. *Ut illa, Nam is postquam.* Sic videtur rescribendum ex literis ambiguis Pal. sec. ubi nimirum litera secunda ita expressa est, ut videri queat etiam *z*, unde natum illud vulgatum, « videlicet illa », quod solum tamen in pr. nam tert. et quart. quint. *vident illam*, emendatumque in altero *viden illam*. Sext. sept. oct. non habent *videant illam*, aut *illa;* emendatumque in uno « tollere videtur. Nam postquam », quod ipsum firmat illud nostrum *ut*, quod ob characteris secundi obscuritatem visum est quibusdam *z*, quibusdam *r;* ideoque inde factum *videtur* sive *videlicet*. Grut. — *Tollit. Ut illa... quam longa*, etc. Conjungenda sunt *illa narratio.* Edd. pr. *tolli videtur. Illa*, quod ita correxit Aldus: nam tolli alienum est. Ern.

4. *Ephebis.* Versus e Terentii Andria, I, 1, 24.

5. *Fere decem versiculis.* Est a Pal. octav. Nam pr. adhuc aberat *fere.* Vulgata « in his fere decem », quod et Lambino displicuit. Grut. — Ernest. dat « his fere decem verbis ». Edidimus, inquit, *verbis*, pro vulgato *versiculis*, et *his* ex edd. pr. quæ habent *in his decem. Verbis* a Cicerone scriptum esse, non *versiculis*, clarum est. Nam refertur non ad totam narrationem Terentii, sed ad compendium narrationis, quod præcedit. Id constat *novem*, i. e. *fere decem verbis*, quod librarii seu correctores non animadverterunt, sed retulerunt ad totum illud Terentianum, et ex *verbis* fecere *versiculis*. Ern. — Schützius dat solum *decem versiculis*. Sic, inquit, recte Guelf. 1. At Guelf. 2, 3, « in his fere decem versiculis ». Male Ernestius correxit: « his fere decem verbis ». Sensus enim est: si Terentius in narratione ubique hanc brevitatem quæsisset, quæ est in verbis « Effertur ... posita est », facile decem versiculis totam narrationem conficere potuisset, quæ nunc circiter xc versibus constat.

tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus; et est probabilius, quod gestum esse dicas, quum, quemadmodum actum sit, exponas, et multo apertius ad intelligendum est, si sic consistitur[6] aliquando, ac non ista brevitate percurritur. Apertam enim narrationem tam esse oportet, quam cetera[7] : sed hoc magis in hac elaborandum est, quod et difficilius est, non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando; et majore periculo hæc pars orationis obscura est, quam ceteræ; vel quia si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est; narratio obscura totam obcæcat orationem; vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius; narrationis unus est in causa locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur.

LXXXI. Sed quando utendum sit, aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est, nec si non dubium[1], quid gestum sit, narrari oportet, nec si adversarius narravit; nisi si refellemus. Ac, si quando erit narrandum, nec illa[2], quæ suspicionem

6. *Si sic consistitur aliquando.* Sic Victoriana, sed nihil variant Pall. quam quod pr. ac sec. excludant *si* habeantque « sic constituitur aliquando ». Ceteri firmant receptam lectionem, « si sic constituitur aliquando ». Lambinus reposuit e libris, ut quidem asserit, « si hic consistitur aliquamdiu ». In Pith. et Memm. erat « si constituitur aliquando ». Grut. — Schützius delet *sic*, suadente Heusingero.

7. *Quam cetera.* Sic edidimus pro vulgato *ceteras*. Edd. Med. et Venet. 1480 addunt *orationis partes*, quod recepit Peareius. Id supplementum sumptum est e sequentibus. Litera ultima adhæsit e verbo sequente. Ern.

LXXXI. 1. *Nec si non dubium.* Sic ex ed. s. l. et a. Lips. edit. W. et aliæ « nec si dubium »; unde Aldus fecit vulgatum *nec dubium*. Peareius edidit « nec si dubium ». Ern.

2. *Nec illa.* Sic edd. pr. « Ne illa » est ex Aldina, in qua vitio operarum

et crimen efficient, contraque nos erunt, acriter persequamur, et quidquid poterit, detrahamus: ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri putat, ut causæ noceamus, accidat. Nam ad summam totius causæ pertinet, caute, an contra, demonstrata res sit; quod omnis orationis reliquæ fons est narratio.

(LXXXI.) Sequitur, ut causa ponatur; in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causæ conjuncte, et infirmandis contrariis, et tuis[3] confirmandis. Namque una in causis ratio[4] quædam est ejus orationis, quæ ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confirmationem et reprehensionem quærit[5]; sed quia neque reprehendi quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco hæc et natura, et utilitate, et tractatione conjuncta sunt.

Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando judice, vel mitigando: omniaque quum superioribus orationis locis, tum maxime extremo, ad mentes judicum quam maxime permovendas, et ad utilitatem nostram vocandas, conferenda sunt.

LXXXII. (LXXXII.) Neque sane jam causa videtur esse, cur secernamus ea præcepta, quæ de suasionibus[1] tradenda sunt, aut laudationibus: sunt enim pleraque communia. Sed tamen suadere aliquid,

litera *c* excidisse videtur: quamquam sic est in MS E. et fortasse etiam in aliis. Ern.

3. *Et tuis confirmandis.* Addunt *argumentis* tres codd. nostri. Ern.

4. *Namque una in causis ratio.* Unum argumentum ex quo omnia argumenta quasi e fonte deriventur.

5. *Quærit.* Hujus verbi sensus paullo inusitatior est: valet certe h. l. *parit, gignit.*

LXXXII. 1. *Suasionibus tradenda sunt.* Hæc pertinent ad genus deliberativum.

aut dissuadere, gravissimæ mihi videtur esse personæ. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus; et honesti, et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit.

Atque hæc in senatu minore apparatu agenda sunt: sapiens enim est consilium[2]; multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio[3]. Concio capit omnem vim orationis, et gravitatem, varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius[4], quam dignitas[5]. Nam qui utilitatem putat[6], non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, præsertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem : sed vincit utilitas plerumque, quum subest[7] ille timor, ea neglecta, ne dignitatem quidem posse retineri. Controversia autem inter hominum sententias, aut in illo est, utrum sit utilius; aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum honestati potius, an utilitati consulendum sit. Quæ quia pugnare sæpe inter se videntur, qui utilitatem defen-

2. *Sapiens enim est consilium.* Hæc insititia puto, et e scholio orta. Ern.

3. *Ingenii ostentationis suspicio.* Vulgo « ingenii ostentationisque suspicio ». Optimi quique dicendi et sentiendi magistri præceperunt, ut vitaremus suspicionem jactationis et ostentationis. Nullibi vero, nisi in hoc loco, præceptis traditur, ut vitanda sit « suspicio ingenii ». Immo nisi *ingenio* excellere videamur, parum proderit nostra oratio. Optime igitur Manutius et Lambinus legunt « vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio ». Nec aliam exhibent lectionem MS Pall. pr. et sec. Memm. Pith. Joan. Harl. 1 et a pr. manu Norf. Hoc quidem dignum Cicerone præceptum videmus, idemque præcipit Quintil. lib. III, cap. 1 : « In ceteris admiscere tentavimus aliquid nitoris, non jactandi ingenii gratia, etc. » Pearc. — MS E. et duo apud Grut. « ingeniis ostentationis ».

4. *Nihil est optabilius.* I. e. magis deligendum et sequendum. Ern.

5. *Dignitas*, ut digne loquaris, et digna republica suadeas.

6. *Utilitatem putat.* Quia sequitur « n. q. m. v. suasor », intelligendum est de rhetoris opinione. Ern.

7. *Quum subest ille timor.* Sic Sch. Lallem. Ernest. sic et vett. edd. Habet editio, quam sequimur, *abest*, operarum vitio.

dit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, [pecuniæ[8]], vectigalium, præsidii militum[9] utilitates, et ceterarum rerum[10], quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellit, majorum exempla, quæ erunt vel cum periculo gloriosa, colliget; posteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse conjunctam. Sed quid fieri possit, aut non possit, quidque etiam sit necesse, aut non sit, in utraque re maxime est quærendum. Inciditur enim omnis jam[11] deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur; et qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit. Ad consilium autem de republica dandum, caput est, nosse rempublicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis : qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est sæpe mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiæ, tamen quia summa dignitas est populi, gravissima causa reipublicæ, maximi motus multitudinis : genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur : maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnumquam aut cohortatione, aut commemoratione aliqua, aut in spem, aut in metum, aut ad cupiditatem, aut ad glo-

8. *Pecuniæ.* Abest hoc Gu. 1, Heusingero probante, unde Schützius delevit : abest et cod. Reg. 7702 a J.V.L. collato. — Vox *pecuniæ* non est in ullo e nostris quatuor. GRUT.

9. *Præsidii militum.* Sic habent edd. pr. omnes sine interpunctione, quam addidit Aldus, neque enim intelligi potest quid sit *præsidium*, si a militibus sejungatur : quamquam locus mihi suspectus est. ERN. — An legi possit : « vectigalium præsidia, m. utilitatis » ?

10. *Utilitates, et ceterarum rerum.* Ernest. uncis inclusit *utilitates.* Spurium visum Lambino et postea Seb. ejectum. Habent omnes MSS nostri, atque addunt *et*, quod vulgo abest. J. V. L. — *Et* adest quoque in ed. W. teste Ernestio, unde ille magis apparere dicebat spurium esse *utilitates.*

11. *Omnis jam deliberatio.* Schützius delet *jam* cum Guelf. 1.

riam concitandos, sæpe etiam a temeritate, iracundia, spe, injuria, invidia, crudelitate revocandos.

LXXXIII. (LXXXIII.) Fit autem, ut, quia maxima quasi oratori scena videatur concionis [1], natura ipsa ad ornatius[2] dicendi genus excitetur. Habet enim multitudo vim quamdam talem, ut quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator, sine multitudine [3] audiente, eloquens esse non possit. Et quum sint populares [4] multi variique lapsus [5], vitanda est acclamatio adversa populi : quæ aut orationis peccato aliquo excitatur, si aspere, si arroganter, si turpiter, si sordide, si quoquo animi vitio dictum esse aliquid videatur; aut hominum offensione vel invidia, quæ aut justa est, aux ex criminatione atque fama; aut res si displicet; aut si est in aliquo motu suæ cupiditatis aut metus multitudo : hisque [6] quatuor causis totidem medicinæ opponuntur : tum objurgatio [7], si est auctoritas; tum admonitio, quasi lenior objurgatio; tum promissio, si audierint, probaturos; tum deprecatio; quod est infimum [8], sed nonnumquam utile. Nullo autem loco [9] plus facetiæ prosunt, et cele-

LXXXIII. 1. *Scena videatur concionis*. Sic edd. et MS E. pro *concio*, quod est ab Aldo. Schütz. dat : « scena videatur concio, concionis, etc. » Utrumque, inquit, servandum esse docuit Heusingerus ad Ciceronem, Off. III, 6, 8.

2. *Natura ipsa ad ornatius. Ipsa*, id est, sua sponte. Ed. W. non habet *ad*. Paullo post, pro *excitetur*, MS E. habet *excitemur*. Ern.

3. *Sine multitudine*. Schützius dedit « nisi multitudine » cum Guelf. 1, 2. Sic et tres MSS Regii a J. V. L. collati. Idem sensus.

4. *Et quum sint populares*. Hunc locum interpunctione faciliorem fecimus lectori, ut illæ quatuor causæ offensionis facilius agnoscantur et distinguantur. Ern.

5. *Lapsus* est mutatio animorum popularium, quasi animi audientium e manu oratoris elabantur.

6. *Hisque*. Schützius delet *que* cum Guelf. 1.

7. *Objurgatio, si est auctor*. Qualis est Cic. pro Rab. cap. 6. Ern.

8. *Quod est infimum*. Aut *remedium* intelligendum est e verbo *medicina*, aut ad genus totum referendum. MS E. *infirmum*. Vide ad Orat. in fine. Ernest.

9. *Nullo autem loco*. Sic primus Aldus edidit : sed, ut opinor, e MS.

ritas[10], et breve aliquod dictum, nec sine dignitate, et cum lepore. Nihil enim tam facile, quam multitudo, a tristitia, et sæpe ab acerbitate, commode, ac breviter, et acute, et hilare[11] dicto deducitur.

LXXXIV. (LXXXIV.) Exposui fere, ut potui, vobis in utroque genere causarum quæ sequi solerem, quæ fugere, quæ spectare, quaque omnino in causis ratione versari. Nec illud tertium laudationum genus est difficile, quod ego initio quasi a præceptis nostris secreveram : sed et quia multa sunt[1] orationum genera, et graviora, et majoris copiæ, de quibus nemo fere præciperet, et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Græci, magis legendi, et delectationis[2], aut hominis alicujus ornandi, quam utilitatis hujus forensis causa, laudationes scriptitaverunt; quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander aliique laudantur : nostræ laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam, aut scribuntur ad funebrem concionem, quæ ad orationis laudem[3] minime accommodata est. Sed

Nam sic est in Erl. superiores habent *nonnullo;* in quo si est aliquid veri, id factum est e *non ullo*, ut supra. ERNEST.

10. *Et celeritas.* Aptius forsan « et hilaritas ». SCH.

11. *Et hilare.* Codd. nostri 7702, 7703, « ad hilaritatem ». Unde legendum suspicor, « commode, ac breviter, et acute dicto ad hilaritatem deducitur ». J. V. L.

LXXXIV. 1. *Sed et quia multa sunt.* Series orationis requirit *essent.* ERN. — *Essent* dedit Schützius.

2. *Magis legendi, et delectationis.* Revocavi quod erat in Pall. et Gall. omnibus, item editione prima. Sequentes « qui delectationes, etc. » GAUT.— Fortasse verum « magis legendi delectationis » ; ut alibi est « audiendi delectatio », Offic. I, 105. SCH.

3. *Ad orationis laudem.* Suspicor scribendum esse « ad oratoris laudem » : saltem sic est intelligendum. Nam sensus est : ex orationibus vel laudationibus, quæ in funeribus habeantur, oratori non tantam laudem esse sperandam, quantam ex orationibus quæ in foro, aut in curia dicantur. ERN. — Cod. 7703, *oratoris.* J. V. L.

tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnumquam etiam scribendum[4], velut P. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Lælius[5], vel ut nosmet ipsi, ornandi causa, Græcorum more, si quos velimus, laudare possimus; sit a nobis quoque tractatus is locus.

Perspicuum est igitur, alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiæ, ceteraque quæ fortuna det[6], aut extrinsecus, aut corpori, non habent in se veram laudem; quæ deberi virtuti uni putatur : sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus hæc sunt naturæ et fortunæ bona; in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se prætulisse aliis propter abundantiam fortunæ; ut opes et copiæ non superbiæ videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. Virtus autem, quæ est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes; quarum alia est ad[7] laudationem aptior. Sunt enim aliæ virtutes, quæ videntur in moribus hominum, et quadam comitate ac beneficentia positæ; aliæ, quæ in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, justitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus,

4. *Nonnumquam etiam scribendum.* Suspicor excidisse *ad.* Sensus est : interdum nobis est utendum hoc genere etiam ad scribendum, non modo ad dicendum. Tum illud *vel ut*, pro quo est etiam in libris *velut*, non placet : videturque *vel* e superioribus repetitum.

5. *P. Tuberoni... Lælius.* Scilicet laudatio hæc pronuntiata est apud populum a Tuberone, sed composita fuerat a Lælio.

6. *Quæ fortuna det.* Schutz. « quæ fortuna dat ».

7. *Quarum alia est ad laudationem.* Pearcius edidit « alia est alia », quod est usitatius : sed et illud rectum. Ern. — Schutzius cum Lallem. Pearcium sequutus est.

jucunda est auditu in laudationibus : omnes enim hæ virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent[8], quam generi hominum, fructuosæ putantur. Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanæ[9] tenues et pro nihilo putantur, et in excogitando vis quædam ingenii, et ipsa eloquentia, admirationis habet non minus, jucunditatis minus : ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos[10] laudamus, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando jungenda sunt etiam hæc genera virtutum : ferunt[11] enim aures hominum, quum illa, quæ jucunda, et grata, tum etiam illa, quæ mirabilia sunt in virtute, laudari.

LXXXV. Et quoniam singularum virtutum sunt certa quædam officia ac munera, et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude justitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum ejusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res gestæ ad cujusque virtutis genus, et vim, et nomen accommodabuntur. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quæ suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac præmio : quæ vero etiam cum labore et periculo ipsorum,

8. *Qui eas in se habent.* Pearcius omisit *in se*, ut olim Lambinus ; absuntque e MSS nonnullis, in his Erl. Ego non imitor. Est enim phrasis Ciceroniana « in se habere aliquid », et tum de personis, tum de rebus dicitur.

9. *Qua omnes res humanæ tenues.* Dicto *geruntur*, quam alii post *humanæ* inculcant, non visitur in Pith. et Memor. Memmii : et vero punctis subducta est in Pal. sext. habent tamen reliqui præter pr. et sec. in quibus præmittitur, « sine qua omnes res humanæ tenues, etc. » quod factum videtur, quod non assequerentur auctoris sententiam, quæ probe tamen procedet sine illo *geruntur*. Gaut.— Vulgati interponunt *geruntur* post *humanæ*, quod jam Lambinus omisit, et nuper Pearcius : rectissime abestque a MSS nonnullis, ut Erl. Mirandum est hoc vitium tamdiu toleratum esse. Ern.

10. *Quam illos, apud quos laudamus.* In quatuor nostris illis non reperies hæc verba et sane satis subintelliguntur ob præcedentia. Gaut.

11. *Ferunt enim aures.* Pro vulgato *feriunt*, ut jam correxit Victorius, ediditque Pearcius. Ed. W. hoc voluit dare, sed operæ fecerunt *fuerunt* : habet autem MS E. Ern.

hæc habent uberrimam copiam ad laudandum; quod et dici ornatissime possunt, et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur præstantis viri, quæ est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa, aut periculosa, aut certe gratuita. Magna etiam illa laus[1], et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis[2] præmia, res gestæ, judiciis hominum comprobatæ; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium judicio tribui, laudationis est. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præstabiles, aut novitate primæ, aut genere ipso singulares : neque enim parvæ, neque usitatæ, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignæ videri solent. Est etiam cum ceteris præstantibus viris comparatio in laudatione præclara. (LXXXV.) De quo genere libitum est mihi paullo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam.

Jam vituperandi præcepta contrariis ex vitiis sumenda esse, perspicuum est : simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie[3] et copiose laudari, sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari, sine vitiorum cognitione, satis insignite atque aspere

LXXXV. 1. *Magna etiam illa laus.* Schützius delet *illa* cum Guelf. 1, 3.

2. *Virtutis præmia. Virtutis* Pearcius defendit adversus Lambinum, qui correxerat *virtuti*. SCH.

3. *Proprie et copiose laudari.* Id est, satis accommodate ad ejus personam, ut agnosci et ab improbis discerni posset, ut post insignite vituperari. ERN.

posse. Atque his locis et laudandi et vituperandi sæpe nobis est utendum in omni genere causarum.

(LXXXVI.) Habetis, de inveniendis rebus, disponendisque quid sentiam. Adjungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem, neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam, nisi ea, quibus[4] hæc exornentur.

LXXXVI. — Perge vero, inquit Crassus : libenter enim te cognitum jam artificem, aliquandoque evolutum[1] illis integumentis dissimulationis tuæ, nudatumque perspicio; et quod mihi nihil, aut[2] quod non multum relinquis, percommode facis, estque mihi gratum. — Jam istuc[3] quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo; sin dissimulare, tu quemadmodum his satisfacias, videris.

Sed, ut ad rem redeam, non sum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriæ, malim; gratiamque habeo Simonidi illi Ceo[4], quem primum ferunt artem memoriæ protulisse. Dicunt enim, quum cœnaret Cranone[5] in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quod[6] multa ornandi causa, poetarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium ejus ei, quod pactus esset, pro illo carmine,

4. *Quibus hæc.* Quatuor codd. nostri « quibus rebus hæc ». J. V. L.

LXXXVI. 1. *Evolutum. Evelatum* Guelf. 3, ed. Omnib. SCH.

2. *Aut quod non multum.* Guelf. 1 « aut non multum ». SCH.

3. *Jam istuc.* Schütz. *jam istud.* — *Vere agere.* H. e. rem vere aggredi et fidem tuam explere. Gallice : *agir en conscience.*

4. *Simonidi illi Ceo.* Ita recte emendatum ab Hadr. Junio, Centuria III, adagio 71. Antea erat *Chio.* GRUT.

5. *Cranone.* Al. male, *Crannone.*

6. *In quod multa.* Lall. Sch. Ern. « in quo multa ».

daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos æque laudasset, peteret, si ei videretur. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret; juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent; surrexisse illum[7], prodisse, vidisse neminem; hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum oppressum cum suis interiisse; quos quum humare vellent sui, neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscujusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriæ lumen afferret. Itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quæ memoria tenere vellent, effingenda animo, atque in his locis collocanda : sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret; res autem ipsas rerum effigies notaret, atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur[8].

LXXXVII. (LXXXVII.) Qui sit autem oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere? tenere quæ didiceris in accipienda causa, quæ ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatum? ita audire vel eum, unde discas[1], vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas ora-

7. *Surrexisse illum.* Vulgati addunt *ipsum ;* quod est alienissimum : absetque a MSS nonnullis, etiam Erl. Delevere ante Steph. Lamb. Peare. Ern.

8. *Simulacris . . . uteremur.* De arte illa memoriæ instruendæ vide lib. III ad Herenn. in fin.

LXXXVII. 1. *Vel eum, unde discas.* Sic ed. W. non *dicas*, ut ceteræ, quod est alienum, et sic MS E. et alii apud Peare. Ern. — Interpretes volunt verba « unde dicas » significare « pro quo dicas » : sed nullibi, ut opinor, occurrit apud Ciceronem ista locutio. Malo quidem cum MSS Joan. Harl. 1, Norf. Mag. et excerptis Nov. et vett. libris Caroli Stephani legere « unde discas », quæ lectio procul du-

tionem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sint[2], quid responderint, quid supersit; iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. Quare confiteor equidem, hujus boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante loquutus sum, omnium: sed hæc ars tota dicendi, sive artis imago quædam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cujus in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quæ sunt orta jam in nobis et procreata, educet atque confirmet. Verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordinem verborum aut sententiarum complectatur; neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adjuvetur.

Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis effingi[3] nostris, quæ essent a sensu tradita atque impressa; acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi: quare facillime animo teneri posse ea, quæ perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res cæcas, et ab adspectus judicio remotas, conformatio quædam, et imago, et figura ita notaret, ut ea, quæ

bio Ciceroniani coloris est. Pearc.— *Dicas* Guelf. 2, 3, Victor. Sch.

2. *Quomodo dicturi sint*. Sic ed. W. MS E. recte; idque perspexit jam et in MSS reperit Pearcius. Ern.

3. *Animis effingi nostris*. Pearcius e MS Harl. 2 et add. Asc. Stephan. et Lamb. edidit *affigi*; pro qua mutatione admodum disputat: sed non ausus sum imitari, quia sensus non incommodus ex vulgatis exsistit sic: earum maxime rerum imagines perspicuas facile exsistere in animis, quæ sensibus sint perceptæ, ut res ipsas intueri videamur: quia ergo sensus oculorum acerrimus, propterea, etc. Ern. — Schützius Pearcium sequitur. Al. e codd. nostris *affingi*. J. V. L.

cogitando complecti non possemus[4], intuendo quasi teneremus. His autem formis atque corporibus[5], sicut omnibus, quæ sub adspectum veniunt[6], admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est : etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis; imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quæ occurrere, celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit; ex qua consuetudo gignitur; et similium verborum[7] conversa et immutata casibus[8], aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine, totius sententiæ informatio, pictoris cujusdam summi[9] ratione et modo, et formarum varietate locos distinguentis[10].

4. *Non possemus.* Schützius cum Vict. Msn. Lamb. et Guelf. 1, 2, 3, «vix possemus».

5. *His autem formis atque corporibus.* Intellige, formis corporeis. Ern.

6. *Quæ sub adspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur ; sed locis opus est.* Primum edd. pr. omnes habent « sed locis opus est », pro quibus Aldus dedit « sedes opus est ». Ea lectio videtur facta esse a libris, in quibus esset omissum « in locis », ut in MS E. qui habet « sed opus est ». Locorum verbum proprium est in hac re. Deinde in edd. pr. post *veniunt*, hæc adduntur, « admonetur memoria nostra atque excitatur », deinde sequitur, « sed locis opus est ». Ea quare omissa sint, non video : nec videntur spuria esse. Neque enim sine his intelligitur satis, quare addatur : « sicut omnibus, quæ sub adsp. veniunt ». Ergo restituimus. Ern. — Sch. simpliciter dedit cum Aldo et Pearcio « quæ sub aspectum veniunt, sedes opus est ». Verba « admonetur... excitatur » absunt tribus Guelf.

7. *Et similium verborum.* Hoc conjungitur cum *exercitatio*. Sensus est : per etymologiam, quæ est *notatio*, vel nominis ipsius, vel conjugati alicujus, a quo facilius reperiatur imago. Ratio est, quia omnia verba, ab origine prima rem corpoream et sensibilem exprimunt, unde imago duci potest. Ern.

8. *Conversa et immutata casibus.* Est a quatuor nostris, neque aliter Lambinus : vulgata *conservata*, etc. Gruт.

9. *Pictoris cujusdam summi.* Quare addatur *summi*, non video. Cogitavi *summa*. Ecce sic habet MS E. Ern.

10. *Locos distinguentis.* Hæc nobis maxime obscura sunt, hanc artem memoriæ apud Veteres florentem ignorantibus : quæ quidem ars locum solis conjecturis reliquit.

LXXXVIII. (LXXXVIII.) Sed verborum[1] memoria, quæ minus est nobis necessaria[2], majore imaginum varietate distinguitur[3]: multa enim sunt verba, quæ, quasi articuli, connectunt membra orationis, quæ formari similitudine[4] nulla possunt; eorum fingendæ nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris : eam singulis personis bene positis[5] notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego summos homines, et divina prope memoria, Athenis[6] Charmadam, in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque, tamquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quæ

LXXXVIII. 1. *Sed verborum memoria*, etc. Ut hunc locum intelligamus, observandum est *imagines* aliud quiddam significare ac simulacra et similitudinem. Non enim necesse est, ut *imagines* semper similes sint iis rebus, quas ad memoriam adjuvandam repræsentant. Dicit igitur Antonius, multa verba, ut adverbia, præpositiones, similitudine nulla significari posse. Si igitur eorum meminisse velimus, necesse est in promptu habere quam plurimas quasi arbitrarias imagines, quæ, quamvis nihil simile habeant, longo tamen usu perceptæ ea verba, quibus opus est, ob oculos nostros ponant. Hanc autem veram esse interpretationem confirmant verba Quint. lib. II, cap. 2 : « Mitto, quod quædam (verba) nullis simulacris significari possunt; habeamus enim sane, ut qui notis scribunt certas imagines omnium, etc. » Pearc.

2. *Quæ minus est nobis necessaria.* Nempe, quia verba sunt in potestate oratoris, et, quum res subeat, facile occurrunt. Ern.

3. *Distinguitur.* Fortasse *definitur.*

4. *Quæ formari similitudine*, etc. Nempe quia sunt modo relationes, et res exprimunt quæ intelligi modo possunt. Ern.

5. *Singulis personis bene positis.* Personæ in hoc loco significant imagines, facies fictas. Sic Lucret. I, 4, v. 29. Pearc. — Hoc quid sit, disce ad Herenn. III, 20. Ern.

6. *Charmadam.* Vulgatum *Charmidem* primum editum est in ed. Gron. pro *Carneadem*, quod habent omnes edd. superiores, ex conjectura Salmasii et Jonsii, nempe ex Orat. 16, ubi editur *Charmidam;* sed etiam MSS quidam habent *Charmadam.* Est idem nomen. Itaque et hic et in Orat. *Charmadam* dedimus. Ern.

meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis; sed certe, si latet, evocanda est[7].

(LXXXIX.) Habetis sermonem bene longum hominis, utinam non impudentis[8]: illud quidem certe non nimis verecundi; qui quidem, quum te[9], Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum ætas minus me fortasse movere debuit. Sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quæ causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

LXXXIX. — Nos vero, inquit Catulus (etenim pro me hoc, et pro meo fratre respondeo), non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus, magnamque tibi habemus gratiam; et quum humanitatem et facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam et copiam. Equidem etiam hoc me assequutum puto, quod magno sum levatus errore, et illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam[1], unde esset illa tanta tua in causis divinitas: nec enim te ista attigisse arbitrabar, quæ diligentissime cognosse, et undique collegisse, usuque doctum partim correxisse video, partim comprobasse. Neque eo minus eloquentiam tuam, et multo magis[2] virtutem et diligentiam admiror; et simul

7. *Evocanda est.* Dicit J. V. L. ex h. l. concludi non debere veteres oratores orationes suas integras memoria tenuisse, et ut ante scriptæ fuerant recitavisse; deque hac opinione conferri jubet secundum dialogum de Eloquentia, in nostri Fenelonis operibus.

8. *Impudentis : illud quidem certe non nimis verecundi.* Sic interpungendum est, si « illud quidem » locum habere debet: sed id ego mallem deleri, et scribi : « hominis, utinam non impudentis, certe non nimis verecundi ». Ern.

9. *Quum te.* Sic Guelf. 1, 2, 3, probante Heusingero. Sch. — Ernest. reposuit *tum te* ex ed. W. ut mollius.

LXXXIX. 1. *Quod multis cum aliis semper admirari solebam.* Hoc forte interpolatori tribuendum. Sch.

2. *Et multo magis.* Schütz. « sed multo magis ».

gaudeo, judicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiæ laudem et eloquentiæ sine summo studio, et labore, et doctrina, consequi posse. Sed tamen quidnam est id, quod dixisti[3], fore, ut tibi ignosceremus, si cognossemus, quæ te causa in sermonem impulisset? Quæ est enim alia causa, nisi quod nobis, et horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere voluisti?

— Tum ille, Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso volui, quem ego paullo[4] sciebam, vel pudentius, vel invitius (nolo enim dicere de tam suavi homine fastidiosius), ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? consularem se esse hominem et censorium? Eadem nostra causa est. An ætatem afferet? Quadriennio minor est. An se nescire? Quæ ego sero, quæ cursim arripui, quæ subsicivis operis[5], ut aiunt, iste a puero, summo studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit : etenim me dicentem qui audierit, nemo umquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius, aut eodem modo se posse dicere; Crasso dicente, nemo tam arrogans, qui similiter se umquam dicturum esse confideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus.

XC. (xc.) — Tum ille, Ut ita ista esse concedam, inquit, Antoni, quæ sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie, aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines,

3. *Id, quod dixisti*. Schützius delet *id*. Sic, inquit, Guelf. 1, Guelf. 2, « quod tu dixisti » Heusingero placebat « quid est, quod dixisti ». Sch.

4. *Paullo sciebam*. Al. MSS « paullo ante sc. » J. V. L.

5. *Subsicivis operis*. Ita Pall. septem, nisi quod sext. *subsitivis*. At pr. et sec. « sibi .se civi », Pith. et Memmii chartaceus *subsicivi*, quod videtur Gulielmio tale fuisse, ut super eo amplius quærendum censeret. Grut.

quod sentio : sæpe ego doctos homines, quid dico sæpe? immo nonnumquam; sæpe enim, qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde umquam diutius, quam quæstor abfuerim? sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem, doctissimos viros, et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum[1], quum de his ipsis rebus disputaret : neque vero mihi quisquam copiosius umquam visus est, neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio prætermissum; non essem tam inurbanus, ac pæne inhumanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem.

— Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi ejus distinctionem atque ornatum relinqueret? — Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut et partes faceret, et, utram vellet, prior ipse sumeret? deinde, si ego recte intellexi, quum valde libenter audirem, mihi conjuncte est visus de utraque re dicere. — Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit, neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipsum invenit. — Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit. — Tum Cæsar, Si, quod difficilius est, id tibi reliquit; est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus : sin, quod facilius; tibi causa non est, cur recuses. — Et Catulus, Quid, quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem tuam[2] putas pertinere? — Tum Cotta ridens, Possem

XC. 1. *Istum ipsum Scepsium Metrodorum.* De quo paullo ante Antonius, cap. 88, pag. 313.

2. *Ad fidem tuam*, etc. Schützius delet *tuam* cum Guelf. 2, 3, probante Heusingero.

tibi, inquit, Crasse, concedere : sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis. Opus hoc censorium est : id autem committere, vide[3] quam sit homini turpe censorio.

— Agite vero, ille inquit, ut vultis : sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo, et requiescendum : post meridiem, si ita vobis est commodum, loquemur aliquid; nisi forte in crastinum differre mavultis.

Omnes se[4] vel statim, vel, si ipse post meridiem mallet, quam primum tamen audire velle dixerunt.

3. *Vide quam sit.* Schützius dat « vides q. sit » cum Guelf. 1, Joan. Nov. Wag.

4. *Omnes se vel statim.* Habent nonnullæ edd. « omnes si vel statim », puto operarum vitio.

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Tertii libri procemium, L. Licinium Crassum, subita morte vix decem diebus post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur, exstinctum, reliquorumque virorum, qui tum cum eo postremum fere colloquuti erant, tristes horribilesque casus deplorat, cap. 1-4.

Sequitur Crassi disputatio, de ornamentis orationis totaque elocutione. In qua primum docet, neque verborum ornatum inveniri posse, non partis sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum, cap. 5, 6.

Deinde breviter exponit, quid sentiat de universo genere dicendi. Nimirum esse, ut in ceteris artibus, sic in eloquentia multa genera inter se dissimilia, neque tamen non laudanda. Quare si non omnia, quæ propositurus sit, ab auditoribus probentur, cogitandum esse, id a se genus exprimi, quod maxime sibi ipsi probetur, cap. 7-9.

Optimum deinde dicendi modum hoc requirere demonstrat, ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id quodcumque agetur, apte congruenterque dicatur. De latine loquendi ratione agitur cap. 10-12; de plana dictione, cap. 13. Sequitur locus de ornate dicendo : ubi primum Crassus a proposito degressus docet, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi olim a Græcis uno sapientiæ nomine conjunctam fuisse, a Socrate autem sapienter sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohærentes, primum esse separatas, unde discidium illud linguæ et cordis exstiterit, absurdum et inutile, et reprehendendum, ut alii juvenes sapere, alii dicere solerent. Perfecto oratori tamen aut Aristotelicam, aut Academicam philosophiam complectendam esse, cap. 14-19. Neque vero absterrendos esse eloquentiæ studiosos nimia philosophiæ difficultate. Omnes enim artes aliter ab iis tractari, qui eas ad usum transferant; aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sint aliud acturi, cap. 20-23. Jam docet, ad ornate dicendum primum apparatu rerum opus esse, cap. 24; tum orationem genere pri-

mum et quasi colore quodam et succo suo ornari, genusque dicendi eligendum esse, quod non delectet solum, sed etiam sine satietate delectet, cap. 25, 26: summam vero laudem esse eloquentiæ, amplificare rem ornando; ornatissimas autem orationes esse, quæ a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferant et convertant, cap. 27-31. Inde rursus degreditur disputatio ad laudandos Græcos veteres, qui sapientiam ab eloquentia haud sejunxerint, c. 32-35; a qua degressione Crassus per Cottam et Sulpicium revocatus, cap. 36, pergit de ornatu orationis præcipere. Et primo quidem de ornatu orationis ex singulis verbis agit: in quo verba propria, prisca, nova; translata denique spectantur, c. 37-42. Deinde de ornatu ex continuatione verborum; ubi primum agitur de collocatione, cap. 43; deinde de numero oratorio, cap. 44-51; postremo de ornatu ex figuris verborum et sententiarum, cap. 52-54.

Sequitur locus de apte dicendo, sed breviter tractatus, c. 55.

Ultimo autem loco Crassus de actione disputat, cap. 56 sqq. et primum quidem de pronuntiatione, cap. 56-58; tum de gestu, cap. 59; postremo de voce, cap. 60.

In clausula totius libri gratias Crasso Catulus agit, et quum generi sui Hortensii mentionem fecisset, hujus eloquentiam Crassus laudat, Cottamque et Sulpicium cohortatur, ut omni studio elaborent, ne ab illo adolescente, qui eorum ætati succrescit, superentur.

M. T. CICERONIS

AD Q. FRATREM

DIALOGI TRES

DE ORATORE.

DIALOGUS, SEU LIBER TERTIUS.

I. INSTITUENTI mihi, Quinte frater, eum sermonem referre, et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi, morte exstincta subita est, vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die[1], vehementer com-

I. 1. *Extremo scenicorum ludorum die.* Eo enim tempore colligendi sui causa Crassus cum Antonio reliquisque in Tusculanum se receperat. Per *scenicos ludos* Romanos intellige, ut ex primo libro palam est: qui et Circenses et Magni appellati. Hosce a regibus institutos scribit Asconius, et *magnos* appellatos, quod magnis impensis primum facti, id est, ducentis millibus nummum; vel quia diis magnis sacri, id est, Laribus urbis Romæ. Eosdem cum Consualibus facit; quod videtur etiam indicare S. Cyprianus lib. de Spect. «Romulus, inquit, Conso, quasi consilii deo, ob rapiendas Sabinas, Circenses primus consecravit». Tamen ex veteri calendario diversis temporibus celebratos illos ludos colligimus. Nam Consualia XII kalendas septembr. vel potius XVIII Augusti, hoc est, XV kal. septembr. ut docet Plutarchus in Romulo. Raptus, inquit ille, patratus est die sextilis, qui nunc Augustus, in quo Consualia hodie quoque celebrantur. Jam vero in eodem kalendario ludi Romani leguntur, pridie nonas septembres. Quod autem non nemo ludos illos magnos, seu Romanos a Tarquinio in-

motus ea oratione, quæ ferebatur habita esse in concione a Philippo; quem dixisse constabat, videndum sibi aliud esse consilium[2], illo senatu se rempublicam gerere[3] non posse : mane idibus septembris, et ille, et senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit. Ibi quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. Hic[4], ut sæpe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut numquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum judicatum[5] audivimus[6], ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem se-

stitutos asserit, siquidem primitus ab eo factos intelligat, non obscure errat, quum Livius, lib. I, contrarium asserat his verbis : « Ludos opulentius instructiusque, quam priores reges fecit, etc. » Ceterum quum ante hi ludi *Circenses* essent, hoc est, gladiatorii, atque a *scenicis* distinguerentur, postea etiam factos scenicos, et ex hoc loco colligitur, et Augustinus etiam indicat lib. I de Civitate dei, cap. 32. Celebrabantur hi ludi primo quidem uno vel altero die : tum tridno; deinceps pluribus diebus. PETAV. — De ludis scenicis vid. Epp. Fam. VII, 1.

2. *Aliud esse consilium.* Per vocem *consilium*, pro qua alii edidere *concilium*, intellige cœtum, vel congregationem, sive eos qui consulunt, non id quod consulentes sequuntur. PEARC.

3. *Gerere.* Ed. pr. *regere* mutatione solemni. J. V. L.

4. *Hic, ut sæpe inter h. s. c. vidi, quamquam hoc Crasso, q. a. a. d. semper fere contigisset.* Schützius dat, ordine verborum mutato : « Hic, quamquam hoc inter homines s. c. vidi, Crasso, q. a. a. d. semper fere contigisset ». *Hic* h. l. videtur esse adverbium : alias durius exsisteret anacoluthon.

5. *Esse tum judicatum.* Sic ed. W. quam sequutus est Aldus et inde alii : et ed. s. l. et a. cum sequentibus addit *audivi;* quod interea sequutus sum, dum melius quid reperiatur : quia hæc pendent a *quamquam*, et verbum finitum desiderant, nec *vidi* hic intelligi potest. Sensit hoc P. Manutius, qui correxit *est;* quod sequerer, si libri juvarent. MS tamen Erl. habet *ee̅t*. Libri meliores sunt exspectandi. Verba in principio *ut... vidi*, pertinent ad primam partem, « quamquam... putaretur ». ERN.

6. *Audivimus.* Hic licet per MSS nostros, vel delere *ut*, ante « sæpe inter homines », vel addere *audivimus*, quod habet cod. 7703. Hoc prætulimus. J. V. L.

natus; cujus ordinis a consule, qui quasi parens bonus, aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis : neque vero esse mirandum, si, quum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret [7]. Hic quum homini et vehementi, et diserto, et in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, et graviter exarsit, pignoribusque ablatis [8] Crassum instituit coercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur [9], quum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset : « An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris [10], eamque in conspectu populi

7. *Consilium senatus a rep. repudiaret.* Formam hanc dicendi esse insolentiorem omnes vident. Edd. pr. ante Aldum habent *reipublicæ*, unde suspicor verbum *senatus* esse spurium et a glossa natum : sed concinne ista sibi respondent : « consiliis rempublicam profligare, et consilium reipublicæ repudiare » : mox forte melius, « sed graviter exarsit ». Ern. — Schütz. dat *in republica*.

8. *Pignoribusque ablatis.* Val. Maximus, lib. VI, c. 2, dicit Philippum consulem jussisse lictorem manum L. Crasso injicere. Ille consul jubendo bona Crassi fisco addici, decrevit eum multare; *pignora* vero ea, quæ sic a magistratu caperentur, et auferrentur, dicebantur fuisse *concisa* vel *cæsa*, ut in sequentibus patet. Proust. — Videtur ea fuisse consuli vel illi qui senatui præerat auctoritas, ut eum senatorem corripi juberet, a quo deliberatio perturbaretur. Quum olim Cato totum diem peroraret, ne decretum quoddam a senatu ferretur, Cæsar consul eum in carcerem duci jussit; sed quum senatores omnes extemplo oratorem in carcerem secuturi assurgerent, Cæsar Catonem inviolatum reliquit (Agell. IV, 10). De multis quæ ob easdem causas senatoribus imponerentur, et de pignoribus de quibus hic agitur, vid. Philipp. I, cap. 5, et Agell. XIV, 7.

9. *Divinitus d. efferebantur.* Venit mihi, hæc primum legenti *ferebantur*. Post vidi, qui corrigerent « esse ferebantur », quod languidius est. Si vulgatum verum est, intelligendum *laudabantur*; non cum Pearcio « e senatu efferebantur, quum sibi illum consulem ». Nec enim ista clam erant habenda. Ern.

10. *Pro p. putaris.* Secutus sum Pall. duos et Gallicanos totidem : quamvis sic quoque editum a Manutio et Lambino : priores enim « propugnare putares, eamque, etc. » Gaut. — Intellig. Philippum non minus auctoritatem senatus quam Crassi bona delevisse.

rom. concideris; me his pignoribus[11] existimas posse terreri? Non tibi illa sunt concidenda[12], si Crassum vis coercere : hæc tibi est excidenda[13] lingua; qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit ».

II. (II.) Permulta tum vehementissima contentione[1] animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat; sententiamque eam[2], quam senatus frequens sequutus est ornatissimis et gravissimis verbis, « Ut populo romano satisfieret, numquam senatus neque consilium reipublicæ, neque fidem defuisse », ab eo dictam; et eumdem (id quod in auctoritatibus præscriptis[3] exstat) scribendo adfuisse. Illa tamquam cycnea[4] fuit

11. *Me his pignoribus*. Sic omnes edd. vett. rectissime. Male vulgati *meis*.

12. *Sunt concidenda*. Sic ex edd. pr. restitui, pro *cædenda*, quod est ab Aldo. « Cædere pignora » dicitur illud quidem, sed hic venustius sibi respondent *concidenda* et *excidenda*. Ern. — Schützius dat *cædenda* cum Guelf. 1, 2, 3. — *Illa*, scilicet mea bona.

13. *Excidenda*. Palat. pr. sec. *incidenda :* neque aliter Memmii membranaceus, neque improbem. Gaut. — Sic dedit Schützius cum Guelf. 1.

II. 1. *Contentione*. Edd. pr. quædam *concitatione*, quod prope magis placet vulgato. Ern. — *Contentione* Guelf. 1, 2, 3. Sch.

2. *Sententiamque eam, quam*. In senatusconsultis ejus nomen, qui sententiæ princeps esset, inscribebatur: quod ex Cicerone et Asconio constat. Factum esse idem Athenis ex Demosthene colligimus et ex Plutarcho. Petav.

3. *Auctoritatibus præscriptis*. Vulgo *perscriptis*, quod etiam sine libris corrigi debebat. Est ab Aldo : superiores omnes et Lips. *præscriptis*. Vid. Clav. in *præscribere*. Ern. — Petavius qui legebat *perscriptis* sic explicat : Auctoritates hic pro decretis seu senatusconsultis ne simpliciter acceperis : nam aliud auctoritas vocatur, aliud senatusconsultum fuit, ut erudite Sigonius observavit ad IV Livii. Nam senatusconsultum magis ratum erat, quam auctoritas. Si enim vel senatorum numerus justus defuisset, vel magistratus intercessisset; decretum quidem perscribebatur, ut senatorum de ea re judicium exstaret: nondum tamen ratum erat, sed auctoritas tantum dicebatur. Idipsum fiebat, si vel non idoneo tempore, vel non legitimum in locum senatus convocaretur: quæ omnia diserte explicat Dio, l. IV. — Si hæc vera sunt, sensum non vidit intp. gallicus, qui vertit, « ce qu'attestent encore les registres ».

4. *Cycnea... vox*. Græcum proverbium κύκνειον μέλος. De cycnorum cantu nota fabula est : quam tamen

divini hominis vox et oratio, quam quasi[5] exspectantes[6], post ejus interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consequutum esse audiebamus : ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit, dieque septimo lateris dolore consumptus est[7]. O fallacem hominum spem[8], fragilemque fortunam, et inanes nostras contentiones[9] : quæ in medio spatio sæpe franguntur et corruunt, et[10] ante, in ipso cursu, obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam, quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta[11], tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit, quam fructu amplitudinis, aut reipublicæ dignitate[12]. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione[13] aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is ejus omnem spem atque omnia vitæ consilia morte pervertit. Fuit hoc

asseverare non dubitat Aristoteles, de Hist. Anim. IX, 16. Idem habet Plato in Phædone. Nam quid poetas commemorem, apud quos nihil est frequentius? sed fabulosum hunc esse cantum existimat Plinius, X, 23. Pet.

5. *Quam quasi*. Schützius reponit « quem quasi », dicens *quam* ineptum esse ad sensum.

6. *Exspectantes*. Lambin. *respectantes*.

7. *Lateris dolore consumptus est*. Schützius : « lateris est dolore consumptus ». Guelf. 1, 2, Victor. « est lateris dolore cons. »

8. *O fallacem hominum spem*. Sic exclamat Bossuetius noster, *Oraison fun. de Henriette Anne d'Angleterre* : « O vanité ! ô néant ! ô mortels ignorants de leur destinée ! »

9. *Et inanes nostras contentiones*. In hac sententia Cicero dicit *cogitationes*, ut pro Mil. cap. 34, ubi pariter sunt « cogitationes inanes » : atque sic h. l. scripsisse arbitror, quia sequitur « ante obruuntur, quam portum conspicere potuerunt ».

10. *Et ante*. *Aut ante* habent edd. vett. quod recepit Pearcius, non bene, ut arbitror, quia ista non sunt diversa. Ern.

11. *Vita districta*. Edd. ante Aldum *distracta*. Ern.

12. *Aut reipublicæ dignitate*. Id est, dignitate e republica bene gesta. Ern.

13. *Ab honorum perfunctione*. I. e. a consulatu, in quo est finis honorum. Vide Clav. h. v. Ern. — At vertit interpres gallicus, « at l'année

luctuosum suis, acerbum patriæ, grave bonis omnibus; sed ii tamen rempublicam casus sequuti[14] sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam[15], non ardentem invidia senatum[16], non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiæ[17], non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum ejus cædem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset.

d'après sa censure ». Quod verum mihi videtur. Nam et ab extremo secundi libri capite vides censorem fuisse Crassum.

14. *Ii remp. casus sequuti.* Id est, insequuti sunt, afflixere; sed mihi tamen hoc durius videtur, malimque corrigere vel *reipublicæ* vel *in republica*. Ern.

15. *Flagrantem bello Italiam.* Bellum sociale intelligit, de quo Appianus, lib. I de Bell. civilibus, et alii. Concitatum autem est post Drusi mortem, quoniam Latini socii oblatam sibi spem civitatis impetrare non poterant. Petavius.

16. *Ardentem inv. senatum.* Quanam invidia? ejusdem, opinor, criminis, quod scelus nefarium subinde vocat. Sollicitati scilicet ad defectionem latini nominis. De quo ita Appianus: « Sublato per insidias Druso, qui Latinos ad spem civitatis impulerat; equites, ut senatum ulciscerentur, Q. Valerium, vel potius, ut latini scriptores appellabant, Varium, tribunum plebis subornant, qui rogationem ferret ad populum, de iis quorum ope et consilio Latini socii concitati essent (in quo lapsus erat Strebæus, qui quæstionem illam contra Italos exercendam esse dicit), qua per vim lege lata, constitutaque quæstione, multis statim ex senatoribus diem dixerunt. Quam ut infamiam fugerent, sponte urbe cessere plerique; interque alios Aurelius Cotta, et eversor ille Corinthi Mummius ». Nisi forte aberravit in hoc quoque vocabulo Appianus, atque ut antea Valerium Vario, ita hic Memmio substituit Mummium. Facti mox populum pœnituit. Ὅ τε δῆμος ἤχθετο, τοιῶνδε καὶ τοσῶνδε εἰργασμένων ἀνδρῶν ἀθρόως ἀφαιρούμενος. Ubi pro τοσῶν corrigendum videtur τόσα, ut stet sententia. Populus vero dolebat, talibus viris, quique tantas res egerant, simul omnibus spoliatus. Petavius. — Ad istas quæstiones sæpe respicit auctor ad Herennium in exemplis tum quarti libri, tum aliis, ubi in eos invehitur, qui bellum externum in patriam suam conflaverunt. Et hunc certe Ciceronis locum expressit in Agricola Tacitus, sæpius quam multi putant, imitator.

17. *Non luctum filiæ.* Filia Crassi insignis erat ingenio, ut videas e Bruto, cap. 58. Nupta fuerat Scipioni

III. (III.) Sed quoniam attigi cogitatione vim varietatemque fortunæ, non vagabitur oratio mea longius, atque eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre cœpimus, continentur. Quis enim non jure beatam L. Crassi mortem illam, quæ est a multis sæpe defleta, dixerit, quum horum ipsorum sit [1], qui tum cum illo postremum fere colloquuti sunt, eventum recordatus. Tenemus enim memoria [2], Q. Catulum, virum omni laude præstantem, quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. Jam M. Antonii in his ipsis rostris [3], in quibus ille rempublicam constantissime consul defenderat, quæque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Julii caput, hospitis Etrusci [4] scelere proditum, cum L. Julii fratris capite

Nasieæ cognomine *Serapioni*, nepoti P. Cornelii Scipionis *Corculi*.

III. 1. *Quum horum ipsorum sit*, etc. Ferre possem abesse *quum*, item *sit*. Glossam certe resipere videntur. Grut.

2. *Tenemus enim memoria*. Clarissimorum deinceps hominum necem atrocissimam proponit; eorum dumtaxat, qui in hoc dialogo inducuntur. In primis Catuli, qui Marii in consulatu collega, Cimbrici triumphi particeps fuit. In illa vero Mariana flamma multis nequidquam mortem illius deprecantibus, quum hoc solum Marius responderet, moriendum illi esse; recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit. Hæc Valerius Maximus, lib. IX, cap. 12, præter supra citatos auctores. Petav.

3. *Jam M. Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rempublicam*. De hujus obitu adeundi iidem. Auget autem πάθος a loco. Hoc facit illud Juvenalis, Sat. X, 121: « nec umquam Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli ». Petav.

4. *Ab eo C. Julii caput, hospitis Etrusci scelere proditum*, etc. Eodem tempore duo fratres C. et L. Julii Cæsares Sullam sequuti, in via deprehensi trucidantur. Auctor est Appianus. Fugerant in tectum hospitis sui natione Etrusci, et homini perfido se commiserant. Detexit hospites; capita amputata, a Mario in rostris posita. Locus, scelus hospitis, fratrum communis calamitas hic eiet affectum. Sunt qui L. Cæsarem domi interfectum ferant; quibus consonat illud Justini: « Cæsar et Fimbria in Penatibus domorum suarum trucidantur ». Strebæus.

jacuit : ut ille, qui hæc non vidit[5], et vixisse cum republica pariter, et cum illa simul exstinctus esse videatur. Neque enim propinquum[6] suum, maximi animi virum, P. Crassum, suapte interfectum manu, neque collegæ sui[7], pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestæ respersum esse vidit; cui mœrori (qua mente ille in patriam fuit) etiam C. Carbonis[8], inimicissimi hominis, eodem illo die mors nefaria fuisset. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus. Ex quibus C. Cotta[9], quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus ejectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiæ flamma fuisset, quibuscum privatus conjunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate; cui quidem ad summam gloriam eloquentiæ[10]

5. *Qui hæc non vidit.* Fortasse *viderit.* Ern.

6. *Neque enim propinquum suum, maximi animi virum*, etc. Crassus, inquit Appianus, persequentibus eum filio sese militibus, filium quidem occidere antevertit; ipse vero ab insequentibus est occisus. Videtur tamen falsus Appianus : vel quia de tanto viro nimium est atrox illud; vel quia nulla hujus rei a Cicerone facta mentio est : quod certe, ad augendum πάθος, non erat omissurus; vel denique quoniam contrarium a Floro traditur. In primis lib. III, cap. 21, Crassos patrem et filium in mutuo alterum alterius aspectu occisos ait. Sed idem epitome l. LXXX. Crassus, inquit, filius ab equitibus Fimbriæ interemptos, pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit : quod postremum et verisimilius, et Ciceroni consentaneum. Petav.

7. *Neque collegæ sui, pont. max.* Mucium Scævolam intellige, qui a Mario juniore cæsus est. De quo Florus, lib. III, cap. 21. Petav.

8. *Etiam C. Carbonis.* Marianorum hic signifer ex Africa a Pompeio Romam ductus, et tribunali productus, quum ter consulatum gessisset, damnatus ab eodem est. Petav.

9. *Ex quibus C. Cotta.* Hic in gravi illa senatorum invidia ab equitibus concitata, die sibi dicta, postquam in equites gravissime est invectus, solum vertit. Sulpicius vero trib. plebis fuit turbulentissimus, qui nefarias leges in gratiam Marii per vim tulerat, primoque in urbem adventu Sullæ est interfectus. Meminerunt supra dicti auctores. Petav.

10. *Eloq. florescenti.* Credo Cic.

florescenti, ferro erepta[11] vita est, et pœna temeritatis non sine magno reipublicæ malo constituta. Ego vero te, Crasse, quum vitæ flore, tum mortis opportunitate[12], divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror: nam tibi aut, pro virtute animi constantiaque tua, civilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut, si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te funerum patriæ spectatorem coegisset; neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam propter admixtam civium cædem, bonorum victoria mœrori fuisset.

IV. (IV.) Mihi quidem, Quinte frater, et eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quæ nosmet ipsi, ob amorem in rempublicam incredibilem et singularem pertulimus ac sensimus, cogitanti, sententia sæpe tua vera ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos, tamque præcipites casus clarissimorum[1] hominum atque optimorum virorum, me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti. Sed quoniam hæc jam neque in integro[2] nobis esse possunt, et summi labores nostri, magna compensati gloria, mitigantur; pergamus ad ea solatia, quæ non modo sedatis molestiis, jucunda, sed etiam hærentibus, salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum ac pæne postremum memoriæ prodamus; atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro ta-

scripsisse «efflorescenti». Quomodo syllaba exciderit, facile intelligitur a peritis talium rerum. Ernest. — Quæ conjectura displicet J. V. L.

11. *Ferro ereptu.* Pith. et Mem. *excepta*, cui scripturæ alludit Pall. sec., in quo *errepta*. Gaut.

12. *Quum vitæ flore, tum mortis opportunitate.* Sic et Tacitus loco jam designato: «tu vero felix Agricola, non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis».

IV. 1. *Clarissimorum hominum.* Forte delendum est *hominum*: sic I, 45: «amplissimus quisque et clarissimus vir». Sch.

2. *In integro.* Alii codd. *integra.* J. V. L. — Int. quoniam jam non nobis licet hac de re deliberare, qui rempublicam jamdiu capessimus.

men studio, meritam gratiam debitamque referamus.

Neque enim quisquam nostrum, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen majus quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. Quod item nos postulamus non a te quidem, qui nobis omnia summa[3] tribuis, sed a ceteris, qui hæc in manus sument, ut majus quiddam de L. Crasso, quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. Nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus, et quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias hujus disputationis tradidisset (quo in genere[4] orationis utrumque oratorem cognoveramus), id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi, aut Antonium jejuniorem, aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est; is erit ex iis, qui aut illos non audierint, aut judicare non possint[5]. Nam fuit uterque, ut exposui antea, quum studio atque ingenio et doctrina præstans omnibus, tum in suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret.

V. (v.) Ut igitur ante meridiem discesserunt, paullulumque requierunt, in primis hoc a se Cotta animadversum esse dicebat, omne illud tempus meridia-

3. *Omnia summa*. Sic edd. vett. et MS E. non « summa omnia », et hoc ordine Cicero solet dicere. Ern.

4. *Quo in g*. Hæc melius, immo necessario parenthesi solvenda sunt. Nam « id ipsum » respondet vv. « quo in g. »

5. *Audierint... possint*. Al. « audierit... possit ». Sed ut bene se habeat sententia, et ad normam linguæ latinæ procedat, necesse est legere cum MSS Cant. « audierint... possint ». Quum enim præcesserit, « is erit ex iis, qui aut illos », recte sequitur « non audierint, aut judicare non possint ». Facile fieri potuit, ut litera *n* a librariis omitteretur, quum linea brevi supra vocalem docta exprimi soleret. Pearc. — Cui Ernest. assentitur, dicitque *audierint* esse in ed. Lips.

num Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse, seseque, qui vultum ejus, quum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset, atque in maximis causis sæpe vidisset, tum dedita opera[1], quiescentibus aliis, in eam exhedram[2] venisse[3], in qua Crassus lectulo posito recubuisset, quumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumptas. Deinde quum omnes, inclinato jam in pomeridianum[4] tempus die, venissent ad Crassum, Quid est, Crasse, inquit Julius, imusne sessum[5]? etsi admonitum venimus te, non flagitatum. — Tum Crassus, An me tam impudentem esse existimatis, ut vobis hoc præsertim munus putem diutius posse debere[6]? — Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media silva placet? Est enim is maxime et opacus, et frigidus. — Sane, inquit Crassus: etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni. Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur, et ibi magna cum audiendi exspectatione considitur.

(VI.) — Tum Crassus, Quum auctoritas atque amicitia vestra, tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi

V. 1. *Tum dedita opera.* Intellig. consulto.

2. *Exhedram.* Id est, locum triclinio et cœnaculo similem: ubi non lecti ad dormiendum, sed sedes aut cathedræ ad sedendum, vel recumbendum otii causa apponerentur. De exhedris sic Vitruvius, lib. V, cap. 11: « constituantur in tribus porticibus exhedræ spatiosæ, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedere possint ». Prasc.

3. *Venisse*, etc. Sic edd. pr. omnes, it. MS E. et pendet ex *seseque*. *Venisset* est vitium Aldinæ. Ern.

4. *Pomeridianum.* Hoc mollius vulgato « postmeridianum », et ipsi Ciceroni in oratore probatum. Sic et Pearcius. Ern.

5. *Imusne sessum.* Intell. ad disputandum, quod vel sedendo, vel inambulando fiebat. Ernest. — Alludi puto ad judicia, aut curiam. Gallice : « allons-nous prendre séance? »

6. *Posse debere.* Pearcius mavult *deberi*, non male; sed potest *me* intelligi, quod et paullo ante præcessit

in optima mea causa libertatem recusandi : quamquam in partienda disputatione nostra, quum sibi de iis, quæ dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret; ea divisit, quæ sejuncta esse non possunt. Nam quum omnis ex re atque verbis constet oratio; neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris. Ac mihi quidem veteres illi, majus quiddam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest; qui omnia hæc, quæ supra et subter, unum esse, et una vi atque una consènsione naturæ constricta esse dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut, quo cetera si careant, vim suam atque æternitatem conservare possint.

VI. Sed si hæc [1] major esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi, est etiam illa Platonis [2] vera, et tibi, Catule, certe non inaudita vox, omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri : ubi enim perspecta vis est rationis ejus, qua causæ rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. Sed si hoc quoque videtur

VI. 1. *Sed si hæc*. Sic ed. W. et de posterioribus plures; quod et sensus et periodus sequens requirit : deinde colon post *comprehendi*. Sic et MS E. Vulgo « sed hæc ». Ern.

2. *Est etiam illa Platonis*. In meo exemplo Aldino *etiam* vir doctus correxit *tamen*, ut placet Pearcio, quod nec necessarium est, nec placet; etsi periodus sequens sic structa est. *Homines* non intelligit omnes, sed, more vulgari loquendi, plerosque; nempe qui non sunt subacti subtilitate philosophiæ. Ern. — Apud Platonem sæpius sophistæ de rerum natura disputantes, res omnes unum quiddam esse contendunt, ut in Parmenide. Privatim vero quod ad scientias pertinet, affines illas esse, et naturali vinculo constrictas, sapientiamque ex omni-

esse altius, quam ut id nos, humi strati, suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus.

Una est enim, quod et ego hesterna die dixi, et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia, quascumque in oras disputationis regionesve delata est. Nam sive de cæli natura loquitur, sive de terræ, sive de divina vi, sive de humana, sive ex inferiore loco[3], sive ex æquo, sive ex superiore, sive ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet, sive ut reflectat, sive ut incendat, sive ut leniat, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive[4] secum, rivis est diducta oratio, non fontibus[5]; et, quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. Sed quoniam oppressi jam sumus opinionibus, non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum, qui, quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa et quasi discerpta contrectant; et qui, tamquam ab animo corpus, sic a sententiis verba sejungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest: non suscipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur; tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non partitis[6] expressisque sen-

bus conflatam tamquam partibus, in Epinomide fusius disserit. Petav.

3. *Sive ex inferiore loco.* Tria præcipua loca distinguit, e quibus dicere solebant oratores. In forensibus controversiis, accusator ac defensor subselliis considebant, hoc est, inferiori loco: in senatu, ex æquo loco dicebant: e superiore magistratus, qui ad populum pro Rostris conciones habebant. Petav.

4. *Sive secum.* Hoc ab interpolatore adjectum videtur. Sch.

5. *Rivis est diducta oratio, non fontibus*, etc. Ex iisdem fontibus manat, quamquam in varios rivos diducatur.

6. *Non partitis expressisque sententiis, neque*, etc. Id est, distinctis et perspicuis absolutisque. Ernest. — Schutzius dicit *partitis* hoc loco alienum esse, legitque *partis.*

tentiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum. Sed priusquam illa conor attingere, quibus orationem ornari atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

VII. (VII.) Natura nulla est[1], ut mihi videtur, quæ non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quæ tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quæ, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia sæpe, ut id, quod proximum audias, jucundissimum esse videatur; et oculis colliguntur pæne innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent; et reliquos sensus voluptates oblectant[2] dispares, ut sit difficile judicium excellentis maxime suavitatis. At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus[3], qui omnes inter se dissimiles fuerunt; sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturæ, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et, si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum,

VII. 1. *Natura nulla est.* Generalem disputationem præmittit de eloquentiæ, et oratorum in dicendo varietate. Summa autem hæc est. Quum una eademque sit ars dicendi, admirabilem tamen esse in eadem arte dissimilitudinem, pro eo quod alius alio in genere excellit: quod primo sensuum exemplo probat, qui quum singuli unum quiddam sint, variis tamen rebus afficiuntur, quæ natura dispares, delectatione sunt non minus diversæ. Idem in fingendi et pingendi arte declarat. PETAV.

2. *Oblectant.* Sic ed. W. et Ald. pro vulgato *oblectent*, recte. Nam et ante indicativi sunt. Sic et MS E. ERN.

3. *Myro, Polycletus, Lysippus.* Operæ pretium est videre quemadmodum eumdem locum tractet Quintilianus, lib. XII, c. 10; quæque de statuariis habeat Plinius, lib. XXXV, c. 9, ubi prolixe admodum insignium sculptorum meminit. PETAV.

et tamen verum[4], quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quæ quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii[5] vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius, Attiusque dissimiles; quam apud Græcos Æschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par[6] pæne laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid[7] intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit: quis eorum non egregius? tamen quis cujusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lælius, asperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum: quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps.

VIII. Sed quid ego vetera conquiram, quum mihi liceat uti præsentibus exemplis atque vivis? Quid jucundius auribus nostris umquam accidit hujus oratione Catuli? quæ est pura sic, ut latine loqui pæne solus videatur; sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic judicare soleo,

4. *Et tamen verum.* Schützius hoc delevit, suadente Gœrenzio ad Cicer. Acad. II, 12.

5. *Ut alii vituperandi.* Pearcius conjicit *ulli*, aut *aliqui*. Ern. — Lambinus dedit: «alii laudandi, alii vituperandi».

6. *Quamquam omnibus par.* Lamb. *quamque*: sed bene quod ipse fatetur factum a se libris omnibus reclamantibus; sane Palatinis septem; nam pr. et sec. ut et Pith. Memmii membranaceus hic tacent, mutili usque ad caput infra 28. Grut.

7. *Quid intersit.* Excidisse videtur «ut intelligatis». Sch.

quidquid aut addideris, aut mutaveris, aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. Quid noster hic Cæsar? nonne novam quamdam rationem attulit orationis, et dicendi genus induxit prope singulare? Quis umquam res, præter hunc, tragicas pæne comice[1], tristes remisse, severas hilare[2], forenses scenica prope venustate tractavit, atque ita, ut neque jocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? Ecce præsentes duo prope æquales Sulpicius et Cotta: quid tam inter se dissimile? quid tam in suo genere præstans? Limatus alter et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis, hæret in causa semper; et, quid judici probandum sit, quum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis, in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis, et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

IX. (IX.) Ad nosmet ipsos jam revertor; quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis judicium vocaremur: quid tam dissimile, quam ego in dicendo et Antonius? quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse præstantius; ego autem[1], quamquam memet mei

VIII. 1. *Tragicas pæne comice.* Hæc etsi etiam Nonius Marcellus, cap. 11, agnoscit, vix tamen genuinum est, quum idem deinde aptius significetur verbis «forenses prope scenica venustate». Sch.

2. *Tristes remisse, severas hilare.* Pearcius mavult, «tristes hilare, severas remisse», non male; sed vulgatum etiam ferri potest, et fortasse exquisitius est. Ern.

IX. 1. *Ego autem*, etc. Laborant in h. l. Lambinus et Pearcius. Et sententia, ut textus est, non sane satis constat. Mihi venit in mentem, transpositionem esse factam. Fac periculum at verba: «quid tam dissimile... Antonius?» pone post *conjungar*, et vi-

pœnitet, cum hoc maxime tamen in comparatione conjungar. Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, præmunitum et ex omni parte causæ septum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate. Nos autem, quicumque in dicendo sumus, quoniam esse aliquo in numero vobis videmur, certe tamen ab hujus multum genere distamus; quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit: sed tamen dissimilitudo intelligi potest, et ex motus mei mediocritate, et ex eo, quod, quibus[2] vestigiis primum institi, in iis fere soleo perorare, et quod aliquanto me major in verbis et in sententiis eligendis, quam eum[3], labor et cura torquet, verentem, ne, si paullo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione et silentio fuisse videatur. Quod si in nobis, qui adsumus, tantæ dissimilitudines[4], tam certæ

de, an sic constet sensus, et apte cohæreat oratio. Mihi quidem videtur.

2. *Quibus vestigiis primum institi.* Hæc non translato, sed proprio sensu intelligenda sunt: nempe Crassus non multum se commovebat in dicendo; Antonius vero, ut mos erat plerisque oratoribus, in Rostris vehementer incedebat, nec idem vestigium servabat.

3. *Me major in verbis et in sententiis eligendis, quam eum, labor.* Ern. dat: « me major in verbis quam in sententiis eligendis labor », deletque « quam eum »; sic, inquit, primus edidit Aldus, idque cum Peareio facile probavi, quia e sequentibus patet in verbis tantum plus laborasse Crassum. Ed. a. l. et a. et Lips. pro vulgato « quam eum » habent « quam Antonium ». Ern. — Schutzius non solum delet « quam eum », sed etiam « quam in sententiis »: hæc, inquit, inculcata sunt a glossatore, qui vellet explicari vim comparativi *major*, nesciretque hunc referri ad Antonium, q. d. « et quod aliquanto me major », quam Antonium in verbis eligendis labor et cura torquet. Sch. — Mihi videtur vulgata servari posse. *Sententiis* enim non idem sonat ac *rebus*. Sententiæ hic sunt res quæ ab elocutione formam acceperunt.

4. *Tantæ dissimilitudines.* Vel ad-

res cujusque propriæ, et in ea varietate fere melius a deteriore, facultate magis[5] quam genere, distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est : quid censetis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt oratores, amplecti voluerimus? nonne[6] fore, ut, quot oratores, totidem pæne reperiantur genera dicendi?

Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si pæne innumerabiles sint quasi formæ figuræque dicendi, specie dispares, genere laudabiles; non posse ea, quæ inter se discrepant[7], iisdem præceptis, atque in una institutione[8] formari. Quod non est ita; diligentissimeque hoc est eis, qui instituunt[9] aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cujusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos, dissimiles inter se, attamen laudandos[10]; quum ad cujusque naturam institutio doctoris accommodaretur. Cujus est vel maxime insigne illud exemplum (ut ceteras artes omittamus), quod dicebat Isocrates, doctor singula-

dendum vel intelligendum est *sunt.* MS E. « dissimilitudinis causa certæ ».

5. *Facultate magis.* Sensus est : quum dicimus alium oratorem meliorem esse, alium deteriorem, eo judicio non significamus illius oratoris genus dicendi potius esse quam hujus; in dispari etiam genere possunt esse æque laudabiles : sed intelligi volumus illum oratorem facultate excellere, id est, plus in suo genere valere, quam hunc in eo quod sibi proprium habet. Pearc.

6. *Nonne fore.* Sic edd. ante Aldum omnes. Recte. Sic et MS E. Vulgatum *numne* ab Aldo est. Ern.

7. *Discrepant.* Scribe *discrepent.* Ernest.

8. *In una institutione.* Ed. s. l. et a. Med. Asc. 2, Ald. Junt. *disputatione*, quod a superiori verbo *disputatione* ortum videtur. Ern.

9. *Qui instituunt aliquos.* Forte melius *alios.* Ern.

10. *Dissimiles inter se, attamen laudandos.* Placet lectio, « ac tamen laudandos », quam Gœrenzius ad Cic. Fin. II, 27, e cod. MS prætulit. Idem illi præferendum videtur, cap. 18, in verbis « inane, jejunum, attamen ejusmodi », nec habeo cur repugnem, etsi h. l. *attamen* facile defendi potest. Sch.

ris, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere: alterum enim, exsultantem verborum audacia, reprimebat; alterum, cunctantem et quasi verecundantem, incitabat. Neque eos similes effecit inter se; sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

X. Hæc eo mihi prædicenda[1] fuerunt, ut, si non omnia, quæ proponerentur a me, ad omnium vestrum studium, et ad genus id, quod quisque vestrum in dicendo probaret, adhærescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur.

(x.) Ergo hæc et agenda sunt ab oratore, quæ explicavit Antonius, et dicenda quodam modo. Quinam igitur dicendi est modus melior (nam de actione post videro), quam ut latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque dicamus? Atque eorum quidem, quæ duo prima dixi, rationem non arbitror exspectari a me, puri dilucidique sermonis: neque enim conamur docere eum dicere[2], qui loqui nesciat; nec sperare[3], qui latine non possit, hunc ornate esse dicturum; neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur hæc, quæ cognitionem[4] habent facilem, usum necessarium: nam alterum traditur literis, doctrinaque puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat: quod videmus ita esse necessarium, ut

X. 1. *Prædicenda*. Tres nostri MSS *prædicunda*. J. V. L.

2. *Docere eum dicere*. Schützius, « dicere eum docere ».

3. *Nec sperare*. Lambinus, « nec speramus ».

4. *Cognitionem*. Sic, non *cogitationem*, habent edd. vett. etiam Ald. et Junt. Sic et MS E. Primum reperi in ed. Sanctandreana, quæ dicitur Lamb. secunda, sed in qua correctiones ejus sunt in margine. Sed quia in margine lectio *cognitionem* non notata est, apparet esse vitium operarum, quod in-

tamen eo minus nihil esse possit[5]. Sed omnis loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quæ dicebant, omnes prope præclare loquuti : quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus jam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa, parce, quod ostendam[6]; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.

XI. (xi.) Atque, ut latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quæ nemo jure reprehendat; et ea sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus[1], ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut præposterum sit : sed etiam lingua, et spiritus, et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius; nolo verba exiliter exanimata[2] ex-

de in sequentes editiones venit per negligentiam editorum, ut Dion. Gothofredi, Gruteri. Ern.

5. *Ut tamen eo minus nihil esse possit;* ut tamen nulla laus minor esse possit, quam laus facilis intellectu orationis.

6. *Quod ostendam.* Hic turbant edd. vett. nec locum sine dubio vitiosum, quomodo constituam satis scio. *Quod ostendam*, quid est, aut quo pertinet? Nam in sqq. non ostendit. Infra c. 38 eamdem rem attingit, sed attingit tantum, ut hic. Ernest.—Verba « quod ostendam » haud injuria offenderunt Ernestium, quia Cicero, etsi eamdem rem infra cap. 38, attigit, paucis tamen verbis perstrinxit. Itaque videntur a grammatico addita, qui lectorem ad illud cap. 38 ablegare vellet. Sch. — *Usitatis ita ... utatur.* Id est, usitatis apud Veteres verbis pro lectissimis uti poterit is, qui, etc.

XI. 1. *Conservemus.* Schütz. mutat in *conseramus*. Malo ego lectionem cod. nostri 7753, *construamus*. J.V.L.

2. *Exiliter exanimata exire.* Scribendum est *animata*; nam *exiliter* cum *exanimata* non consentit, et durissimum est tria verba deinceps ab eadem syllaba incipere. Prima syllaba temere e præcedente verbo repetita est. Ern. — Schützius Ernestii conjecturam in textum intulit.

ire, nolo inflata, et quasi anhelata gravius: nam de voce nondum ea dico, quæ sunt actionis; sed hoc, quod mihi cum sermone quasi conjunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quæ nemo est quin effugere cupiat; mollis vox, ut[3] muliebris, aut quasi extra modum absona atque absurda. Est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur: ut tuus, Catule, sodalis, L. Cotta[4], gaudere mihi videtur gravitate linguæ, sonoque vocis agresti, et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus et suavitas[5] ista delectat; omitto verborum[6], quamquam est caput; verum id affert ratio, docent literæ[7], confirmat consuetudo et legendi et loquendi; sed hanc dico suavitatem, quæ exit ex ore[8]: quæ quidem, ut apud Græcos, Atticorum, sic, in latino sermone, hujus est urbis maxime propria. Athenis jam diu doctrina[9] ipso-

3. *Ut muliebris.* Alii MSS *ac*, alii *aut.* J. V. L.

4. *Sodalis, L. Cotta.* Non ille intelligendus est, qui his in libris inducitur, sed alius de quo mentio est in Bruto, cap. 36. Petav. — De h. l. cf. Quint. XI, 3.

5. *Tuus sonus et suavitas.* Hodie quidem ita publicatur, pugnatque pro hac scriptura Lambinus: sed tamen antiquitus vulgati servant *subtilitas*, neque aliter Pall. septem, aut Memmii chartaceus, quem consuluit Gulielmius. Grut. — *Fere* omnes nostri codd. *subtilitas.* J. V. L.

6. *Omitto verborum.* Non dico eum sonum qui inest in vera pronuntiatione verborum, secundum grammaticea et prosodiæ normam.

7. *Affert ratio, docent literæ.* Suspicor legendum esse « affert ratio, quam docent literæ ». Cf. c. 13 init.

8. *Quæ exit ex ore.* Scilicet quod vocamus gallice *l'accent*, et hoc explicatur planius seqq.

9. *Athenis jam diu doctrina.* Ciceronis tempore Athenarum vetus illa gloria conciderat, nec quicquam præter nomen atque memoriam restabat: regibus primo, Macedoniæ præsertim, tum Romanis ipsis affligentibus. Quare peregrini in ea homines philosophiam atque eloquentiam profitebantur: ita tamen ut sola nominis auctoritate adducti, passim ex toto orbe, disciplinarum studio, Athenas navigarent diu etiam post Ciceronis ætatem. Apud Synesium exstat ele-

rum Atheniensium interiit; domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives [10], peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate : tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus, non verbis, sed sono vocis, nec tam bene, quam suaviter loquendo, facile superabit. Nostri minus student literis, quam Latini : tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum [11], lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat.

XII. (XII.) Quare quum sit quædam certa vox romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum; hanc sequamur : neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. Equidem quum audio socrum meam Læliam (facilius enim mulieres incorruptam antiqui-

gans epistola, qua inanem illam curiositatem lepide cavillatur. Sane fuisse Athenis certam quamdam, eamque purissimam pronuntiandæ linguæ græcæ rationem, vel hoc unum indicio est, quod quum Theophrastus, vir alioqui atticæ eloquentiæ consectator acerrimus, sed peregrinus, suum alloqueretur, pro hospite facile sit ab ea deprehensus. Idem Romæ fuit, quod ad latinam linguam attinet, pronuntiandi principatus. PETAV.

10. *Quibus vacant cives, peregrini fruuntur. Quibus* est auferendi casus; et « vacant cives » est « vacui sunt », sive « carent cives » : et « fruuntur peregrini » opponitur, tamquam contrarium huic verbo « vacant cives ». Vavassor. de Vi et Usu, etc.

11. *Q. Valerium Soranum*. Hunc suspicor eumdem esse, qui ob evulgatum arcanum patriæ nomen sit interfectus. Plinius, lib. III, cap. 10, de Roma urbe loquens : « Cujus nomen dicere arcana cerimoniarum nefas habetur : optimaque et salutari fide abolitum enunciavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas. Non alienum videtur hoc loco inserere exemplum religionis antiquæ, ob hoc maxime silentium institutæ. Namque dea Angerona, cui sacrificatur a. d. XII kalendas januar. ore obligato obsignatoque simulacrum habet ». Frustra vero sunt qui nomen illud arcanum Valentiam fuisse putant. Constat enim ex Solino aliud nomen fuisse; apud quem idem quod apud Plinium legimus : nam postquam Romam antea Valentiam dictam meminit, subdit : « Traditum etiam proprium Romæ nomen, verumtamen vetitum publicari ». PETAV.

tatem conservant[1], quod multorum sermonis expertes, ea tenent semper, quæ prima didicerunt); sed eam sic audio, ut Plautum mihi, aut Nævium videar audire; sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre[2] videatur: ex quo sic loquutum esse ejus patrem judico, sic majores; non aspere, ut ille, quem dixi[3], non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et æquabiliter, et leniter. Quare Cotta noster[4], cujus tu illa lata, Sulpici, nonnumquam imitaris, ut iota[5] literam tollas, et E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari[6]. Hic quum arrisisset ipse Sulpicius, Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiatis. — Utinam quidem! inquit ille: id enim ipsum volumus, idque si feceris, multa, ut arbitror, hic hodie vitia ponemus. — At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri. —Tum ille, Tum quod[7] monuit idem, ut ea, quæ in quoque maxima essent, imitaremur: ex quo

XII. 1. *Facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conservant.* Videtur hoc sumpsisse ex Cratylo Platonis, in quo scriptum est: γυναῖκες μάλιστα τὴν ἀρχαίαν φωνὴν σώζουσι. Ursin. — De eadem Lælia conf. Brut. cap. 68.

2. *Afferre videatur.* Offendit me *afferre*. Simplicissimum est corrigere *habere*; sed malim *animadvertatur*, ex quo «afferre videatur» factum sit. Ernest. — Cod. unus 7753, *offerre*.

3. *Ille, quem dixi.* L. Cotta.

4. *Cotta noster.* Est idem L. Cotta, cujus gravitatem linguæ sonumque vocis agrestem supra notaverat.

5. *Iota.* Alii a nostris MSS *totam*, alii *iotam*. J. V. L. — Iota literam tollebat, puto, *ei* pronuntiando, quemadmodum apud Sallustium scriptum legimus.

6. *Videtur imitari.* Hæc est vera lectio. Nam pertinet ad Cottam, non ad Sulpicium, ad quem dirigitur oratio. Et sic habent ed. s. l. et a. Med. Lips. *Videris* ex edit. W. revocavit Aldus, qui et vitiose dedit *istam*, imitante Junta. Ern.

7. *Tum ille, tum quod monuit.* Et repetitio tam propinqua verbi *tum* offendit me, et sensum satis commodum non reperio. Si est pro *præterea*, de-

vereor, ne nihil sim tui, nisi supplosionem[8] pedis, imitatus, et pauca quædam verba, et aliquem, si forte, motum. — Ergo ista, inquit Crassus, quæ habes a me, non reprehendo, ne me ipsum[9] irrideam : sunt autem mea multo et plura, et majora, quam dicis; quæ autem sunt aut tua plane, aut imitatione ex aliquo expressa, de iis te, si qui[10] me forte locus admonuerit, commonebo.

XIII. (XIII.) Prætereamus igitur præcepta latine loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, et subtilior cognitio ac ratio literarum alit, aut consuetudo sermonis quotidiani ac domestici, libri confirmant[1], et lectio veterum oratorum, et poetarum. Neque vero in illo altero diutius[2] commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quæ dicamus, intelligantur. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis, ac proprie demonstrantibus ea, quæ significari ac de-

bet sequi *ex eo*. Ern. — Schützius corrigit cum Lambino, « tum ille, tu vero; quod m. »

8. *Supplosionem pedis*. De ea Turnebus, Advers. lib. XXVII, cap. 1.

9. *Ne me ipsum irrideam*. Pearcius corrigit « me ipse », bene; nisi hic aliquid oppositionis intelligere velimus ex antecedente, velut « ne non tam te quam meipsum » dictum sit. Ern. — *Mea* quod sequitur, subaudi *vitia*.

10. *Si qui*. Lallem. « si quis ».

XIII. 1. *Ac domestici, libri confirmant*. Sic interpunxi cum Manutio et Pearcio. Nam « domestici libri » nihil sunt. Sed vereor ne *libri* sit spurium. Libri enim sunt ipsi oratores et poetæ, legendumque *confirmat*. Ern.

2. *Neque vero in illo altero diutius*. Secundam partem, quæ erat de perspicuitate orationis, omittit, quoniam satis per se facilis est. Quædam tamen ex quibus haberi illa possit virtus dicendi, breviter enumerat. Sunt numero decem. Parit enim dilucidam orationem sermonis proprietas et puritas latini, quæ erat prima pars. 2° Voces usitatæ, neque aut vetustate obsoletæ, aut studio novitatis insolentes. 3° Proprie rem declarantes, accommodatæque rebus, quas significant; quum neque majestatem earum minuunt, nec obruunt tenuitatem. 4° Resecanda omnis verbi ac sermonis ambiguitas. 5° Vitanda nimia verborum circuitio, quoniam auctore enim Hermogene περιβολὴ, id est, ambitus, et producta comprehensio cum perspicuitate repugnat. 6° Tollenda similitudinis continuata translatio, hoc est, ne metaphoræ nimium dilatentur, quoniam id in ænigma transiret. 7° Non debent minutatim conscindi sententiæ, sed expleri, et ad justam mensuram nu-

clarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis[3], quæ similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non præposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Quid multa? tam facilis est tota res, ut mihi permirum sæpe videatur, quum difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simul ac Furius[4], aut vester æqualis Pomponius, agere cœpit, non æque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo : ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. Verum, si placet, quoniam hæc satis spero, vobis quidem certe majoribus, molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

XIV. — Atqui vides, inquit Antonius, quum[1] alias res agamus, quam te inviti audiamus[2], qui adduci

meri atque sensus produci. 8° Temporum servanda distinctio est, ut suo quæque tribuantur. 9° Concinna personarum distinctio servanda est. Postremo argumentorum cæterorumque omnium digerendus est ordo. Petav.

3. *Non valde productis iis.* Id est, non allegoriis longioribus. Ern.

4. *Furius.* Vulgo *Fusius*, ut supra II, 22. Utrobique Pearcius emendat *Fufius*, probante Heusingero. *Fufius* est in codd. Pall. 4, 6, 8, 9, et Mead. unde Schützius expressit.—Hic *Furius* an *Fufius* legendum sit, nondum decerno. Ern.

XIV. 1. *Quum alias res agamus.* Rescripsi *quam* pro *quum*, inquit Sch. nam « alias res agere » est parum attendere. Sic Brut. 66, « tam alias res agere populum ». Schützii correctionem non probat J. V. L. quam tamen sequutus gallicus interpres in ejus edit. videtur.

2. *Quam te inviti audiamus.* Illud *audiamus* in nullis est MSS nostrorum, quibus omnibus adest « quam te in vi-

possumus (de me enim conjicio), relictis ut rebus omnibus[3] te sectemur, te audiamus : ita de horridis rebus nitida, de jejunis plena, de pervulgatis nova quædam est oratio tua !

(XIV.) — Faciles enim, inquit, Antoni, partes eæ fuerunt duæ, quas modo percucurri[4], vel potius pæne præterii, latine loquendi, planeque dicendi : reliquæ sunt magnæ, implicatæ, variæ, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiæ continetur. Nemo enim umquam est oratorem, quod latine loqueretur, admiratus. Si est aliter, irrident; neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt, et in ipsa oratione quasi quemdam numerum versumque conficiunt; id est, quod dico[5], ornate. Qui idem ita[6] moderantur, ut rerum[7], ut personarum

tia qui, etc. » præter octavum in quo : « quanta in vitia qui ». Editio prima præfert : « quam absque te : non inviti quidem adduci ». Grut. — Hic locus est perturbatissimus et vitiosissimus in edd. vett. etiam MSS. Aldus edidit : « quam te inviti audiamus », eumque sequuti sumos (quum pleræque priores haberent « non inviti » et sine *audiamus*), nam inest bella ironia. Sensus est : Enimvero intelligere potes, nos te hoc tempore libenter audire, quum otium sit : quom alio etiam tempore quom negotia habemus, tamen te audire parati simus. Ern.

3. *Relictis ut rebus omnibus.* Lambinus tollit *omnibus* tamquam supervacaneum. At ego malim abesse *rebus*, relinqui vero *omnibus*. Grut.

4. *Percucurri.* Codd. quatuor e nostris *percurri*. J. V. L.

5. *Quod dico.* Schützius dat « qui dicunt ».

6. *Qui idem ita moderantur.* Aut *item* scribendum aut *iidem :* illud malim, ne nimia frequens litera sit. Lips. « qui id idem ». Ern.

7. *Ut rerum, ut personarum dignitates. Dignitas* est h. l. in modo et magnitudine rei, prout aut magna, aut

dignitates ferunt, ii sunt[8] in eo genere laudandi laudis[9], quod ego aptum et congruens nomino[10]. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius, et iis hoc nomen dixit eloquentiæ solis esse tribuendum. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita[11] appellantur, rhetorum præceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur, neque adhuc, quam personam teneant[12], aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verum enim[13] oratori, quæ sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subjecta materies, omnia quæsita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent. Est enim eloquentia una quædam de summis virtutibus (quamquam[14] sunt omnes virtutes æquales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris : sic ut hæc vis, quæ scientiam complexa rerum, sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, quocumque incubuerit, possit impellere; quæ quo

mediocris, aut parva est. Gr. sic ἀξίας dicunt. Ern.—Lallem. delet *ut rerum*.

8. *Ii sunt*. Schütz. *et sunt*, quod non intelligo.

9. *Laudandi laudis*. Porro aut *laudandi* aut *laudis* spurium atque ejiciendum est. Ernest. — Schützius delevit *laudis*.

10. *Nomino*. Pro *nominem* rescripsi eum Pearcio : nam non dubitanter loquitur : et sic habent edd. ante Aldum omnes et Lips. item MS E. Ern.

11. *Qui nunc ita appellantur*. Crassi tempore Græci incœperunt Romæ scholas instituere, in quibus ars oratoria doceretur. Nominabantur *rhetores*, quod nomen græcum in linguam latinam fluxit.

12. *Teneant... profiteantur*. Videtur esse debere «tenerent... profiterentur». Pendent enim hæc verba e *potuerunt*. Ern.

13. *Verum enim oratori*. Nihil discrepant Palatini. Lamb. edidit *vero*. Gulielmius faciebat *rerum* ; at quid si «verum enim» dicamus positum pro «enim vero». Grut. — Ed. W. habet «vero enim», ut MS E. An fuit «verum enim vero» vel «enim vero». Hoc placet, nam *vero* ad *oratori* referri non placet. Ern. — Schütz. dedit «verum enim vero».

14. *Quamquam... prudentia*. Hæc sunt in parenthesi accipienda : cohærent : «est enim eloquentia una quædam de summis virtutibus... quarum virtutum expertibus, etc.» In media parenthesi *audiant* edidimus pro *au-*

major est vis, hoc est magis probitate jungenda, summaque prudentia); quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quædam arma dederimus.

XV. (xv.) Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem, vimque dicendi, veteres Græci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitæ studia dispari, quietem atque otium sequuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quæ vita propter tranquillitatem, et propter ipsius scientiæ suavitatem, qua nihil est hominibus jucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit. Itaque, ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis, multo plura, quam erat necesse, doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes, curanda sibi esse, ac quærenda et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi, et bene dicendi magistra; neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi præceptores atque dicendi: ut ille apud Homerum Phœnix, qui se a Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret « oratorem verborum [1], actoremque rerum ». Sed

diunt ex edd. vett. omnibus; sic et MS E. Ern. — Schütz. non sequutus est. Nobis parenthesi obscurari magis quam illustrari locus videtur.

XV. 1. *Oratorem verborum*. Respicit Noster Homeri Iliad. lib. IX: Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων. Pearc.

ut homines, labore assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se, aut ad talos[2], aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum : sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi, aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poetas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt, alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt, atque in iis artibus, quæ repertæ sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque ætates suas consumpserunt.

XVI. (xvi.) Sed quod erant quidem, iique multi, qui aut in republica propter ancipitem, quæ non potest esse sejuncta, faciendi dicendique sapientiam, florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes[1], aut, qui minus ipsi in republica versarentur, sed hujus tamen ejusdem sapientiæ doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus[2], Isocrates : inventi sunt, qui, quum ipsi doctrina et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis, animi quodam judicio, abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates[3] fuit, is, qui omnium eruditorum testimonio, totiusque judicio Græciæ, quum prudentia, et acumine, et ve-

2. *Aut ad talos.* Abest ed. Lallem.

XVI. 1. *Theramenes.* Ejus meminit Cicero in Bruto, cap. 7, et fusius Xenophon, Hist. Græc. lib. II. Notatur mobile illius et callidum ingenium vulgato ad id proverbio Θηραμένης κόθορνος, quod genus istud calceamenti utrique pedi conveniret; quemadmodum et ille utrique parti accommodabat sese. Petav.

2. *Thrasymachus.* Chalcedonius, ait Suidas, is fuit sophista, qui primus periodum invenit, discipulus Platonis et Isocratis : excellens opinione eloquentiæ. Hinc proverbium apud Græcos : « non difficilius esse radere leonem, quam convincere Thrasymachum ». Petav.

3. *Socrates fuit.* Locus hic varie in libris exhibetur. Pearcii nova ratio mihi durior visa est, quam volentes ipsi videbunt. Ern.

nustate, et subtilitate, tum vero eloquentia, varietate, copia, quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps. Is iis[4], qui hæc, quæ nos nunc quærimus, tractarent, agerent, docerent, quum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio, atque in iis exercitatio, philosophia nominaretur, hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi, et ornate dicendi scientiam, re cohærentes, disputationibus suis separavit : cujus ingenium[5] variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socrates nullam reliquisset. Hinc discidium illud exstitit quasi linguæ atque cordis, absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam, quum essent plures orti[6] fere a Socrate, quod ex illius variis, et diversis, et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat; proseminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se, et multum disjunctæ et dispares, quum tamen omnes se philosophi Socraticos[7] et dici vellent, et esse arbitrarentur.

XVII. (xvii.) Ac primo ab ipso Platone Aristoteles

4. *Is iis, qui hæc.* Ed. W. « iis qui hæc » : ceteræ edd. MS E. *his*. Vulgatum est ab Aldo. Utraque lectione conjuncta scripsimus : « is (scilicet igitur Socrates) iis qui hæc ». Huc fere redit Lambini ratio, qui volebat « hic iis, qui ». Ern.

5. *Cujus ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse... reliquisset.* Hac appendicula facile h. l. careremus. Sed solet Cicero tales interdum addere. Alia similis est de Gorgia, c. 32 : « cui tantus honos habitus est a Græcia, soli, etc. » Ern.

6. *Nam, quum essent plures orti fere a Socrate, quod ex*, etc. Hic aliquid desit necesse est, nempe cujus ratio redditur, sc. Socratis discipulos non idem sensisse. Antecedentia sunt de Socrate. Ern.

7. *Omnes se philosophi Socraticos et dici vellent, et esse arbitrarentur.* Non philosophi omnes se Socraticos dici voluerunt. Ergo aut scribendum *philosophos*, aut *philosophi* plane delendum : quod maxime placet. Interpolavit, qui masculino genere offendebatur, sed sic et post, « genera... Socraticos ». Ern.

et Xenocrates[1]; quorum alter peripateticorum, alter academiæ nomen obtinuit; deinde ab Antisthene, qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, cynici primum, deinde stoici; tum ab Aristippo, quem illæ magis voluptariæ disputationes delectarant, Cyrenaica philosophia manavit, quam ille et ejus posteri simpliciter defenderunt[2]; ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicerent[3]; Eretricorum[4], Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum; sed ea horum vi[5] et disputationibus sunt jamdiu fracta et exstincta. Ex illis autem, quæ remanent, ea philosophia, quæ suscepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videatur, procul abest tamen ab eo viro quem quærimus, et quem auctorem publici consilii, et gerendæ[6] civitatis ducem, et sententiæ atque eloquentiæ principem, in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiæ fiet injuria a nobis. Non enim repelletur inde, quo aggredi

XVII. 1. *Aristoteles et Xenocrates.* Fortasse legendum « Aristotelis et Xenocratis » (scil. familiæ), quorum altera Peripateticorum, altera Academiæ nomen obtinuit. Sch.

2. *Defenderunt.* Sic pro vulgato *defenderant* ex ed. a. l. et a Med. Lips. dedi. *Defenderant* ex ed. W. revocavit Aldus. Ern.

3. *Qui se omnes fere... dicerent.* Hoc ordine MS E. ed. W. et aliæ vett. omnes. Iidem *dicerent* pro vulgato *dicebant*, de quo supra. Ern. — Lall. « fere qui se omnes Socraticos esse dicerent ».

4. *Eretricorum.* Hæc forma est edd. vett. omnium et MS E. Pearcius edidit *Eretriacorum*, ut aliis locis dicuntur. Ernest. — De illa disciplina vide Academ. lib. I, cap. 42. Ibidem de Herilliis, Megaricis et Pyrrhoneis.

5. *Horum vi.* An Pyrrhoneorum, qui ultimo loco nominati sunt? non videtur. Arbitror esse vitium in « horum vi ». Fortasse fuit *aliorum* aut *ceterorum* aut *illorum*, i. e. superiorum, Academicorum, Stoicorum. Ern.

6. *Et gerendæ civitatis.* Schütz. et Lallem. habent « et regendæ civitatis, etc. »

cupiet[7]; sed in hortulis quiescet suis, ubi vult, ubi etiam recubans molliter et delicate, nos avocat a rostris, a judiciis, a curia, fortasse sapienter, hac præsertim republica[8]. Verum ego non quæro nunc, quæ sit philosophia verissima, sed quæ oratori conjuncta maxime. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus; sunt enim et boni viri, et quoniam sibi ita videntur, beati : tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tamquam mysterium, teneant, quod negant versari in republica esse sapientis. Nam, si hoc nobis, atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

XVIII. (XVIII.) Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto; tamen, nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt; atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam, virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc[1], quem instruimus[2], oratore valde abhorreat : vel, quod omnes[3], qui sapientes non sint,

7. *Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet.* Hæc nullum sensum habent; et variant edd. pr. An, « non enim revelletur, unde aggredi cupiet » : quod sequentibus bene convenit, nempe ab hortulis suis. Ern.

8. *Hac præsertim republica.* Est ab Lambino, quem recte ceteri sunt secuti. Edd. vett. vel « ac præsertim a republica », vel « ac præsertim etiam a republica » : quæ sunt inepta. Ern.

XVIII. 1. *Sed utrumque est in his, quod ab hoc.* Crassus Stoicos non omnino improbat, sed negat eorum philosophiam utilem esse oratori, propter duas rationes : quia et sententiis, et genere dicendi discrepat ab eloquentia forensi et populari. Discrepat sententiis, quoniam Stoici dicunt insipientes (quales sunt omnes) esse servos, latrones, etc. Discrepat autem genere dicendi, quoniam illi nimium dialectice loquuntur, et acute concludunt, non suavitate delectant. Vides, lector, τὸ ἀνακόλουθον, ut vocant; quum enim Cicero dixerit, *vel quod*, non repetit particulam *vel*, sed sententiam sic variat : « accedit, quod ». Pearc.

2. *Instruimus.* Cod. Reg. 7703, *instituimus*. J. V. L.

3. *Vel, quod omnes.* Non sequitur aliud *vel*, sed tamen alterum sensu est in verbis « accedit quod orationis genus ». Sunt enim duo quæ reprehendat : primum in rebus, alterum in ver-

servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt; neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem, aut senatum, aut ullum cœtum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. Accedit quod orationis etiam genus habent fortasse subtile, et certe acutum[4]; sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, jejunum, attamen[5] ejusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit. Alia enim et bona et mala videntur stoicis, et ceteris civibus, vel potius gentibus; alia vis honoris, ignominiæ, præmii, supplicii : vere, an secus, nihil ad hoc tempus; sed ea si sequamur, nullam umquam rem dicendo expedire possimus.

Reliqui sunt peripatetici et academici : quamquam academicorum nomen est unum, sententiæ duæ. Nam Speusippus Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et qui Xenocratem, Polemo, et Crantor, nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magnopere dissensit : copia fortasse, et varietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris, sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus, aut animo percipi possit; quem ferunt eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque judicium,

bis. Mutavit formam orationis propter longiorem interpositionem. Ern.

4. *Et certe acutum. Et* melius abesset, nec a Cicerone in hac forma ponitur. Ern.

5. *Attamen ejusmodi. Attamen* ab hoc loco abhorrere omnes sentiunt, sed varie corrigunt : in his optime Lambinus, *ac tandem*, quod etiam quædam edd. habent. Mihi hoc languere videtur, malimque « ac totum ejusm. » Ortum est vitium e scriptura compendiaria. Ern. — Lall. sequutus est Lambinus, Bipontini Ernestium. Schütsius, probante J. V. L. dicit vulgatam defendi posse, si intelligas : ac si nihil aliud, certe hujusmodi. Gœr. ad Cic. Fin. II, 27, suadet « ac tamen ».

primumque instituisse (quamquam id fuit Socraticum maxime), non, quid ipse sentiret, ostendere; sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. Hinc hæc recentior academia emanavit, in qua exstitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades : cujus ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores[6] certissimos laudare possum, et socerum meum Scævolam, qui eum Romæ audivit adolescens, et Q. Metellum, L. F. familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, jam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat.

XIX. (XIX.) Hæc autem, ut ex Apennino[1] fluminum, sic ex communi sapientium jugo sunt doctrinarum facta divortia, ut philosophi, tamquam in superum mare Ionium[2] defluerent, Græcum quoddam et portuosum; oratores[3] autem in inferum hoc Tuscum et barbarum, scopulosum atque infestum, labe-

6. *Auctores*. Qui scilicet de ingenio Carneadis testimonium ferre possint.

XIX. 1. *Ut ex Apennino*. Propositam disputationem apta similitudine concludit. Quemadmodum enim Apenninus mons, qui Italiæ amplissimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum, ut ait Plinius, III, 5, alia flumina emittit in superum, hoc est, Adriaticum mare; alia in inferum, hoc est, Tyrrhenum, sive Tuscum, quorum illud portuosum et Græcorum commercio frequens, hoc barbarum scopulosum, ac infidum; ita omnino eadem ex philosophia divortia facta sunt studiorum; ut eloquentiæ studiosi similes sint eorum fluminum, quæ in procellosum illud ac scopulosum mare influunt, propter sullicitam et exercitam eorum hominum conditionem : qui vero philosophiæ sese dediderunt, cum iis fluminibus conferuntur, quæ in Græcorum mare, tranquillum ac minus infestum labuntur. PETAV.

2. *Mare Ionium*. *Ionium* nonnullis suspectum est pro glossa, etsi mare Adriaticum ab aliis Ionium dici solet : sed sanum est hoc verbum. Nam apte sibi respondent mare *superum* et *inferum*, *Ionium* et *Tuscum*, *Græcum* et *barbarum*. ERN.—Mihi minime placet *quoddam*, sed quid subjiciam parum succurrit.

3. *Oratores*. Forte legendum sit, quod Pearcio placuit, *rhetores*. Certe *oratores* hic iidem sunt, quos alibi *rhetores* vocat, i. e. artis rhetoricæ doctores, seu scriptores artis, ut paullo post appellantur. SCH. — Mihi contra videtur. Rhetorum enim disciplina umbratilis nihil habet quod scopulis et

rentur, in quo etiam ipse Ulysses errasset. Quare, si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat, aut negare oportere, quod arguare, aut, si id non possit[4], tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum, aut alterius culpa aut injuria, aut ex lege, aut non contra legem, aut imprudentia, aut necessario, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit, ac licuerit; et, si satis esse putatis, ea, quæ isti scriptores artis docent, discere, quæ multo tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, et uberius explicavit Antonius; sed, si his contenti estis, atque iis etiam, quæ dici voluistis a me : ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. Sin veterem illum Periclem, aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem, sequi vultis, et, si illam præclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem adamastis; aut vobis hæc Carneadia, aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. Namque, ut ante dixi, veteres illi usque ad Socratem[5], omnem omnium rerum, quæ ad mores hominum, quæ ad vitam, quæ ad virtutem, quæ ad rempublicam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione jungebant; postea dissociati, ut exposui, a Socrate diserti a doctis[6], et deinceps a Socraticis item omnibus, phi-

tempestatibus simile videatur. Philosophi otium et placida studia conferuntur cum inquieta illa et pugnaci oratorum vita.

4. *Si id non possit.* Sic edidi cum P. Manutio pro vulg. *possis :* nam respondet clara verbis, «qui sciat». Si quis autem malit supra corrigere *negari*, facile concedam : at id aptius est verbo *arguare*. Ern.

5. *Usque ad Socratem.* Pro *Isocratem*, ut edidit Pearcius, e MSS duobus. Verba, ut ante dixi, hoc flagitant ; dictum est enim de Socrate. Frustra Gruterus obloquitur, dicens lect. *Isocratem*, pluribus nixam MSS, habere quo se tueatur : *Socratem* plane MS E. et sic etiam ante edidere Manutius, Lamb. Steph. et alii. Ern.

6. *Dissociati a Socrate diserti a do-*

losophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam; neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur; ex quo promiscue haurirent, si manere in pristina communione voluissent. Sed, ut pontifices veteres[7], propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti : sic Socratici a se causarum actores et a communi philosophiæ nomine separaverunt, quum veteres dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

XX. (xx.) Quæ quum ita sint, paullulum equidem de me deprecabor, et petam a vobis, ut ea, quæ dicam, non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, quum summo studio patris in pueritia doctus essem, et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non tantum[1], quantum ipse forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere, me hæc, quæ nunc complector, perinde, ut dicam discenda esse, didicisse : quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim, annosque

ctis. Hoc vitiosum esse facile apparet. Non male Lambinus « dissociatis a Socrate disertis a doctis » : melius Pearc. « disertis et doctis », ne τὸ *a* sæpius concurrat, « a Socraticis » respondet τῷ « a Socrate ». Quod Socrates primus fecit, id imitati sunt Socratici. Ern. — Schützius Pearcium sequutus est.

7. *Ut pontifices veteres*. Alio exemplo quemadmodum dissidium illud factum sit, ostendit. Epulones initio tres dumtaxat creati sunt, ut prodit Liv. lib. XXXIII. Pomponius Lætus duos postea ait esse adjunctos, ut quinque essent. Postmodum denique ad septem pervenisse certum est. Plerumque enim septemviri epulonum commemorantur. Quanam vero de causa, et a quo sit numerus iste adauctus, incertum est. Munus illorum fuit publicis epulis præesse, quæ scilicet in ludis publicis præbebantur, ut ex Cicerone de aruspicum responsis colligitur. Petav.

XX. 1. *Non tantum, quantum ipse f. v. videar*. *Ipse* arbitror esse delendum : nec est necessarium, ut ante in : « quantum ipse sentio ». Nec *tantum* illud proximum desiderem, si absit. Optimum foret, « non quantum f. v. videatur », ut error e com-

natus unum et viginti, [2], nobilissimum hominem et eloquentissimum in judicium vocarim; cui disciplina fuerit forum, magister usus, et leges, et instituta populi romani, mosque majorum. Paullum[3] sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustavi, quæstor in Asia quum essem, æqualem fere meum ex Academia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cujus memoria commemoravit Antonius; et inde decedens, Athenis[4]: ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quæ biduo serius veneram, succensuissem. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinæ, non modo non pro me, sed contra me est potius (non enim, quid ego, sed quid orator possit, disputo), atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere, et de principiis, et de narrationibus. Illa vis autem eloquentiæ tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturæ, quæ mores hominum, quæ animos, quæ vitam continet, originem, vim, mutationesque teneat; eadem mores[5], leges, jura describat, rempublicam regat, omniaque[6], ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus,

pendiaria scriptura in *videatur* ortus sit. Ern. — Cujus correctionem Sch. adoptavit.

2. *Annos natus unum et viginti.* Auctor libri de Causis corruptæ eloquentiæ habet « undeviginti », quod præferunt Lambinus et Pearcius, reclamantibus omnibus libris. Ern.

3. *Paullum.* Multi e nostris codd. *paullulum.* J. V. L.

4. *Athenis.* Subaudi quod supra « paullum gustavi earum artium ».

5. *Mores, leges.* Schützius dat *morem*, sc. majorum, quia *mores* jam antea nominati sunt.

6. *Omniaque, ad quamcumque.* Sic ed. s. l. et a. Med. Asc. Vulgatum « omnia, quæ ad quamcumque », quod durinsculum est, ex ed. W. reddidit Aldus. Et sic est etiam in MSS. Sed in iis fere est *que*, potuitque etiam verum fuisse « omniaque, quæ » : unde in illa scriptura facile alterum potuit excidere. Ern. — Schützius Ernest. secutus est. *Omniaque* MSS Regii. J. V. L.

quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus : neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitæ suæ collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.

XXI. (xxi.) Quid enim meus familiaris C. Velleius afferre potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrum versatus? Quid est, quod aut Sex. Pompeius, aut duo Balbi, aut meus amicus, qui cum Panætio vixit, M. Vigellius, de virtute hominum stoici[1] possint dicere, qua in disputatione ego his debeam, aut vestrum quisquam concedere? Non est enim philosophia similis artium reliquarum. Nam quid faciet[2] in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? Aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem judicetur. Hæc vero, quæ sunt in philosophia, ingeniis[3] eruuntur, ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus, eaque[4] exercitata oratione poliuntur. Hic[5] noster vulgaris orator, si minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi, istos quidem [nostros[6]] verberabit, neque se ab iis contemni ac despici

XXI. 1. *Hominum Stoici.* Lall. « homines Stoici ». Schützius cum Heusingero emendat *stoice.*

2. *Quid faciet.* Lallem. « quid faciat ».

3. *Hæc vero, quæ sunt in ph. ing. etc.* Id est, in ceteris artibus tantum id scimus, quod didicimus : elementa vero, sive principia philosophiæ natura nobis inserit : qui ingeniis acutis et acribus præditi sunt, facile ea quæ probabilia sunt in philosophia invenient, et, si iidem in dicendo exercitati sunt, ea oratione ornabunt. PEARC.

4. *Eaque exercitata or.* Schützius corrigit : « eaque excogitata, or. »

5. *Hic noster vulgaris orator.* Vulgo « hic, hic ». Delevi alterum *hic* ex ed. W. quæ semel tantum *hic* habet, ut Lips. consentiuntque nonnulli apud Pearcium MSS et Noster. Repetitio hic inepta est, ubi vim nullam habere potest. ERN.

6. *Istos quidem nostros. Nostros* sine dubio vitiosum est. Ineptum enim

sinet. Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque sententiam[7] possit dicere, et in omni causa duas contrarias orationes, præceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilæ modo, et Carneadi[8], contra omne, quod propositum sit, disserat; quique ad eam rationem adjungat hunc rhetoricum[9] usum, moremque[10] exercitationemque dicendi, is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinæ satis politus et sapiens esse orator potest. Quare Coracem istum vestrum[11] patiamur nos quidem pullos suos excludere in[12] nido, qui evolent, clamatores odiosi ac molesti; Pamphilumque[13] nescio quem sinamus in infulis tantam

est « hic noster verberabit nostros ». Intelligendi autem sunt Stoici, et fortasse rescribendum est *Stoicos*, quamquam id non est necessarium. Ern. — Codd. Regii 7703, 7706, *vestros*. J. V. L. — Schützius delet *nostros*.

7. *In utramque sent. poss. dicere.* Tertius Pall. ac nonus « in utramque partem sententiam », quod minus improbem, licet Lambinus illo *partem* retento, abjecerit *sententiam*. Grut. — Ern. dicit recte ab Aldo *partem* deletum fuisse, ut glossam.

8. *Et Carneadi.* Vulgo « et Carneadis ».

9. *Rhetoricum usum.* Schutz. delet *rhetoricum*.

10. *Moremque.* Et hoc Schützius delevit.

11. *Coracem istum vestrum.* Intellige quem heri commemorastis. Vid. I, 18. Ceterum locus hic est admodum lepidus, ut et alter de Pamphilo, cujus lepos ductus est ab eo, quod pictor fuit (vid. Clav. in *infula*), sicut prioris a significatione propria coracis, i. e. corvi. Ern. — Corax ille rhetor, et quem merito cum Græcis φερώνυμον appellares, hoc est, dignum suo nomine, corvi scilicet garrulitate similem; rhetoricæ etiam inventor dicitur apud Suidam. Sed eximiam hanc laudem obscuratam fuisse necesse est, quum ab eo natum sit, eodem teste, dictum illud : κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Mali corvi malum ovum. Coracis meminit Aristoteles, Rhetor. lib. II, et in epistola ad Alexandrum, quæ operi rhetorico ad eum scripto præfigitur : ubi sese duo volumina mittere ait, unum a se, aliud a Corace scriptum. Petav.

12. *In nido.* Lamb. *e nido.*

13. *Pamphilumque.* Multorum hujus nominis meminit Suidas. Inter ceteros quemdam commemorat incertæ patriæ, Amphipoliten, vel Sicyoneum, vel Nicopoliten, philosophum, qui de pictura et de illustribus pictoribus scripsit. Quod quidem huic Pamphilo accommodatum est, quia et hic in infulis, id est, fasciis orato-

rem, tamquam pueriles delicias aliquas, depingere : nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus, dummodo illa res tanta sit [14], ut omnibus philosophorum libris, quos nemo oratorum istorum [15] umquam attigit, comprehensa esse videatur.

XXII. (XXII.) — Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse, mirandum est, esse in te tantam dicendi vel vim, vel suavitatem, vel copiam; quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere : nunc intelligo, illa te semper etiam potiora duxisse, quæ ad sapientiam spectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, quum omnes gradus ætatis recordor tuæ, quumque vitam tuam ac studia considero : neque, quo tempore ista didiceris, video, nec magnopere te istis studiis, hominibus, libris, intelligo deditum [1]. Neque tamen possum sta-

riam omnem artem, quasi puerilia crepundia, depinxerat. At enim Nicopolita esse non potuit, quum hæc urbs ab Augusto condita sit post Actiacam victoriam. PETAVIUS. — J. V. L. conjicit illam artem « in infulis » depictam similem fuisse Indis illis historicis, aut geographicis, quibus apud nos pueri, historiam, geographiam docentur, ab eoque Pamphilo dogmata rhetoricæ *in infulis* descripta fuisse. De eo vid. Aristot. Rhet. II, 23, et Quint. III, 6. — *In infulis tantam... depingere*. Explicat Turnebus commentariis suis oration. contra Rullum. GRUT.

14. *Dummodo illa res tanta sit.* Sensus est : modo illa res credatur tanta esse, ut non minori spatio quam omnibus philosophorum libris comprehendatur. PEARC.

15. *Quos nemo oratorum istorum.* Isti homines, de quibus dixit modo, fuerunt Corax et Pamphilus, non oratores, sed rhetores : nempe rhetorum horum et aliorum ignorantiam, et impudentiam exagitat Crassus, qui præcepta eloquentiæ tradebant, quum omnem moralem philosophiam, quæ maxime oratori necessaria esset, ignorarent : quare rescribendum censeo, « quos nemo rhetorum istorum ». Ultima litera vocis *nemo* geminata huic errori locum dedit. PEARC. — *Nemo oratorum istorum*. Intelligendi sunt isti clamatores odiosi e scholis vulgarium rhetorum. Nec opus est corrigere cum Pearcio *rhetorum*, quod tamen recepit nuper Alemannus. ED.

XXII. 1. *Deditum. Neque tamen.* Sic interpunxi, quum antea minima distinctio poneretur; nam in « neque

tuere, utrum magis mirer, te illa, quæ mihi persuades maxima esse adjumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere; an, si non potueris, posse isto modo dicere.

— Hic Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim, posse eum satisfacere in gestu, nisi palæstram, nisi saltare didicisset: neque, ea quum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. Similiter nunc de oratore, vestro impulsu, loquor, summo scilicet. Semper enim, quacumque de arte aut facultate quæritur, de absoluta et perfecta quæri solet. Quare si jam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo: quid enim nunc sim ineptus [2]? ita me existimari scio. Quod si ita est, summus tamen certe non sum. Neque enim apud homines res est ulla difficilior, neque major, neque quæ plura adjumenta doctrinæ desideret. Attamen, quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicam necesse est. Vis enim, et natura rei nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis, et quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor, neque hodie in istis libris, et cum istis hominibus vivere; nec vero, id quod tu recte commeministi, ullum umquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinæ temporis, quantum mihi puerilis ætas, forenses feriæ concesserint.

XXIII. (XXIII.) Ac, si quæris, Catule, de doctrina

tamen» est novæ sententiæ initium. Ern.

2. *Quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio.* Hoc est, inepte faciam, si negare velim me bonum oratorem haberi.

ista[1] quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini, et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rempublicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumpserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt; aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati, nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium[2] summa[3] jam senectute est, et quotidie commentatur; nihil enim curat aliud. At Q. Velocius[4] puer addidicerat. Sed quod erat aptus ad illud, totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

.... Quamvis bonus ipse[5]
Samnis in ludo, ac rudibus cuivis satis asper;

XXIII. 1. *De doctrina ista.* Philosophica discenda.

2. *Magister hic Samnitium.* Quantum ab iis qui artes transferunt ad usum, distent qui in earum cognitione conquiescunt, triplici probat exemplo. Primum est duorum lanistarum, qui tunc temporis celebres erant. Alter quidem, quem apprime novistis, magister Samnitum, id est, gladiatorum magister (Samnites enim, teste Festo, gladiatores), totus in arte sua occupatus, aliud nihil cogitat: alter, Q. Velocius, quantumvis artis numeros omnes calleret, et pugnando cederet nemini; tamen operam foro impendebat, amicis præstabat obsequium, et rem familiarem curabat. Secundum exemplum est Valerii et Furii, musicorum: hic interdum, ille quotidie cantabat. Tertium est Q. Tuberonis et Africani, qui philosophiæ dabant operam: Tubero impallescebat illis studiis, quibus Africanus horis tantum subcisivis incumbebat. Paust. — Samnites illi genus erant gladiatorum, qui nomen duxerant ex armis quibus instruebantur: vid. Tit. Liv. IX, 40, qui dicit eos solere inter epulas induci, ut spectaculum præberent convivis. Vide et Horat. Epist. II, 2, 98, et Just. Lips. Saturn. II. Vide not. 5.

3. *Summa jam sen.* Ernest. dat « et summa j. s. » ex ed. W. quia sensus est: etsi summa senectute est, tamen commentatur. Schützius contra dicit copulam melius omitti, ut in Guelf. 2, 3.

4. *At Q. Velocius puer.* Hæc lectio est a Victorio. Nam in lectionibus superiorum edd. nullus est sensus: in quibus Velocius adverbialiter acceptum turbas dedit. Sed pro *Velocius* fortasse *Velonius* legendum, omninoque sic scribendum: « atque ea (vel *eadem*) Q. Velonius... addidicerat, et quod erat aptus ad illud ». Nam in ed. W. s. l. et a. et sqq. est « Atque ea », quæ v. p. a. Ern.

5. *Quamvis bonus ipse Samnis in ludo.* Versus ii ex Lucilio Satyrico poeta desumpti, in quibus Samnitium illum magistrum significare videtur

sed plus operæ foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat : erat enim scenicus; quid faceret aliud? At Numerius Furius, noster familiaris, quum est commodum, cantat : est enim paterfamilias, est eques romanus; puer didicit, quod discendum fuit. Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies et noctes virum summa virtute et prudentia videba-

acrem buminem, et non ineptum fuisse. Verba ipsa obscura, ac fortasse mutila, et quidem alii aliter legunt. Sensus bic esse videtur : Samnitem illum in ludo atque umbratili exercitatione bonum et non imperitum. *Quamvis* pro *quantumvis* sumit Strebæus, et *causis* legit : ego *cuivis* arbitrur retineri posse, respexisseque Lucilium ad gladiaturam. In primis enim nomen ipsius Samnitis proprium generis cujusdam fuit gladiatorii, ut ex locuplete Livii testimonio constat lib. IX, ubi ait Campanos odio Samnitium gladiatores eo ornatu armasse, quo ii in acie usi fuerant, Samnitiumque nomine appellasse. Ad quos allusisse Lucilium etiam vox quæ sequitur, *rudibus*, probat : hoc enim gladiatorium instrumentum, et quidem duplex : nam alia fuit rudis lanistarum propria, ferulæ instar : ita enim appellatur, qua donabantur gladiatores qui missionem impetrabant. Alia fuit tironum, in ensem ligneum formata; quo genere exercebantur tirones; non gladiatores solum, verum etiam milites; quod *batuere* vocabant. Dixi sensum hunc videri : propterea quod nullus alius commodior occurrit. Alioqui magistrum Samnitium de rhetoricæ professore accipere, quemadmodum Strebæus, nescio an ridiculum sit, certe non ita diceret Cicero : quid enim potius Samnitium, quam aliorum doctor appelletur? Horridæ præsertim gentis nec aptæ admodum ad eloquentiam. Quid? quod Lipsius, Saturn. lib. 1, 15, hoc de gladiatorii ludi magistro accipit. Quod autem commentari dicatur, bene observat gladiatorum magistros etiam interdum dictata dare solitos. Unde Juvenalis, Sat. XI, 8 : « Scripturus leges, et regia verba lanista ». Verum quid sequentibus verbis faciemus, « sed plus operæ foro tribuebat » ? hoc enim oratorem et rhetorem spectare videtur. An idem ille gladiatorum magister in foro versabatur? plane, aut ita dicendum, aut criticorum communi causatione utendum, luxatum mutilumve, aut translatum ex alieno loco hunc esse. PETAV. — Valde se in h. l. torquent viri docti, in primis Petavius. Causa est quod Samnitem proprie de gladiatore capiunt; quum sensus sit : Velocium puerum artem pugnandi didicisse; ita, ut posset optimus et cuique par gladiator esse, sed non fuisse, verum aliud vitæ genus exercuisse. Porro *civis* an *cuivis* legendum sit in quo fluctuant edd. pr. non decernam. Lipsius *civis* defendit Lect. Ant. V, 2. *Cuivis* tamen probabilius est, quia in verbis poetæ tamquam periphrasis gladiatoris esse potest. Ita sensus : in ludo bonus gladiator, in rudibus cuivis asper adversarius : cui sententiæ etiam interpunctio accommodanda est. Ceterum, quod probabilius est, et non minus

mus, philosopho[6] quum operam daret, Q. Tuberonem. At ejus avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio et quæstio quotidię ex se gignit[7] aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit, ut agitatione rerum sit infinita cognitio[8]. Facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat. Libet autem semper discere : ut si velim ego talis optime ludere, aut pilæ studio[9] tenear, etiam fortasse, si assequi non possim ; at alii, quia præclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. Quare nihil est, quod quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut senes ad eas accesserunt ; aut usque ad senectutem in studiis detinentur ; aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut nisi quod quisque cito potuerit, numquam omnino possit perdiscere.

XXIV. (XXIV.) — Jam, jam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid dicas, et hercule assentior. Satis video tibi homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quæ dicis, fuisse temporis. — Pergisne, inquit Crassus, me, quæ dicam, de me, non de re pu-

in libris reperitur, quam vulgatum, « ac rudibus, civis s. a. » Ern.

6. *Philosopho.* Scil. Panætio. Vid. Van. Lynden diss. de Panætio, p. 51, Schutz.

7. *Gignit aliquid.* Ern. dat *gignat*, dicens h. l. *gignit* nullo modo locum habere posse ; nec repugnat si quis legere velit *gignet*. Schützius Ern. sequutus est. — Hoc loco *quæstio* videtur idem esse ac diligentia quærendi.

8. *Infinita cogn. Facilis usus.* Sch. dat, sensu, ut sit, postulante : « inf. cognitio, facilis, si usus ». J. V. L. locum dubium esse censet.

9. *Aut pilæ stud. tenear.* Schützius dat « aut pila, studio tenear », quia in *studio tenear* est apodosis.

tare dicere? Sed jam, si placet, ad instituta redeamus. — Mihi vero, Catulus inquit, placet. — Tum Crassus, Quorsum igitur hæc spectat, inquit, tam longa, et tam alte repetita oratio? Hæ duæ partes, quæ mihi supersunt, illustrandæ orationis, ac totius eloquentiæ cumulandæ, quarum altera dici postulat[1] ornate, altera apte, hanc habent vim, ut sit quam maxime jucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat, et quam plurimis sit rebus instructa. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicum est; illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non multum est majus[2], quam illud vulgare ac forense. Apparatu nobis opus est[3], et rebus exquisitis undique et collectis[4], arcessitis, comportatis, ut tibi, Cæsar, faciendum est ad annum[5]; ut ego in ædilitate laboravi, quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam. Verborum eligendorum,

XXIV. 1. *Dici postulat ornate.* Schützius dat : « ornate dici postulat » cum ed. Omnib.

2. *Non multum est majus.* Revocavi scripturam veterum editionum, ac membranarum : recentiores enim *multo;* tamquam si alterum minus ferri posset. Gaut.

3. *Apparatu nobis opus est.* Alludit, quantum opinor, ad ædilitatem, in qua pleraque populo spectacula proponebantur; et in eo genere, qui novi aliquid ederet, et hactenus inusitatum, omne punctum ferebat. Quod idem in aliis magistratibus, sed in illo præcipue valebat : quare, quemadmodum ibi delectu atque apparatu exquisitarum rerum opus est; eodem modo orator, vulgaribus tritisque neglectis, id consectari debet, quod ipsa præsertim novitate delectet. Pat. — *Nobis*, h. e. oratoribus, quos causidicis et rhetoribus opponit.

4. *Et rebus exq. und. et collectis.* Schützius dat : « et rebus exquisitis, undique collectis ». Sic, inquit, emendavi vulgatum : nam « res exquisitæ » sunt ornamenta pretiosa, rara et haud vulgaria, qualia ab ædilibus vel diuturno studio *colliguntur*, vel ex dissitis ac peregrinis locis *arcessuntur*, vel ex pluribus locis mutuo sumpta *comportantur*. Hoc ab ædilium muneribus eleganter transfertur ad oratorum ornamenta, exquisita verba, exquisitasque sententias.

5. *Ad annum.* Respicit ad ædilitatem, cujus annus ex lege annali insta-

et collocandorum, et concludendorum facilis est vel ratio, vel sine ratione, ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam quum Græci jam non tenerent, ob eamque causam juventus nostra dedisceret pæne discendo, etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt : quos ego censor edicto meo [6] sustuleram; non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. Nam apud Græcos, qui ejusmodi essent [7], videbam tamen esse, præter hanc exercitationem linguæ, doctrinam aliquam et humanitatem [8] dignam scientia; hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent : quod etiam cum bonis rebus conjunctum, per se ipsum est magnopere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiæ ludus esset; putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. Quamquam non hæc ita statuo atque

bat : ad cujus ludos et munera, ut satisfieret populo, etiam diu ante erant providenda, quæ ornarent et illustrarent illa munera. Ern.

6. *Quos ego censor edicto meo.* Juvat super ea re Gellium audire, qui lib. XV, cap. 11, istud his verbis declarat : « Cn. Domitius Ænobarbus et L. Licinius Crassus censores de coercendis rhetoribus latinis ita edixerunt : renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse latinos rhetores; ibi homines adolescentulos dies totos desidere, etc. » Petav.

7. *Qui ejusmodi essent.* Recepi lectionem ed. s. l. et a. Med. Ascen. Lips. quia et idoneum sensum dat, et est facillima. Sensus est : qui tales artis dicendi magistri essent, quales dixi. Vulgatum *cujusmodi* ex ed. W. dedit Aldus, quod nullum sensum commodum habere potest. Pearcius edidit de conjectura virorum doctorum « cujusmodi essent », sine *qui* : quod sane sensu bonum est; sed correctio paullo violentior est. Ern. — Gulielmius conjiciebat « cujusque modi essent ». Lambinus edidit « cuicuimodi essent », quomodo et P. Manut. Gruter. — Sch. Lambinum sequitur.

8. *Et humanitatem dignam scientia.* Id est, modestiam et alias virtutes, quæ istam scientiam ornent, et ei conveniant : opponitur in latinis impudentia. Lambinus corrigebat « humanitate dignam scientiam » : quod hic sensum commodum non habet, estque scientia jam doctrinæ verbo expressa. Ern.

decerno, ut desperem, latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri[9] : patitur enim et lingua nostra, et natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Græcorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt; sin quando exstiterint, etiam Græcis erunt anteponendi.

XXV. (xxv.) Ornatur igitur oratio[1] genere[2] primum, et quasi colore quodam et succo suo : nam ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum; in toto spectantur hæc corpore. Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus; id non debet esse fusum æquabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint, quasi in ornatu, disposita quædam insignia et lumina. Genus igitur dicendi est eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet : non enim a me[3] jam exspectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta; aliud quiddam majus, et ingenia me hortantur vestra, et ætates.

9. *Tradi ac perpoliri.* Pearcius addi vult *posse*, quod nobis quoque, hæc primum legentibus, in mentem venit. Sed intelligi potest in hac forma præsens pro futuro. Ern.

XXV. 1. *Ornatur igitur oratio.* Institutum deinceps aggreditur, ac de ornatu orationis disserit : atque in primis duplex illud genus distinguit : unum in toto fusum corpore orationis : aliud spectatur in partibus. Quod similitudine humani corporis explicatur : in quo alia totius est pulchritudo, quæ in coloris bonitate, aptaque membrorum proportione cernitur : alia partium singularum. Pet.

2. *Genere primum*, etc. Hic *genere* valet quasi *generaliter*, id est, qualitatibus æque fusis per totam orationem.

3. *Non enim a me... ætates.* Hæc in parenthesi dicta sunt, quod non notatum ab aliis. Nam in « difficile est, etc. » redditur ratio præcepti, de

Difficile enim dictu est, quænam causa sit, cur ea, quæ maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine[4] et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? quæ tamen, etiamsi primo adspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsæ voculæ, quam certæ et severæ? quibus tamen non modo austeri, sed, si sæpius fiunt, multitudo ipsa reclamat. Licet hoc videre in reliquis sensibus; unguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis; et magis laudari, quod ceram[5], quam quod crocum olere videatur; in ipso tactu esse modum et mollitudinis et lævitatis[6]. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omni-

genere dicendi, quod sine satietate delectet. Ern. — Sic et ante Ernestium sententiam restituerat Pearcius, admissa parenthesi, et sic etiam impressum olim a Manutio locum idem nos in nota docet.

4. *Quanto colorum pulchritudine.* Exemplis, quod dixerat, illustrat. De vario genere picturæ, singulorumque generum proprietate, superius dixit. Pictura vetus, etsi rudis, nec ita florida, ipsa tamen antiquitate delectat. Eodem pacto in musica, vox ad suavitatem infracta et inflexa, si nimium iteretur, displicet. Patav.

5. *Et magis laud. q. ceram, quam quod crocum.* Alii pro *ceram* dant *terram*, quam lectionem Petavius tuetur ex h. l. Plinii, Nat. Hist. XVII, cap. 3 : « Certe Cicero, lux doctrinarum altera, *Meliora*, inquit, *unguenta sunt quæ terram, quam quæ crocum sapiunt.* Hoc enim maluit dixisse, quam redolent. Ita est profecto : illa erit optima, quæ unguenta sapiat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor, ille qui quæritur, contingit, sæpe etiam quiescente ea sub occasum solis, in quo loco arcus cælestis dejecerit capita sua : et quum a siccitate continua immaduit imbre : tunc emittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit ». Tuetur hanc eamdem lect. in suis notis et emend. ad Plin. lib. XIII, n. 6, Hard. — Vulgatum autem *ceram* defendit Brudæus, Misc. IV, 5, cui assentitur Ern. quia *cera* in unguento intelligi potest, non terra.

6. *Lævitatis.* Duo e nostris MSS *lenitatis.* J. V. L.

bus maxime voluptarius, quique dulcitudine[7] præter ceteros sensus commovetur[8], quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quæ leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant[9] satietatem. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est: quo hoc minus in oratione miremur; in qua vel ex poetis, vel oratoribus[10] possumus judicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione[11], sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta, vel poesis, vel oratio[12], non posse in delectatione esse diuturna.

XXVI. (XXVI.) Atque eo citius in oratoris aut in poetæ cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus, in nimia voluptate, natura, non mente satiantur[1]; in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi ju-

7. *Dulcitudine.* Sic ex h. l. profert Nonius, pag. 46, b. (ubi tamen in exemplo Paris. locus assignatur libro tertio de Nat. Deor. male), et habet ed. W. quam sequutus est Aldus, a quo hæc lect. in vulgatas ducta est. Ceteræ primæ habent *dulcedine*; ut Pall. quatuor apud Gruter. illud prætuli propter Nonii testimonium. Ern.

8. *Quique... commovetur.* Hæc insititia Sch. putat.

9. *Facillime fug. sat.* Ernestius, quem Schützius sequutus est, dat *effugiant.* Sic, inquit Ernest. ut supra *efflorescere* pro *florescere*, correxi vulgatum *fugiant*, quod sensus hujus loci respuit: syllaba prima, eodem modo, ut supra, excidit. Omnes MSS a J. V. L. collati exhibent *fugiant.*

10. *Vel oratoribus possumus judicare*, etc. Hæc verba, item paullo post, « vel poesis, vel oratio » glossatoris supplementa videntur. Sch.

11. *Sine reprehensione.* Lambinus *respiratione.*

12. *Vel poesis, vel oratio.* Video hos nominativos grammatica subtilitate defendi posse; sed in hac Ciceronis facilitate rectius est *poesin* vel *orationem*. Vicinus nominativus *picta* in errorem induxit librarios. Ern.

XXVI. 1. *Sensus in n. vol. natura, non mente satiantur.* Illum, qui satiatur mente aut natura, natura aut mens satiat: neque enim alio sensu *satiatur* cum ablativo intelligi potest: sed hoc non voluit Cicero; immo aliud longe diversum voluit. Quod si intelligere possimus « mente satiari », quid, quæso, est « natura satiari? » Lambinus hanc labem vulgatæ lectionis vidit, et sic corrigere voluit, « quod sensu in nimia voluptate natura, non mente, satiatur », ubi *na-*

dicio etiam magis, infucata vitia noscuntur. Quare, « bene », et « præclare [2] », quamvis nobis sæpe dicatur; « belle », et « festive », nimium sæpe nolo : quamquam illa ipsa exclamatio, « Non potest melius », sit velim crebra : sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque

tura est nominativi casus. Sed manet interim eadem vitiosa locutio *mente* et *sensu satiari* : et nec sententia satis numerosa videtur, nec ordo verborum elegans conservatur. Restat etiam hoc vitium et in vulgata, et in Lambini lectione, quod hæc verba « in nimia voluptate » nimis universa sunt, et de omnimoda voluptate dicuntur : sed Cicero de uno solo genere voluptatum nunc loquitur, scil. earum, quæ ex sensibus oriuntur. Opus igitur esse emendatione, ut opinor, lector fatebitur, sententiamque leviori, quam illa Lambini, mutatione, sic forsitan restituet : « quod sensus in nimia voluptate naturæ, non mentes satiantur, etc. » Id est : in gustatu, auditu, reliquisque voluptatibus, quæ a natura nobis sunt datæ, si nimiæ sint, non mentes gustantium, aut audientium, sed sensus soli satiantur : in iis autem voluptatibus, quæ ex arte proficiscuntur, ut in poesi et oratione, si nihil varietatis habeant, istud nimiæ similitudinis vitium noscitur non solum aurium, sed etiam animi judicio. *Voluptas naturæ est voluptas a natura data.* Sic Noster, de Fin. lib. V : « Quod in pueritia facillime se arbitrentur naturæ voluptatem posse cognoscere ». Sic de Orat. lib. II, c. 84 : « natura bona » eadem sunt, quæ in cap. 11 dicuntur « natura data hominibus ». Facillime autem ultima litera vocis *mentes* a sequenti *s* absorberi potuit. Prarc. — *Natura non mente satiantur.* Int. satietas a natura hominis pendet, quæ sensibus certum modum suavitatis gustandæ præscripsit : non a mente et intelligentia ac voluntate humana, quæ insatiabilis est; ut etiam indignentur interdum homines, quod voluptatis satietas citius, quam ipsi vellent, venit. Ern.

2. *Quare bene, et præclare.* Solebant non modo in scholis auditores, sed in foro populus oratoribus acclamare, quum aliquid impensius placeret : atque hæ erant acclamationes usitatæ, *bene, præclare, belle, festive, euge*, cujusmodi assentationum insaniam reprehendit Persius, Sat. I, 47, et Plutarchus, tractatu de audiendo. Atque eo etiam morbus iste pervasit, ut nonnullos subornatos homines haberent, qui in exclamando ceteris præirent. Hinc natum fortasse, ut græce θαυμάζειν, quod est admirari, pro eo quod est discipulum esse et auditorem, sumerent, ut est apud Hesychium. Ceterum hunc locum ita accipit Strebæus, quasi *bene, præclare*, et *belle* ac *festive* ad idem exclamationis et admirationis genus pertineant. Existimo tamen duo illa esse genera ac diversa exclamandi; ut quum alia sit orationis commendatio, ex eo quod apta sit, et artificiosa, et accommodata rebus, ex quo *bene* et *præclare*

eminere videatur. Numquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest,

Nam sapiens virtuti honorem, præmium, haud prædam petit:

sed abjicit prorsus, ut in proximos[3],

Ecquid video? ferro septus possidet sedes sacras,

incidat, adspiciat, admiretur, stupescat. Quid ille alter[4]:

Quid petam præsidi[5]?

quam leniter? quam remisse? quam non actuose? instat enim

O pater! o patria! o Priami domus!

In quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt, quam ipsi poetæ, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur. Ita sit nobis igitur ornatus et suavis orator (nec tamen potest aliter esse),

exclamari soleat, id in ea deberet esse frequentissimum; alia vero quum sit laus ex nitore et lepore, quæ lumina dicuntur, hoc est, insignior quidam ac fucatior ornatus, ut propterea *belle* ac *festive* acclametur; nonnumquam quidem erit istud aspergendum, sed parcius et rarius. PATAV. — Cur hanc vocem «non potest melius» crebram esse velit; nolit autem nimium sæpe dici «belle et festive» mihi eo interpretor, quod hæ voces de delicatiori ornatu orationis dicantur; quo genere nihil citius satietatem moveat; illa de omni virtute.

3. *Ut in proximos, Ecquid video?* Pall. omnes «et quid video»: ut videatur omnino legendum: «ut in proximo: Sed quid video». GRUT. — *Incidat, adspiciat.....stupescat.* Id est, in primos versus omnem vim actionis conferat, intuendo, etc. EAN. — Versus hi sunt ex Andromache Ennii. Cf. Tusc. III, 19.

4. *Quid ille alter.* Intell. *actor*, sc. Æsopus, si credimus interpr. gallico. Possis tamen et interpretari: alter versus quam leniter, etc. dicitur. Quamquam, fateor, satis durum est.

5. *Præsidi.* Ernest. scribit *præsidii*: concedit per contractionem vocem hanc esse pronuntiandam, sed non necessario, quod pronuntiatur, id scribi.

ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipsa ad ornandum præcepta, quæ dantur, ejusmodi sunt, ut ea quamvis[6] vitiosissimus orator explicare possit. Quare, ut ante dixi, primum silva rerum ac sententiarum[7] comparanda est, qua de parte dixit Antonius : hæc formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis.

XXVII. (XXVII.) Summa autem laus eloquentiæ est, amplificare rem ornando; quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abjiciendum. Id desideratur omnibus iis in locis, quos ad fidem orationis faciendam[1] adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum conciliamus animos, vel quum concitamus. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est propria maxime[2]. Etiam major est illa exercitatio, quam extremo sermone instruxit Antonius (primo rejiciebat), laudandi et vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatissime facere posse. Consequentur etiam illi loci[3], qui

6. *Quamvis.* Omnes MSS Regg. quos novimus, habent *quivis.* In vulgat. tamen videtur esse quiddam elegantius. J. V. L.

7. *Ac sententiarum.* Hoc, ut glossema, Schützius delet, arcessitque locum superiorem cap. 24, ubi simpliciter dictum : « rerum est silva magna ». — *Hæc formanda filo ipso et genere orationis.* Hæc silva rerum, sive materia orationis, ex serie ipsa orationis universæ locum suum et usum accipiet.

XXVII. 1. *Ad fidem orat. fac.* Legitima ratio requirit *orationi :* sed tamen et in Acad. IV, 7, est « aspectus ipse facit fidem judicii sui »; si tamen ille locus sine vitio est. Ern.

2. *Una laus or. est propr. maxime.* Pearcius recte vult deleri *et*, quod in vulgatis est ante *propria.* Ego vero sine dubitatione delevi : nam falsum est in amplificatione esse unam laudem oratoris : sed est « una maxime propria » : quia ea utitur solus orator, non philosophus, qui in hoc maxime

quamquam proprii causarum, et inhærentes in earum nervis esse debent, tamen quia de universa re tractari solent, communes a veteribus nominati sunt : quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quamdam cum amplificatione incusationem, aut querelam, contra quam dici nihil solet, nec potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam; quibus uti, confirmatis criminibus, oportet; aliter enim jejuni sunt, atque inanes : alii autem habent deprecationem, aut miserationem; alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet. Quæ exercitatio nunc propria duarum[4] philosophiarum, de quibus ante dixi, putatur : apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur. De virtute enim, de officio, de æquo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, præmio, pœna, similibusque de rebus, in utramque partem dicendi animos[5], et vim, et artem habere debemus. Sed, quoniam de nostra possessione depulsi, in parvo, et eo litigioso, prædiolo relicti sumus, et aliorum patroni, nostra tenere tuerique non potuimus : ab iis,

diversus est ab oratore, quod illa copia amplificandi non utitur. Ern.

3. *Consequentur etiam illi loci.* Usum locorum communium commendat. Erant hi communes loci sententiæ quædam, sive promptuaria argumentorum vel disputationum variis scilicet de rebus institutarum et generalibus, cujusmodi tria genera distinguit. Alii enim loci insectationes criminum quorumdam continebant, de quibus nemo dubitat quin pessima sint. Alii deprecationis aut miserationis excitandæ rationem continent. Tertium genus habet earum quæstionum tractationem quæ utramque in partem disputando trahuntur, ut sint de virtute, de justitia, ceterisque iis rebus institutæ disputationes. Petav.

4. *Propria duarum philosophiarum.* Quasnam significet planum est et facile : Peripateticos enim et Academicos innuit. Petav.

5. *Animos.* In hoc verbo semper hæsi, nec quid hic sit, nec quid ei faciam, habeo. Nam in disputatione universa de his rebus non opus est animis. Vim quidem habere debet orator, i. e. facultatem e copia rerum, et *artem* tenere, i. e. modum rerum

quod indignissimum est, qui in nostrum patrimonium irruperunt, quod opus est nobis, mutuemur.

XXVIII. (XXVIII.) Dicunt igitur nunc quidem[1] illi, qui ex particula parva urbis ac loci nomen habent, et peripatetici philosophi, aut academici nominantur, olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam, a Græcis politici philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur, omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitæ controversiæ[2] certis temporibus ac reis, hoc modo : « Placeatne a Carthaginiensibus captivos nostros, redditis suis, recuperari? » aut infinite de universo genere quærentis : « Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit? » Atque horum superius illud genus, causam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite, aut deliberatione, aut laudatione definiunt; hæc autem altera quæstio infinita et quasi proposita[3], consultatio nominatur : atque hactenus loquuntur[4]. Etiam hac in instituendo divisione utuntur, sed ita, non ut jure, aut judicio,

tractandarum. Ernest. — Purgoldus emendat « dicendo allieiendi animos »: mihi nunc *animos* simpliciter delendum videtur. Sch.

XXVIII. 1. *Dicunt igitur nunc quidem illi, qui ex.* Schützius sic verba transponit : « Dicunt igitur illi, qui nunc quidem ex ».

2. *Definitæ controversiæ.* Sic pro volgato « definita controversia » in MS reperit Pearcius, nec tamen recepit. Ego sine ullo MS sic rescripsissem, ne vitium latinitatis esset. Nam sibi respondent hæc duo : « genus controversiæ definitæ » et « infinite quærentis ». In talibus non opus est critico firmo et accurate exercitato MSS et edd. Ern.

3. *Quæstio... quasi proposita.* Respicit ad philosophorum morem, θέσιν appellandi *propositum*. Vid. Clav. Ern.

4. *Atque hactenus loquuntur. Etiam hac in instituendo.* Omitto *loquuntur*; ut sensus sit : « atque hactenus etiam hac instituendo divisione utuntur », scilicet rhetores, etsi in eorum provinciam invaserunt philosophi. Muret. — Schützius dat : « atque hactenus loquuntur illi. Quamquam rhetores etiam hac in inst. » nulla admota auctoritate. — *In instituendo.* Addidi præpositionem *in*, quæ non est in edd. sed abesse non potest : respondent hic paullo post : « alterum vero tantum in prima arte tradenda nominant ». Absorpta est præpositio a prima syllaba verbi sequentis. Ern.

ut denique[5] recuperare amissam possessionem, sed ut ex jure civili, surculo defringendo[6], usurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia[7]. Nunc enim apud Philonem, quem in academia maxime vigere audio, etiam harum jam causarum cognitio exercitatioque celebratur. Alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant, et oratoris esse dicunt; sed neque vim, neque naturam ejus, nec partes, nec genera proponunt[8], ut præteriri omnino fuerit satius, quam attentatum[9] deseri: nunc enim inopia reticere intelliguntur; tum judicio viderentur.

5. *Ut denique*. Schützius eum Lambino, « aut vi denique ».

6. *Surculo defringendo*. Ita philosophos illos de rhetorica tradere aliquid docet, ut non sibi penitus illam vindicent, neque in eam tanquam possessionem manus injiciant, sed de ea etiamnum contendentes imaginaria vindicatione usurpent in exigua aliqua parte. Olim enim petitor possessorem una cum prætore in rem præsentem ducebat: unde adversarium manu prehendens, rem, de qua erat contentio, sibi vindicabat: quod manum conserere appellabant. Posteaquam vero propagatis Italiæ finibus, prætores negotiis occupati proficisci ad longinquas res gravabantur, institutum est ut litigantes non apud prætores manum consererent, sed « ex jure », id est, ex eo loco ubi jus reddebatur, « manum consertum vocarent », id est, alter alterum ad manum conserendam in rem de qua ageretur, vocaret: atque profecti simul in agrum de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus in urbem ad prætorem deferrent, et in ea gleba, tamquam in toto agro, vindicarent. Nonnumquam et surculum ex arbore defractum ferebant. Multa de eo ritu Brissonius in Formulis. Itaque similitudo Ciceroniana hæc est: quo illi modo litigantes in parte agri exigua hærent, necdum totum obtinuerunt; sic philosophos, dum paucula quædam delibant ex rhetoricis, non veterem possessionem ex toto usurpare, quasi postliminio, sed particulam illius quasi adhuc alienæ rei arripere. PETAV.

7. *Lacinia*. Lacinia aliquid tenere vel obtinere, idem valet, ac rem nonnisi leviter tenere. Phrasis eadem in Plauti Asinaria, act. III, scen. 2, vs. 41. PEARC.

8. *Neque naturam ejus, nec partes, nec genera proponunt*. Schütz. dat: « neque naturam ejus generis, nec partes proponunt », quia ineptum esset dicere « ejus generis genera non proponunt ». In Guelf. 1 est: « neque naturam ejus partis nec genera ».

9. *Quam attentatum deseri*. Memmii membr. item Pal. unus *intractatum*: chartaceus *ad tantum*, quod et in Pal. tert. quart. sept. nam pr. sec. *atractum*, oct. *attrectatum*, quod et ad oram quart. Pith. *attactum*. Ed.

XXIX. (XXIX.) Omnis igitur res eamdem habet naturam ambigendi, de qua quæri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur[1], sive in iis causis, quæ in civitate, et in forensi disceptatione versantur[2]; neque est ulla, quæ non aut ad cognoscendi, aut ad agendi vim[3] rationemque referatur. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur, ut « Virtus suamne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur? » aut agendi consilium exquiritur, ut, « Sitne sapienti capessenda respublica? » Cognitionis autem tres modi, conjectura, definitio, et, ut ita dicam, consecutio. Nam, quid in re[4] sit, conjectura quæritur, ut illud, « Sitne in humano genere sapientia? » Quam autem vim quæque res habeat, definitio explicat; ut, si quæratur, « quid sit sapientia? » Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, inquiritur[5]; ut illud, « Sitne aliquando mentiri boni viri? »

Redeunt rursus ad conjecturam, eamque in quatuor genera dispertiunt. Nam aut quid sit, quæritur, hoc modo : « Naturane sit jus inter homines, an opinionibus? » aut, quæ sit origo cujusque rei; ut, « quod sit initium legum, aut rerum publicarum? » aut causa, et ratio[6]; ut, si quæratur, « cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant? » aut de immutatione; ut,

prima « quam tale ac tantum deseri ». GRUT. — MS E. *attactum*. ERN.

XXIX. 1. *Disceptatur*. Videtur scribendum *disceptetur*. ERN. — Schützius hoc verbum delet.

2. *Versantur*. MS E. habet *versentur*. Sed vulg. verum est. ERN.

3. *Aut ad cognoscendi, aut ad agendi vim*. Bene vertit interpres gallicus, « qui n'ait rapport à la théorie ou à la pratique ».

4. *Quid in re sit*. Id est, ut vulgo loquuntur, an aliquid exsistat. Solet etiam dicere : « quid in re positum sit atque natura ». ERN. — Schützius dat « ecquid in re sit ».

5. *Inquiritur*. Schützius cum Guelf. 2, *anquiritur*.

6. *Causa, et ratio*. Multi e nostris codd. « causæ tractatio », quod non displicet. J. V. L. — Sensum quidem habet ista lectio haud absurdum; ex-

si disputetur, « num interire virtus in homine, aut num in vitium possit converti? »

Definitionis autem sunt disceptationes, aut, quum quæritur[7], quid in communi mente quasi impressum sit; ut[8], si disseratur, « idne sit jus, quod maximæ parti sit utile »; aut, quum, quid cujusque sit proprium, exquiritur; ut, « ornate dicere, propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis præterea possit? » aut, quum res distribuitur in partes; ut, si quæratur, « quot sint genera rerum expetendarum, aut, sintne tria[9], corporis, animi, externarumque rerum »; aut, quum, quæ forma[10], et quasi naturalis nota cujusque sit, describitur; ut, si quæratur « avari species, seditiosi, gloriosi[11] ».

Consecutionis autem duo prima quæstionum genera ponuntur : nam aut simplex est disceptatio, ut, si disseratur, « expetendane sit gloria »; aut ex com-

quisitum fortasse nimis; et vulgata prorsus Tulliana.

7. *Aut, quum quæritur.* Mutavi vulgatum *ut* in *aut*, quia exemplum non subjicitur, sed species quædam definitionis. Quatuor ejus sunt species. Prima est, quum quæritur, quid in communi mente quasi impressum sit, quam Cicero in Topicis vocat notionem, et ejus speciei exemplum est, « Idne est jus, quod maximæ parti sit utile? » Secunda est, quum, quid cujusque sit proprium, exquiritur : quod Cicero in Topicis vocat proprietatem. Tertia, quum res distribuitur in partes; quod vocat divisionem. Quarta, quum quæ forma et quasi naturalis nota cujusque sit, describitur : quam vocat descriptionem. Vides igitur, lector, *aut* legendum esse, quod præponitur tribus postremis speciebus.

8. *Ut, si disseratur, idne sit,* etc. Lallem. « aut si disseratur ». Idem Lall. infra delet *ut* ante *æquumne*.

9. *Aut, sintne tria.* Pearcius corrigit *ut* non bene. Est enim hic vel explicatio præcedentis « quot sint genera r. e. » ubi nec *aut*, nec *ut* stare potest, delendumque sit *aut;* vel duplex quæstio, altera sine numero, altera numero : in quo *aut* esse debet. Atque id nos sequuti sumus, quia libri omnes *aut* habent. Ern. — Schützius dedit « et sintne tria ».

10. *Aut, quum, quæ forma.* Notationes, sive descriptiones morum indicat, quos characteres Græci vocant: quando res non simplici definitione aperitur, sed per multiplicis signa et quasi vestigia explicatur. Cujusmodi sunt morales Theophrasti characteres, quæ in oratione collocata ethopœiam faciunt, et præcipue ad comœdias pertinent. Petav.

11. *Gloriosi.* Cod. Regius 7703, *gulosi.* Quibusdam forte verum videa-

paratione, « laus an divitiæ magis expetendæ sint ». Simplicium autem sunt tres modi : de expetendis fugiendisve rebus; ut, « expetendine honores sint? num fugienda paupertas? » de æquo aut iniquo; ut, « æquumne sit ulcisci injurias etiam propinquorum? » de honesto aut turpi; ut hoc, « sitne honestum, gloriæ causa mortem obire? » Comparationis autem duo sunt modi, unus, quum, idemne sit, an aliquid intersit, quæritur; ut, « metuere et vereri, ut rex et tyrannus, ut assentator et amicus »; alter, quum, quid præstet aliud alii, quæritur; ut illud, « optimine cujusque sapientes, an populari laude ducantur? » Atque eæ quidem disceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur.

XXX. (xxx.) Quæ vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere, quid rectum faciendumque sit, quæritur; cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subjecta; aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut sedanda tollendave tractantur. Huic generi subjectæ sunt cohortationes, objurgationes[1], consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum et impulsio, et, si ita res feret, mitigatio.

Explicatis igitur his generibus, ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepavit[2] ab Antonii divisione nostra partitio : eadem enim sunt membra in utriusque disputationibus[3], sed paullo secus a me, atque ab illo, partita ac

tur. J. V. L. — Malit *gloriosi*, qui putat Ciceronis esse libros ad Herenn. quorum quartus habet *gloriosi effigiem*. — *Consecutionis autem duo prima quæstionum genera*. Memmii membr. « duo contermina ». De quo amplius quærendum : nam Pal. pr. habet fere « duo crimina »; sec. *crimmina*. Grut. — Unus MS a Clerico collatus *contermina*.

XXX. 1. *Objurg.* abest ed. Lallem.

2. *Discrepavit*. Sch. *discrepuit* cum Guelf. 2, 3, idemque est ap. Nunium.

3. *In utriusque disputationibus*.

distributa[4]. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quæque genera quæstionum argumenta sumenda : sed aliis generibus alii loci magis erunt apti; de quo non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse.

(XXXI.) Ornatissimæ sunt igitur orationes eæ, quæ latissime vagantur, et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt, ut ii, qui audiant, natura, et genere[5], et universa re cognita, de singulis reis, et criminibus, et litibus statuere possint. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos, adolescentes, est cohortatus Antonius, atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque vos disserendi traducendos putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani, atque hujus ambulationis antemeridianæ, aut nostræ pomeridianæ sessionis[6]. Non enim solum acuenda nobis, neque procudenda[7] lingua est, sed onerandum

Scripsi *utriusque* pro *utrisque* ex edd. s. l. et a. Med. Asc. Lips. At ed. W. habet *verisque* vitiose, unde Aldus fecit *utrisque*, idque sequuti sunt omnes. Pearcius edidit « utriusque disputatione », ut est in MS E. ERNEST. — Schützius fecit cum Pearcio, quod et Guelf. 1.

4. *Partita ac distributa*. Pall. priores et Gallicani duo *tributa* solum retinent. GRUT. — Codd. 7703, *tributa*. J. V. L.

5. *Natura, et genere*. Gulielmius attendendum putabat binis Gallicanis *naturæ genere* : et id certe etiam in Pal. pr. et sec. Sed nihil mutarim. GRUT. — Scribendum videtur « natura generis ». SCH.

6. *Neque Tusculani... sessionis*. Hæc transpositis duabus voculis sic Schützius legenda censet : « neque Tusculani, atque nostræ ambulationis antemeridianæ, aut hujus pomeridianæ sessionis ».

7. *Neque procudenda lingua*. *Procudenda* nihil aliud est quam *acuenda* : nam procudendo ferrum fit acutum; posuit duo verba de re una, ut statim « pectus complendum onerandumque ». Itaque videtur leg. esse *at-*

complendumque[8] pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.

XXXI. Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus), nostra est, inquam, omnis ista prudentiæ doctrinæque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt, atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis præcipiunt libellis, eosque rhetoricos inscribunt, quasi non illa sint propria rhetorum[1], quæ ab iisdem de justitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturæ ratione dicuntur. Quæ quoniam jam[2] aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus; dummodo illa ad hanc civilem scientiam[3], quo pertinent, et quam intuentur, transferamus, neque, ut ante dixi, omnem teramus in his discendis rebus ætatem; sed quum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, numquam cognoscet omnino, tum, quotiescumque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriamus[4]. Nam neque tam est acris acies in naturis

que. Si tamen serves *neque*, repetendum erit *solum* intelligendo. Ern.

8. *O. complendumque*. Sch. reposuit *ornandum*. *Onerandum* necnon « et plurimarum » quod sequitur abest Gu. 1, ut Schützio videtur, melius.

XXXI. 1. *Rhetorum*. Schutzius dat *oratorum*. Hic, inquit, non de rhetoribus, i. e. artes rhetoricæ magistris, sed de oratoribus agitur.

2. *Quoniam jam*. Schützius delet *jam* cum Guelf. 1.

3. *Ad civilem scientiam*. Id est, ad scientiam administrandæ reipublicæ.

4. *Hauriamus*. Correxi pro *hauriemus*. Nam structura orationis sic flagitat : « dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent, et quam intuentur, transferamus, neque ... omnem teramus in his discendis rebus ; sed quum fontes ...... hauriamus ». In talibus sine libris oportet corrigere. Vidit Pearcius, sed non intulit in textum. Ern.

hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre; neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. In hoc igitur tanto, tam immensoque[5] campo, quum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit; et, si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei natura quidam[6] splendor in verbis. Sit modo is, qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adjuvetur, et in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus, ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit[7]: næ ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret: ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce, natura ipsa, si modo est exercitata[8], labetur.

XXXII. (xxxii.) — Hic Catulus, Dii immortales! inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, et in majo-

5. *Tam immensoque.* Sic pro «tamque immenso» edidit Pearcius. Consentit Erl. estque numerosius. Ern.

6. *Exsistit ex rei natura quidam.* Schützius corrigit «exsistit ex ea naturalis quidam», servante Guelf. 1, in quo est «exsistit ex re naturales quidam». *Ex ea* vero reposuit, quod refertur ad antecedens *honestas.*

7. *Scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit.* Pal. pr. Pith. Memm. membr. «scriptores oratoresque cognoscendos imitandosque delegerit», et sic quoque fere secundus, videturque potius vulgato. Gru. —Vulgata enim ante Pearcium erat *cognorit*, qui *delegerit* e MSS pluribus quibus consentit Erl. edidit. Ernest. retinuit vulg. *cognorit*, quia hujus verbi major est vis. — Habent Ernestius et J. V. *Le Clerc* post *exercitatus* punctum cum virgula; quod emendare necesse putavi.

8. *Exercitata.* Schütz. dat *excitata.*

rum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus, semperque esse in omni orationis ratione [1] versatos. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta pæne audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret: nec solum has artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poetarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebuspublicis dicerentur [2]; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset [3], se sua manu confecisse. Scilicet nimis hic quidem est progressus; sed ex eo ipso est conjectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de præclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint.

Quid de Prodico Ceo [4]? quid de Thrasymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum et disseruit et scripsit. Ipse ille Leontinus Gorgias, quo patrono (ut Plato voluit) philosopho succubuit orator, qui aut non est victus unquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est; aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit, et disertior Socrates, et, ut tu appellas, copiosior et melior orator: sed hic in illo ipso Platonis libro, de omni re, quæ-

XXXII. 1. *Orationis ratione.* Lambinus malebat « in omni orationis genere versatos ».

2. *Quæ de rebuspublicis dicerentur.* Lambinus *disserantur.* Pall. nihil variant, nisi quod octavus *ducerentur*, quod non omnino insuper habuerim.

3. *Soccos, quibus indutus esset.* Pall. duo et Memmii chartaceus *inductus*, et dignum est examine. GAUT.

4. *Ceo.* Alii, *Ceio*, ut Schützius: Ernest. *Chio.*

cumque in disceptationem quæstionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire : cui tantus honos habitus est a Græcia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua[5], sed aurea statueretur.

Atque ii, quos nominavi, multique præterea summi dicendi auctores[6], uno tempore fuerunt : ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis; oratorisque nomen apud antiquos in Græcia, majore quadam vel copia vel gloria, floruisse. Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis, an Græcis vituperationis esse tribuendum statuam : quum tu, in alia lingua ac moribus natus[7], occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis pæne omnibus[8], vel orbis terræ procuratione, ac summi imperii gubernatione districtus, tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis, eamque omnem cum ejus, qui consilio et oratione in civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris; illi nati in literis, ardentesque his studiis, otio vero diffluentes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem, et traditum, et suum conservaverint.

5. *Delphis non inaurata statua.* Immo nun a Græcis erecta illa statua, sed ab ipso sibi sophista, si audiendus Plinius, qui, Hist. Nat. XXXIII, 24 : « Hominum, inquit, primus et auream statuam et solidam Gorgias Leontinus Delphis in templo sibi posuit, LXX circiter Olympiade. Tantus erat docendæ oratoriæ artis quæstus! » Sed nihil hac in parte fidei habeas Plinio. Præstat et Ciceroni credere, et Valerio, lib. VIII, c. 15, et Pausaniæ, qui tamen non auream, sed inauratam esse ait lib. X. Petav.

6. *Dicendi auctores.* Sic pro *doctores* MS Erl. rectissime. Ern.—*Doctores* Guelf. 2, 3. Al. fortasse utrumque conjungendum, ut supra : « namque illos veteres doctores auctoresque dicendi », in quo « auctores dicendi » sunt ipsi oratores, doctores autem ii qui de arte præcipiunt. Sch.

7. *Ac moribus natus.* Pith. *notis*, unde putat Gulielmius forte legendum *ignotis*. Non putem. Gaut.

8. *Vel privatorum negotiis pæne omnibus.* Fortasse melius fuerit *omnium*. Ern. — Schützius emendat *obrutus*.

XXXIII. (XXXIII.) — Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus, distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutæ[1]. An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios[2], qui oculis mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam Damone aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? Equidem sæpe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiæ gloria vellent, omnia, quæ quidem tum hæc civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Ælium; M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam : ad quos olim et ita ambulantes, et in solio sedentes domi, sic adibatur, non solum ut de jure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda,

XXXIII. 1. *Magnitudines sunt artium diminutæ.* Crassus errat, quum de divisione doctrinarum queritur, quam laudare deberet. Nempe quum adhuc parvis terminis cujusque artis observationes circumscribuntur, omnes simul doctrinas unius hominis ingenium comprehendere potest : sed simul atque campum suum longius extendere cœperunt, adeo ingentem materiam unaquæque doctrina præbet ingeniis, ut necesse sit doctis singulas certis terminis definire, ne alia in aliam influat, indeque confusio nascatur, quæ futuris earum progressibus obstaret. Eæ nempe doctrinæ ad perfectiorem rationem tendere jam non possent, si ab iis solum exercerentur qui summum cujusque florem decerperent, quum angustius sit hominis ingenium, quam ut omnes doctrinas, nulla omissa parte, comprehensas habeat. Ceterum de hac eloquentiæ et philosophiæ societate vide præclaram orationem quam scripsit noster *d'Aguesseau*, hoc titulo, *sur l'union de l'éloquence et de la philosophie.*

2. *Alios, qui oculis mederentur.* Ridicule Lambini editio infersit «alios qui auribus», quasi vero tam periculose curarentur aures, ut eis opus medico peculiari. GRUT.

de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur. Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc Tib. Coruncanii, hæc proavi generi mei[3], Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur: iidemque et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum, et domi, et militiæ consilium suum fidemque præstabant. Quid enim M. Catoni, præter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam, defuit? num, quia jus civile didicerat[4], causas non dicebat? aut quia poterat dicere, juris scientiam negligebat? At utroque[5] in genere et laboravit, et præstitit. Num propter hanc ex privatorum negotiis collectam gratiam tardior in republica capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator; idem facile optimus imperator; denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit. Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rempublicam gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert[6], ut bellicam virtutem, aut usum

3. *Hæc proavi generi mei, Scipionis.* Sic edd. pr. recte: vulgatæ edd. male interpungunt « proavi, generi mei, Scipionis ». Scipio est proavus generi. Ern.

4. *Jus civile didicerat.* Pall. septem, Gallicani tres, « non didicerat », quod mutabat Gulielm. in *condidicerat*. — Ego habeo quo defendam lectionem mediam; prima editio tamen « civile dicebat ». Gaut. — Ed. W. et s. l. a. Lips. *dicebat*, vitiose. Ed. Med. Asc. « non did. » Aldus *non* recte delevit.

5. *At utroque.* Sic correxit Aldus vitiosam lectionem edd. pr. *aut*. Pearcius etiam *at* delevit; nam et in altero « nemo ap. p. f. non est ». Delevissem et ipse, si necessarium esset eadem forma responderi; melius tamen puto abesse. Ern.—Schutzius delevit *at*.

6. *Si unum aliquid affert.* Puto esse scribendum *aliquod*. Si esset « si aliquid affert unum », nulla esset dubitatio. Ern.

aliquem militarem, quæ sane nunc quidem obsoleverunt[7]; aut juris scientiam, ne ejus quidem universi: nam pontificium, quod est conjunctum, nemo discit; aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant; omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

XXXIV. (XXXIV.) Sed, ut ad Græcos referam orationem (quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus: nam ut virtutis a nostris, sic doctrinæ sunt ab illis exempla repetenda); septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur, et vocarentur. Hi omnes, præter Milesium Thalen, civitatibus suis præfuerunt. Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior fuisse traditur, quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis; sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque præstaret. Quid Pericles? de cujus dicendi copia[1] sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriæ severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et jucundum videretur: cujus in labris veteres Comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non clamator[2] aliquis ad clepsydram[3] latrare

7. *Obsoleverunt.* Habent *obsoluerunt* fere omnes codd. Regii. J. V. L.

XXXIV. 1. *Copia.* Habet *ratione* cod. 7703; idem, paucis verbis interjectis, «dum contra» pro «quum contra». J. V. L.

2. *Clamator.* Ita septem Pall. et Memmii chartaceus, olimque cusi; recentiores *declamator*, minus recte; priore voce usus et supra cap. 21 ante finem. GRUT.

3. *Ad clepsydram.* Oratoribus ad

docuerat, sed, ut accepimus, Clazomenius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens, quadraginta annos præfuit Athenis et urbanis, eodem tempore, et bellicis rebus. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi[4]? Quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguæ solum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates clarissimum virum Timo-

causas agendas certum tempus definiebatur per clepsydram, quo elapso silere necesse erat: fiebatque non raro quod ait Quintilianus, lib. XII, c. 6: « Laboratam congestamque dierum ac noctium studio actionem aqua deficit ». De forma clepsydræ atque usu nonnulla scitu necessaria ex antiquis scriptoribus juvat hic breviter exponere: præsertimque ex Aristophanis interprete (Acharn. vs. 693, et Vesp. vs. 93), Ἡ κλεψύδρα ἀγγεῖον... Clepsydra vas est habens exiguum foramen in fundo, quod in judicio plenum aqua ponebatur, ad quam oratores dicebant: hoc est, tamdiu dicere poterant ac perorare quamdiu aqua per angustum foramen fluebat. Apuleius, Metam. lib. III: « Præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exsurgit, et ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem coli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluo infusa aqua, populum sic adorat ». Falso sibi persuaderet aliquis, clepsydram fuisse nostris clepsammidiis similem, hoc est, horologiis, ut quidam vocant, pulverariis, quibus scilicet horarum intervalla partimur effluxu arenæ. Nam neque duobus ex vasculis Veterum clepsydra constabat, quorum ex altero aqua in alterum per vices deflueret; sed uno tantum. Neque in eo aqua erat perpetua; sed quæ effusa identidem transmitteretur, subjecto, ut opinor, vase recepta: aut certe quæ singulis causis nova atque appensa transfunderetur. Eam publicus lector appendebat, quæ ubi omnis effluxerat, monebatur orator esse desinendum. Quod si sermonem interrumperet casu quopiam, aut aliquid de scripto recitaret, jubebat præconem aquam sistere. Apuleius in Apolog. « At tu, interea dum legis, aquam sustine ». Πρὸς ὕδωρ λέγειν, ad aquam dicere, perinde est ac dicere ad clepsydram. PETAV.

4. *Docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disp. eruditi?* Conf. Horat. Art. Poet. « Scribendi recte sapere est et principium et fons. Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ, Verbaque provisam rem non invita sequentur. Qui didicit, patriæ quid debeat, et quid amicis, etc. »

theum, Cononis, præstantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem, hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis Thebanum Epaminondam, haud scio an summum virum unum omnis Græciæ? aut Xenophon Agesilaum, aut Philolaum Archytas Tarentinus? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiæ Græciam, quæ quondam magna vocitata est? Equidem non arbitror.

XXXV. (xxxv.) Sic enim video, unam quamdam omnium rerum, quæ essent homine erudito dignæ, atque eo, qui in republica vellet excellere, fuisse doctrinam: quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent, et se ad dicendum quoque, non repugnante natura, dedissent, eloquentia præstitisse. Itaque ipse Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, quod[1] ipse suas disputationes a causis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinæ suæ, versumque quemdam Philoctetæ[2] paullo secus dixit. Ille enim «turpe sibi ait esse tacere[3], quum barbaros»;

XXXV. 1. *Quod ipse*. Schützius dat «quod ille suas disputationes a causis forensibus».

2. *Philoctetæ*. Sic edd. pr. et MS E. Vulgatum «de Philocteta» est ab Aldo: illud melius; versus est quem Philoctetes apud poetam dicit. Ern. — Schützius servavit «de Philocteta», id est, quod ex tragœdia Philocteta, bene defendente Heusingero ad Cic. de Off. III, 21.

3. *Esse tacere, quum barbaros*. Versus ad quem alludit Cicero, exstat apud Quintilian. lib. III, cap. 1, et Diogen. Laertium in vita Aristotelis: αἰσχρὸν σιωπᾷν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾷν λέγειν. Versus autem ipsius Euripidis in Philocteta sic se habet: αἰσχρὸν σιωπᾷν, βαρβάρους δ' ἐᾷν λέγειν. Ex quo apparet, non *barbaris*, ut vulgo, sed *barbaros* legendum esse: quod et ipse Cicero indicat, quum dicit in accusativo casu *Isocratem*, nempe sic expletur sententia, «quum barbaros pateretur dicere». Hanc mendam sæpe observarunt viri doctissimi: nemo tamen adhuc *barbaros* in textum reposuit. Adde, quod MS Bal. Harl. 1 et Joan. *barbaros* rectissime exhibent. Pearc. — Ernest. se Pearcium sequi dicit et addit: MS E. Ed. W. omittit *quum*. Ed. s. l. s. «cum barbaris» errore

hic autem, « quum Isocratem pateretur dicere ». Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem, Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et agendi acciperet præcepta, et loquendi [4].

Nunc, si qui volet [5], eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam junctam habere eloquentiæ, philosophum appellare malit, non impediam : dummodo hoc constet, neque infantiam ejus, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat; neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam : quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem [6]. Sin quærimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est : quem si patiuntur eumdem esse philosophum, sublata controversia est. Sin eos disjungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia; quæ quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur.

operarum, quod tamen omnes prope sequuti sunt. Ern.

4. *Et loquendi*. Schützius mavult « et eloquendi », ut est in Ald.

5. *Si qui volet*. Vulg. « sive qui volet ». Puto, ait Ernest. verum esse « si qui volet ». Quia in altero membro est *sive*, hic quoque fecerunt *sive*, male. nam hic nihil est, quod τῷ *sive* respondeat : alterum « sive hunc oratorem... philosophum appellare malit », non huic, « sive q. v. » sed ceteris, « eum philosophum, qui copiam ... per me appellet ». MS E. *sive* habet a m. sec. Ern.

6. *Quam stultitiam loquacem*. Apud Gellium, Noct. Att. I, 15, est « stultam loquacitatem ». Ern.

Hæc quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit.

XXXVI. (xxxvi.) Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam, et non id, quod susceperis, disputasse; plus enim aliquando[1] attulisti, quam tibi esset tributum[2] a nobis ac denuntiatum : sed certe et hæ partes fuerunt tuæ, de illustranda oratione ut diceres, et eras ipse jam ingressus, atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras; quumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigueque dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus. Quo quum ingressus esses, repente te quasi quidam æstus ingenii tui procul a terra abripuit, atque in altum a conspectu pæne omnium abstraxit[3]. Omnem enim rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti : neque enim fuit tam exigui temporis; sed, apud hos quid profeceris, nescio; me quidem in academiam totum compulisti. In qua velim sit illud[4], quod sæpe posuisti, ut non necesse sit consumere ætatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo adspexerit : sed etiamsi est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior,

XXXVI. 1. *Aliquando.* Sch. Lall. *aliquanto.*

2. *Esset tributum a nobis, sed denuntiatum.* Ed. W. « erat attributum a nobis : sed, etc. » Placet sane *attributum* ex re pecuniaria, in qua solutio attribui dicitur. Vid. Clav. in h. l. Videturque *tributum* pro impositum, mandatum, nimis lene esse : nec *erat* displicet, quod et MS E. habet. Sed idem non habet *ac demum.* Mutatio *erat* in *esset* videtur absorpsisse primam syllabam in *attributum.* Ern.— Schützius dedit *attributum* cum Guelf. 1, et sic optimi Pariss. MSS a J.V. L. citati.

3. *Abstraxit. Omnem enim rerum.* Pro *abstraxit* ed. Med. Asc. Lips. *distraxit. Omnem enim* restituimus, pro vulgato *omnemque* (quod est ab Ald.) ex edd. pr. omnibus et MS E. Sic restituit etiam Pearcius. Ern.

4. *In qua velim sit illud, quod s. posuisti, ut.* Schützius dat : « In qua velim (illud quod s. posuisti) ut non necesse, etc. »

profecto numquam conquiescam, neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus, et contra omnia disputandi, percepero.

— Tum Cæsar, Unum, inquit, me ex tuo sermone maxime, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, umquam omnino posse perdiscere : ut mihi non sit difficile periclitari[5], et aut statim percipere ista, quæ tu verbis ad cælum extulisti; aut, si non potuerim, tempus non perdere, quum tamen his nostris possim esse contentus.

— Hic Sulpicius, Ego vero, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum, neque Carneadem, nec philosophorum quemquam desidero : vel me licet existimes desperare, ista posse[6] perdiscere, vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium et communium vulgaris hæc cognitio satis magna est ad eam, quam specto, eloquentiam : ex qua ipsa tamen permulta nescio; quæ tum denique, quum causa aliqua, quæ a me dicenda est, desiderat, quæro. Quamobrem, nisi forte es jam defessus, et si tibi non graves sumus, refer ad illa te, quæ ad ipsius orationis laudem splendoremque pertinent : quæ ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem.

XXXVII. (XXXVII.)—Tum Crassus, Pervulgatas res requiris, inquit, et tibi non incognitas, Sulpici. Quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum reliquit? Sed geram morem, et ea dumtaxat, quæ mihi nota sunt, breviter exponam tibi[1]; censebo

5. *Periclitari*, tentare fortunam ejus doctrinæ discendæ.

6. *Ista posse*. Hoc ordine MS E. et edd. pr. Aldus fecit « posse ista ». Illud facilius. Ern.

XXXVII. 1. *Sed geram morem, et e. d. q. m. n. s. br. exponam tibi.* Schützius dat cum Lambino, ut concinnius : « sed geram tibi morem, et e. d. q. m. n. s. breviter exponam ».

tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum.

Omnis igitur oratio conficitur ex verbis : quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde conjuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis conjunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quæ propria sunt [2], et certa quasi vocabula rerum, pæne una nata cum rebus ipsis; aut iis, quæ transferuntur, et quasi alieno in loco collocantur; aut iis, quæ novamus, et facimus ipsi. In propriis est igitur verbis illa laus oratoris, ut abjecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus, atque is aurium quodam judicio ponderandus : in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet, « Bonis is verbis [3] », aut, « aliquis non bonis utitur », non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu judicatur: in quo non magna laus est, vitare vitium, quamquam id est magnum; verum hoc quasi solum [4] quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. Sed quid ipse ædificet orator, et in quo adjungat artem, id esse a nobis quærendum atque explicandum videtur.

XXXVIII. (XXXVIII.) Tria sunt igitur in verbo simplici, quæ orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut

2. *Quæ propria sunt*. Lall. « propria quæ sunt ».

3. *Bonis is verbis*. Sch. cum Guelf. 1, « bonis hic verbis ».

4. *Verum hoc quasi solum*. Pal. pr. sec. interserunt *tamen*, item Pith. qui adhuc adjicit *hujus:* sed enim ceteri Pall. habent : « verum jam in hoc quasi solum ». GRUTER. — Sch. Lall. « verum tamen hoc quasi ». »

translatum. Inusitata sunt, prisca fere ac vetusta, et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa, quæ sunt poetarum licentiæ liberiora, quam nostræ [1] : sed tamen raro habet etiam [2] in oratione poeticum aliquod [3] verbum dignitatem; neque enim illud fugerim dicere, ut Cœlius : « Qua tempestate Pœnus in Italiam venit »; nec « prolem », aut « sobolem », aut effari », aut « nuncupari [4] »; aut, ut tu soles, Catule, « non rebar [5] », aut « opinabar »; et alia multa, quibus loco positis, grandior, atque antiquior oratio sæpe videri solet.

XXXVIII. 1. *Quam nostræ.* Scil. licentiæ. Sic e MSS dedit Pearcius. Saltem in vulgata *nostra* etiam *licentia* foret scribendum, ut habent edd. ante Aldum, a quo est vulgata lectio.

2. *Sed tamen raro habet etiam.* Legendum esse « non raro » aperte ostendunt verba illa : « sed tamen »; tum ea, « etiam in oratione ». Mun. — Vox *raro*, cum adjecta, ut hic, voce *etiam*, significat *aliquando*, *nonnumquam* : quo sensu iterum Noster idem adverbium usurpat cap. 52 : « Translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetustis » : et in lib. II, cap. 25 : « plerumque ex futuri, raro etiam ex instantis, etc. » Pearc. — Nisi *raro* intelligas *interdum*, quod tamen duriusculum sit, scribendum est « sed tamen haud », vel *non raro*. Nam id postulant sequentia : item illud paullo post : « quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio sæpe videri solet ».

3. *Poeticum aliquod.* Manifestum est singulas hujus loci partes rimanti, Ciceronem de solis inusitatis et priscis verbis sermonem habere : et, quum exempla proferat, num *poetica* verba affert? Annon verba quædam, quæ poetis sunt inaudita, adducit? *Opinabar*, *nuncupari*, et alia nonnulla apud oratores invenienda sunt, apud poetas nullum habent locum. Si hoc modo locum recudas : « sed tamen raro habet etiam in oratione pervetustum aliquod verbum dignitatem » : idem hic dicet Cicero, quod in cap. 52 mox dicturus est : « ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro etiam pervetustis ». Adde, quod Quintil. lib. VIII, c. 3, dicit : « Propriis dignitatem dat antiquitas ». Mox addit : « quædam tamen adhuc vetera vetustate ipsa gratius nitent : quædam etiam necessario interim sumuntur, *nuncupare*, et *fari* ». Pearcius. — Pearcius conjicit *pervetustum*, nempe quia de obsoletis verbis sermo est. Sed non est assequutus rationem Ciceronis. Licet, inquit, uti obsoletis, ut poetis : nam et aliis, poetica quæ sunt, usurpare licet : qualia sunt in exemplis subjectis, quæ sane non sunt obsoleta, sed poetis usitatiora, ut *tempestas* pro *tempus*, *proles* et *soboles* pro *liberis*. Ern. — Schützius Pearcio assentiens corrigit tamen *priscum*, quia vox illa facilius a librariis in *poeticum* depravari potuit.

4. *Effari... nuncupari.* Schützius dat « fari... nuncupare » ex Quint. loco supra citato.

5. *Non rebar.* Cod. 7703, *non ve*

Novantur autem verba, quæ ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis, ut hæc:

Tum pavor sapientiam omnem mihi[6] exanimato expectorat.
Num non vis hujus me[7] versutiloquas malitias?

videtis enim et « versutiloquas », et « expectorat », ex conjunctione facta esse verba, non nata[8]; vel sæpe sine conjunctione[9] verba novantur[10], ut, « ille senius », ut, « dii genitales[11] », ut « baccarum ubertate incurvescere[12] ».

Tertius ille modus transferendi verbi late patet,

rebar, minus probabiliter. J. V. L.

6. *Omnem m. exanimato.* Sic edd. pr. MS E. et plures alii apud Pearc. non « mihi omnem », et sic volebat Bentleius. Ern. — Sch. dat *mi* pro *mihi*, quod in Guelf. 1, 2, 3. Alii, ut in Tusc. IV, 8, « ex animo ».

7. *Num non vis hujus me versut.* Mirifice variant Pall. nostri : nonus solum accedit conjecturæ Gulielmianæ : « Num metuit hujus versut. » habet enim : « Num vero me vis hujus versut. » Grut. — Sch. dat « Num vis me hujus versut. » quia in vulgata versus non est ad metrum integer.

8. *Non nata.* Schützius corrigit « non nativa ». Conferendumque jubet Cicer. Partitt. Orr. cap. 51, et Quint. VIII, 8, 36. — Vide utrum ex hoc Ciceronis loco interpretandus sit Horatii in Arte Poetica locus de junctura verborum, an junctura illa pro serie intelligenda sit, et hanc dicendi virtutem exprimat, quam Petronius vocat curiosam Horatii felicitatem.

9. *Vel sæpe sine conj.* MS quidam apud Gruterum « sæpe vel ». Nempe interpunctio vitiosa locum huic correctioni fecit, et *verba novantur*, quæ temere inculcata e superioribus puto, scribendumque sic : « non nata : vel sæpe sine conjunctione, ut, etc. » Cohærent omnia sic : « Novantur verba... vel conjungendis verbis... vel sæpe sine conjunctione, ut, etc. » Illa « videtis enim... non nata » sunt in parenthesi accipienda. Sæpe, hac conjunctione membrorum non animadversa, in his libris turbatum est a librariis et correctoribus, ut mox c. 39, pr. ubi veram interpunctionem dedimus. Ern.

10. *Verba novantur.* Hæc ut spuria Schützius delevit.

11. *Ut, ille senius, ut, dii genitales.* Repræsentavi quod erat in Pal. pr. ac sec. item Pith. et Mem. libroque Borromæi, ex quo fingebat Gulielmius, « ut ille sentus », et ut Terentii Eunucho : « video sentum »; nisi tamen hoc significat : « ut dii deæque illum senium perdant, qui me hodie remoratus est ». Turnebus corrigit lib. IX, cap. 20 : « ut ille Ennius, dii genitales ». Lambinus maluit « ut illud diserti senis dii genitales ». Vulgata præferebat : « ut ille sensus disertus indigenitalis », a quo non longe abeunt Palatini ceteri, nisi quod ii fere : « ut ille sensus disertus vidi genitabilis » : nonus habet : « ut ille Ennius vidi gen. » tert. « ut ille Ennius disertus inde gen. » Grut. — Hæc sunt corruptissima in libris scriptis et edd. Quomodo corrigam nescio. Ern.

12. *Incurvescere.* Schützius dat

quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi cœpta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiæ causa, frequentata delectationis. Nam «gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas esse segetes[13]», etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, ejus rei, quam alieno verbo posuimus[14], similitudo. Ergo hæ translationes quasi mutuationes sunt[15], quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illæ[16] paullo audaciores, quæ non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt: quarum ego, quid vobis aut inveniendi rationem, aut genera ponam?

XXXIX. (XXXIX.) Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas[1], quod verbum in alieno loco, tamquam in suo, positum, si agnoscitur, delectat; si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quæ aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia[2]:

..................Inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque et nimbum occæcat nigror;

incurviscere auctore Non. 2, 142. Guelf. 3, *inturgescere*.

13. *Lætas esse segetes*. Sic dedit Schützius ex Or. 24. J. V. L. *esse* reperit in MS 7753.

14. *Posuimus*. Sch. *exposuimus*.

15. *Quasi mutuationes sunt*. Sic edidi pro vulgato *mutationes* ex ed. W. Lips. et Aldi, quam sequi h. l. neglexere postea, præter consuetudinem. Sic est etiam Tusc. I, 42. Vide Clav. h. v. et in Orat. cap. 24: «verbum sumptum aliunde, ut mutuo»; cap. 62: «verba mutuari». Ern.

16. *Illæ*. Melius ante hoc verbum minor interpunctio poneretur: nam, ni fallimur, «hæ... illæ» sibi respondent.

XXXIX. 1. *Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas*. Legendum videtur: «Est autem translatio similitudinis». Sch. — Lambinus edidit: «translatio omnis, similitudinis, etc.» Metaphoram quamdam esse similitudinem docet Aristoteles, Rhet. lib. III. Sed inter utramque nonnihil tamen interesse; nam quum de Achille loquens Homerus dicit «ut leo prosiliit» similitudo est: sin dicat «leo prosiliit», metaphora. Petav.

2. *Ut illa omnia*. Schutzius delet

Flamma inter nubes coruscat, cælum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifluo [3] subita præcipitans cadit;
Undique omnes venti erumpunt, sævi exsistunt turbines;
Fervit æstu pelagus:

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt: aut quo significetur magis res tota, sive facti alicujus, sive consilii, ut ille, qui occultantem consulto, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat,

Quandoquidem iste circumvestit [4] dictis, sepit sedulo.

Nonnumquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud, « Si telum manu fugit ». Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.

XL. (XL.) Atque hoc in genere persæpe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectentur [1] verbis, quam propriis et suis. Nam si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut pes in navi [2], ut nexum [3], quod per libram [4] agitur, ut in uxore divortium; necessitas cogit, quod

omnia. Versos qui sequuntur Pacuvii sunt; cf. de Div. I, 14.

3. *Imbri largifluo*. Schützius dat « largifluo imbri », transpositionem poscente, ut sit, metri ratione.

4. *Iste circumvestit*. Gruterus conjecit legendum divisim *is te*: sed ad sensum verborum præcedentium parum attendisse videtur: hæc enim de eo dicuntur, qui consulto occultat, ne id quid (ab isto) ageretur, intelligi posset. Unde ego rescribendum esse censeo *is se*, quæ lectio et sensui satisfacit, et post verbum *circumvestit* supplet accusativum casum, quem Gruterus recte vidit hic prorsus defuisse. Pearc. — Edd. s. l. a. med. Asc. *ista*. Pearcius corrigit *is se*. *Circumvestire* et *sepire* aptius est rebus, quam personis. Mihi vulgatum placet. Quid circumvestiat iste, in antecedentibus aut sqq. dictum fuisse videtur. Ern. — Sch. ascivit *is se* e cod. Guelf. 1. In eodem legitur *circumvelet* vitiose scriptum pro *circumvelat*.

XL. 1. *Quod... delectentur*. Hoc lenitas postulat, pro vulgato *delectantur*. Illud jam Lambinus edidit, sed nemo eum sequutus est. Ern.

2. *Ut pes in navi*. Pedem in navi partem extremam veli appellant Latini ac Græci; quæ pars acutior et inferior ad navis latus religari solet. Alii vero funem esse dicunt, quo ve-

non habeas, aliunde sumere : sed in suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quæ maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quæ quidem sumpta ratione[5] est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et odor urbanitatis, et mollitudo humanitatis, et murmur maris, et dulcedo[6] orationis, sunt ducta a ceteris sensibus; illa vero oculorum multo acriora, quæ ponunt pæne in conspectu animi, quæ cernere et videre non possumus. Nihil est enim[7] in rerum natura, cujus nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine : unde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus), indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum, lumen affert orationi.

Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo : « Cæli ingentes fornices ». Quamvis sphæram in scenam[8], ut dicitur, attulerit Ennius; tamen in sphæra fornicis similitudo non potest inesse.

lum tenditur, aut relaxatur. Virgilius, Æn. V, vs. 830 : « Una omnes fecere pedem », id est, vela tetenderunt. Catullus, IV, 20 : « sive utrumque Jupiter Simul secundus incidisset in pedem ». Petav.

3. *Ut nexum*. Quid sit nexum, sive nexus, quum ad jus civile pertinet, vide ad Topica, cap. 5. Petav.

4. *Quod per libram*. Sch. dat cum Lambino « quod per æs et libram ».

5. *Quæ quidem sumpta ratione est*. In vulgatus recentiores ab errore operarum venit *summa*, quod sensum hic non habet. *Sumpta* est in omnibus edd. vett. Sic et bene restituit Pearcius. Ern.

6. *Dulcedo*. Pith. item Palat. quart. quint. sext. sept. *dulcitudo*, qua voce usus supra cap. 25. Grut. — *Dulcitudo* Ernestio h. l. displicet.

7. *Nihil est enim*. Sch. dat « Nihil est autem » ex Heusingeri conjectura.

8. *Quamvis sphæram in scenam, ut*, etc. Nempe, ut probaret translationem in fornicibus cæli a se auda-

.... Vive, Ulysses, dum licet;
Oculis postremum lumen radiatum[9] rape.

Non dixit, «cape»; non, «pete»: haberet enim moram sperantis diutius esse sese[10] victurum; sed «rape»: hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, «dum licet».

XLI. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. «Syrtim patrimonii», scopulum libentius dixerim; «Charybdim bonorum», voraginem potius: facilius enim ad ea, quæ visa, quam ad illa, quæ audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam hæc vel summa laus est verbi transferendi[1], ut sensum feriat[2] id, quod translatum sit; fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet similitudo. Nolo morte[3] dici Africani

cius factam, et fortasse a multis expressam. Ernest. — Tamen similis est translatio in Virg. Æn. IV, 451, «cæli convexa»: et vulgo gallice dicimus: *la voûte des cieux*.

9. *Radiatum rape*. Muretus, Var. Lect. II, 9, corrigit *radiantis*, id est, solis, ut est in verso alio in Orat. 45. Ern. — Vulgatum defendit Gesnerus in Thes. L. L. b. v. Sch. — Palat. pr. ac sec. non habent hic *rape*, neque adest membr. Memmii, et ferri posset. Gaut.

10. *Esse sese vict.* Sch. delet *sese* cum Guelf. 2, 3.

XLI. 1. *Verbi transferendi*. Sic Parisienses MSS tres a J.V. L. collati, sic edidit Schützius ex Guelf. 2, 3. Alii habent «in verbis transferendis», ut Lall. Ernest. dedit «verbis transferendis». Sic, inquit, ex edd. pr. restituimus, et sic plerique MSS. Siquis cum Pearciu malit addere *in* e MSS ejus, non valde repugnemus: sed non est necesse. Vulgatum «verbi transferendi» est e correctione Aldi, qui veterem lectionem non concoquebat. — Palat. pr. sec. Pith. Memm. «in verbis transferendis», quod et sequutus Lambinus, neque aliter Pal. tert. nisi quod omittat præpositionem. Gaut.

2. *Ut sensum feriat*. Lambiniani *sensim*, perperam, et contra omnes libros scriptos editosque. Gaut.

3. *Nolo morte d. Africani*. Invertit Pearcius «dici morte», ut est in quibusdam libris. Forte *dici* hic, aut post ante *Glauciam* inculcatum est. Ern. — Eadem metaphoræ vitia tamquam scopulos caveri oportere monet Aristoteles, et sophistam merito reprehendit, qui diceret, non debere religioni esse, qua quisque voce uteretur, etiam in re turpi, quum voces omnes eamdem turpitudinem exprimant. Sed quemnam hoc loco Africanum loquitur? Juniorem, opinor; ad

« castratam » esse rempublicam; nolo « stercus curiæ » dici Glauciam : quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut majus, quam res postulet, « Tempestas comissationis »; aut minus, « Comissatio tempestatis ». Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset[4] illud proprium ac suum :

Quidnam est [5], obsecro? quid te adiri abnutas [6]?

Melius esset, « vetas, prohibes, absterres » : quoniam ille dixerat,

.... Illico istic [7],
Ne contagio mea bonis, umbrave obsit.

Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, præposito sæpe[8] verbo : ut si olim, M. Catone mortuo, « pupillum » senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, « ut ita dicam, pupillum », aliquanto mitius[9]. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta[10] in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur.

idque inducor, quod alterius tempore viri multi, hoc est, insignes duces Romæ fuerunt, nec ejus morte res publicari evitari potuit : at Africani alterius tempore ferme duces instrenui, avari, nihili homines. PETAV.

4. *Quam fuisset.* Restituimus ex edd. vett. *fuisset*, quod quis primus omiserit, piguit quærere. Est et in MS Erl. ERN.

5. *Quidnam est.* Versus ex Ennii fabula, ut colligitur ex Tuscul. III, cap. 12.

6. *Quid te a. abnutas?* Pith. *abniteas*, putatque Gulielmius fuisse *abnuteas*, idemque mox *obsit* mutat in *obsiet* : non ausim sequi. GRUT. — Bentl. *renutas*.

7. *Illico istic.* Scribendum videtur *istinc*. Ceterum ista ad versuum numeros revocavit Bentleius, ad Tusc. III, 12, ubi videat, qui volet. ERN. — Schutzius dat *istum*.

8. *Præposito sæpe verbo.* Cur *sæpe?* Videtur aliud verbum hic latere. ERN.

9. *Aliquanto mitius.* Vulgati addunt *est*, quod recte jam delevit Pearcius. Deberet saltem *esset* scribi, quia præcedit *diceret*. ERN.

10. *Deducta in al.* Lallem. « deducta esse in al. »

(XLI.) Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi[11]. Nam illud[12], quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit :

.... Neque me patiar iterum
Ad unum scopulum et telum classem Achivum offendere.

Atque illud,

Erras, erras : nam exsultantem te, et præfidentem tibi
Repriment validæ legum habenæ, atque imperii insistent jugo.

Sumpta re simili, verba ejus rei propria deinceps in rem aliam, ut dixi, transferuntur.

XLII. Est hoc magnum ornamentum orationis; in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quæ dicuntur ænigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est, in continuatione verborum. (XLII.) Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quamdam fabricationem habet, sed in oratione[1] :

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro « Afris » est sumpta « Africa » : neque factum[2] ver-

11. *Nec q. plus lum. a. orationi. Orationi* primum dedit Asc. ante erat *oratori*. Sed manifestum esse arbitror, hic esse lacunam. Nam ille modus non expressus est, et sequitur « ex hoc genere », quod tamen non commemoratur. Fuit, ut opinor, *quam* ἀλληγορία, vid. Or. 37. Quia spatium relictum erat verbo græco, quod in principio formulæ typographicæ literarum græcarum non erant, excidit etiam *quam* per errorem typographorum. Mirum est id a nemine animadversum esse : MSS autem vel ex editis exemplis fluxere, vel ab imperitis græcæ linguæ scripti sunt. Ern. — Schützius subintelligendum esse dicit « quam translatio », conjecturamque Ernestii improbat : nec ab illo dissentit J. V. L. Et certe ex sqq. apparet nihil desiderari. Vid. not. 12.

12. *Nam illud*. Scil. allegoria, quod ex hoc genere scil. translationis profluit.

XLII. 1. *Sed in oratione*. Hæc Sch. delet, ut temere e superioribus repetita.

2. *Neque factum*. Neque in hac figura novum verbum inventum est, ut in illa « saxifragis », nec verbum

bum est, ut, « Mare saxifragis undis »; neque translatum, ut, « Mollitur mare »; sed ornandi causa[3] proprium proprio commutatum.

> Desine, Roma, tuos hostes:

et,

> Testes sunt campi magni.

Gravis est modus in ornatu orationis et sæpe sumendus: ex quo genere hæc sunt, « Martem belli esse communem », Cererem pro frugibus; Liberum appellare pro vino; Neptunum pro mari; curiam pro senatu; campum pro comitiis; togam pro pace; arma ac tela pro bello. Quo item in genere et virtutes, et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: Luxuries quam in domum irrupit, et, Quo avaritia penetravit; aut Fides valuit, Justitia confecit. Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius: cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut, pro ædificiis quum parietes, aut tecta dicimus; aut ex toto partem, ut quum unam turmam equitatum populi romani dicimus; aut ex uno plures,

> At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est,
> Corde suo trepidat;

aut quum ex pluribus intelligitur unum[4],

> Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini[5];

translatum est, ut in hac *mollitur*, sed, etc.

3. *Sed ornandi causa.* Refer ad *Africam* pro *Afris* dictam: sequentia sunt alia et similia exempla ad illustrandum. Ern.

4. *Intellig. unum.* Edd. Lambin. C. Steph. *unus*, e correctione, quod sequutus est Pearcius. Lenius sane est pro exemplo: sed non necessarium: potest enim et in rebus fieri. Ern.

5. *Nos sumu' Romani, q. fuv. ante Rudini.* Lectio isthæc deprompta e Pal. sec. tert. et Pith. nec abit pr. quam quod in « Rhodini » : ceteri Palatini habent « ante Rutili » : quod

aut quocumque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.

Abutimur sæpe etiam verbo non tam eleganter, quam in transferendo; sed, etiamsi licentius, tamen interdum non impudenter: ut quum « grandem orationem » pro magna[6], « minutum animum » pro parvo dicimus. Verum illa videtisne esse non verbi, sed orationis, quæ ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? hæc autem, quæ aut immutata esse dixi, aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo.

Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit; quod tamen consuetudo ferre possit: aut factum vel conjunctione, vel novitate; in quo item est auribus consuetudinique parcendum[7]: aut translatum; quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem[8].

XLIII. (XLIII.) Sequitur continuatio verborum, quæ duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quemdam formamque desiderat. Collocationis est

fere etiam in editione prima: nam sequentes exemerunt *ante*, ut ex heroico fieret pentameter. GRUT. — Non dubitat Lipsius, Lect. lib. V, cap. 2, quin hic sit Ennii versus sibi data civitate gratulantis. Variæ sunt lectiones, « qui fuimus Rutuli »; alii, « Rutilli ». Rectius *Rudini* a Rudiis urbe Calabriæ, ex qua oriundus fuit Ennius. Cicero pro Archia, cap. 10: « Ergo qui hæc fecerat, Rudinum hominem Ennium majores nostri in civitatem receperunt ». Ut versus constet pro *fuimus* lege *fuvimus*. PAUST. — Ernest. scribit *fuimus*. Pronuntiandum, inquit, *fuvimus*, non scribendum, ut in aliis monuimus. Tum si versus est de Ennio, bene habet *Rudini*. Sin minus, vetus lectio *Rutuli*, quam et Aldus servavit, est retinenda, et pronuntiandum *Rutulli*.

6. *Magna*. Tres MSS nostri *longa*. J. V. L.

7. *Parcendum*. Hæc lectio est in ed. W. revocata ab Aldo. Intermediæ habent *parendum*. Illud sane melius est, in primis propter verbum *auribus*. ERN. — Equidem intelligo quomodo in fingendo verbo pareas auribus, quomodo consuetudini, minime. Lego igitur *parcendum* propter verbum *consuetudini*.

8. *Notat et illum. orationem*. Pal. pr. sec. oct. nonus « illustrat et nobi-

componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus, neve hiulcus sit, sed quodam modo coagmentatus et lævis. In quo lepide in soceri mei persona[1] lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius,

Quam lepide lexeis compostæ[2]! ut tesserulæ omnes
Arte[3] pavimento, atque emblemate vermiculato[4].

Quæ quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit,

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis[5].

Quid ergo? iste Crassus, quoniam ejus abuteris nomine, quid efficit? Idem illud scilicet, ut ille[6] voluit, et ego vellem, melius aliquanto, quam Albucius: verum in me quidem lusit ille, ut solet. Sed est tamen hæc collocatio conservanda verborum, de qua loquor,

litat orationem ». Pith. et Memm. « illustrat et notat or. » Quanta licentia! Grut.

XLIII. 1. *In quo lep. in soc. mei persona lusit. Personam* habent ed. s. l. e. Med. Asc. Vulgg. *persona*, quod ex ed. W. sumpsit Aldus. Est autem durius, intelligi *in*. Dicimus « ludere aliquem » ; nempe salse perstrinxit affectatam compositionem; unde recte dici poterat « lusit personam ». Sed quia MS E. habet « in soc. mei persone », et Cicero mox eodem modo loquitur in eadem re, ita edidi. Ern.

2. *Quam lepide lex. compostæ!* Sensus est : lexeis, id est, verba tua, o Albuti, lepide et eleganter composita coagmentataque sunt in oratione, ut in pavimento, vel in emblemate vermiculato omnes tesserulæ sunt arte compositæ. Tesserulæ sunt lapilli aut lateres quadrati, quibus ædium solum consternitur. Opus tesserulis apte consertum, et effigie rerum animaliumque distinctum, emblema vermiculatum vocatur. Streb.—Gall. *mosaïque*.

3. *Arte pavimento*. In veteribus quibusdam libris, quos ego vidi, pro *arte* scriptum est *endo*, ut sit ἐν τῷ, quæ scriptura perspicue exstat apud Plinium, lib. XXXV, cap. 25. Constat autem Lucilium græcas voces latinis versibus non semel immiscuisse. Urs. — *Endo* Lamb. Lall. alii et sic in Or. cap. 44, recte, ut videtur. J. V. L.

4. *Vermiculato*. Josephus Scaliger legit *vermiculatæ*, ut referatur ad *lexeis* : alterum restat in MSS omnibus. Grut.

5. *Rhetoricotero' tu sis*. Vox græca ῥητορικώτερος, artis rhetoricæ peritior.

6. *Ut ille vol. et ego vellem*. Hæc sine dubio vitiosa sunt. Pearcius conjicit « ut ille voluit : et ego vellem ». Mihi lenius et simplicius videtur : « quod ille voluit, et ego vellem ». Ern. — Schützius Ernestii conjecturam adoptavit.

quæ junctam orationem efficit, quæ cohærentem, quæ lenem[7], quæ æquabiliter fluentem. Id assequemini, si verba extrema[8] cum consequentibus primis ita jungetis, ut ne[9] aspere concurrant, neve vastius diducantur.

XLIV. (XLIV.) Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma verborum, quod jam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationis[1] enim, non defatigationis nostræ, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt: idque princeps Isocrates instituisse fertur; ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus ejus Naucrates) numeris adstringeret. Nam-

7. *Quæ lenem.* Sic correxi cum Pearcio. Edd. pr. W. et s. l. et a. habent *levem*, quod capiendum esset *lævem*. Et ante « lævitas orationis » est commemorata. Sed post ed. Med. dedit *lenem*, et Asc. 1, Ald. Lips. quod mutari non debebat. Est enim verbum proprium in hac re Ciceronis: unde oratio « leniter labens » aut *fluens*, quo ipso verbo statim utitur. Ern.

8. *Verba extrema cum... primis.* Int. ultimam et primam literam utriusque verbi; quod in gratiam eorum lectorum monui, qui exquisitiori latinitati nondum satis sunt assueti. MS E. omittit *verba*. Ern.

9. *Ut ne aspere.* Sch. dat « ut neve aspere », cum Guelf. 1, 2, 3.

XLIV. 1. *Interspirationis.* Scilicet clausulas; quæ vox infra occurrit, et hic subintelligenda est. Interim vix dubito, quin in sequentibus aliquid insit vitii: quid enim voluit Cicero per voces « defatigationis nostræ? » a quo pendent, et, ut grammatici dicunt, reguntur? an a *notis?* At quænam sunt « notæ defatigationis? » prorsus nescio. Opinor equidem legendum esse, « Interspirationis enim, non defatigatione nostra, neque librariorum notis, etc. » similemque prorsus huic habemus locum in Orat. cap. 68 : « Oratio, non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere » : ubi « insistere spiritu pronuntiantis » idem est ac « defatigatione nostra », id est, nostri spiritus *interpungi :* et « interductus librarii » non alia res est, quam *notæ librariorum.* Pearc. — Schützius dat : « Interspirationes enim, non defatigatione nostra ». Defatigationis notæ sunt eæ quæ indi-

que hæc duo musici[2], qui erant quondam iidem poetæ, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero, et vocum modo, delectatione[3] vincerent aurium satietatem. Hæc igitur duo, vocis dico moderationem, et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poetica ad eloquentiam traducenda duxerunt[4]. In quo illud est vel maximum[5], quod versus in oratione si efficitur conjunctione verborum, vitium est; et tamen eam conjunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare[6], et perfici volumus: neque est ex multis res una[7], quæ magis oratorem ab imperito dicendi, ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum potest, et id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat, orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur, et adstricto et soluto[8]. Nam quum vinxit modis et forma, relaxat[9] et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur.

cant defessum lectorem; nec video cur in hoc Pearcius hæserit.

2. *Duo musici, q. e. q. iidem poetæ.* Sch. sic transponit « duo poetæ q. e. q. iidem musici », quam transpositionem dicit sequentibus exigi. — *Hæc duo.* Scil. *versum atque cantum*, quæ vv. infra sunt.

3. *Delectatione.* Hoc verbum sine dubio spurium est : nam nec coit cum reliqua oratione, et sine causa positum esset. Supra dixerat, delectatione occurri debere satietati : hic modus et causa oblectationis quæritur et exprimitur. Itaque uncis inclusi. Ern. — Sch. delevit.

4. *Duxerunt.* Sc. rhetores.

5. *Vel maximum.* Vel maxima est difficultas. Intelligi etiam potest: diligentissime curandum.

6. *Quadrare.* Schützius dat *quadrari*, quia alterum intransitive positum hic non satis est aptum.

7. *Res una.* Tres e nostris MSS *ulla*. J. V. L.

8. *Numero... adstricto et soluto.* Id est, certo primum, et certum ordinem et modum pedum servante, et tamen etiam libero ex alia parte, illum ordinem non ita severe sequente, ut poetæ; quemadmodum sequentia declarant. Legatur cap. 47. Ern.

9. *Quum v. m. et forma, relaxat.* Sic restitui primum ex ed. W. deinde e cap. superioris princ. « sequitur modus etiam et forma verborum ». Sic et

XLV. (XLV.) Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis, quam necessariâ. Nihil est enim tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile sequatur, quocumque ducas, quam oratio. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur; ex hac hæc etiam soluta variis modis, multorumque generum oratio. Non enim sunt alia sermonis, alia contentionis[1] verba; neque ex alio genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur : sed ea nos quum jacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Itaque tum[2] graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus : sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus, idque ad omnem rationem, et aurium voluptatem[3], et animorum motum mutatur et vertitur. (XLVI.) Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione; ut ea, quæ maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis, vel

MS E. Viderunt jam alii: *modi* sunt pedes, et *forma* est in structura. In modis relaxatio est, quum non severe exiguntur pedes ad certum versus metrum : in forma, quum non exiguntur tot pedes, quot sunt in versu poetico. Vulgatum, « vincit modis, forma et relaxat et liberat ». ERN. — Pal. pr. sec. oct. « forma et modis, relaxat », neque secus Pith. ac Mem. alii habent « modis et forma; relaxat » : at sept. « modis, format et relaxat ». GRUT. — Sensus loci est : orator non eamdem dimensionem sententiæ, nec eosdem pedes semper repetit : sed nonnumquam membris, aut periodis utitur : et alibi alios pedes in principio, et fine sententiæ collocat. PEARC.

XLV. 1. *Alia cont. verba*. Pal. pr. « confectionis ». Forsan *concionis*.

2. *Itaque tum*. Schützius dat « itaque ut tum », ut respondeat sequenti verbo *sic*.

3. *Idque ad omnem rat. et aur. voluptatem*. Palat. pr. sec. item Mem. et Pith. tantum exhibent « omnem aurium voluptatem », exclusis vocculis duabus intermediis. Pall. sequentes retinent vulgatum, sed habent *itaque* pro *idque*. GRUT. — Schützius delet *rationem* cum Guelf. 1, conferrique jubet Quintil. IX, 4, 9.

sæpe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse hujus totius mundi atque naturæ, rotundum ut cælum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diversam partem; ut luna accessu et recessu suo solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellæ dispari motu, cursuque conficiant. Hæc tantam habent vim, ut paullum immutata cohærere non possint; tantam pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam et figuram: nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam[4], totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu.

XLVI. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique, nisi ad suam retinendam conservandamque naturam? nusquam tamen est ulla pars, nisi venusta. Linquamus naturam, artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, quam cavernæ[1], quam prora, quam puppis, quam antennæ, quam vela, quam mali[2]? quæ tamen hanc habent in specie venustatem, ut non so-

4. *Sine al. necess. affictam.* Firmat hanc scripturam Gifanius noster in Lucretiano indice ad vocem *fictus.* Grut.

XLVI. 1. *Cavernæ.* Sic MS E. et ed. pr. non *carinæ*, quod reperi primum in ed. Lips. post ab Aldo receptum venit in omnes edd. Nempe *cavernæ*, quam vim haberent, non viderunt. Sunt autem trabes laterum: Virgilius, Æn. II, 19, *costas* vocat: ubi vid. Servius, quem hic commode attulit Pearcius, qui ante nos hoc verbum Ciceroni restituit. Porro *cavernas* Cicero poterat inter partes navis eas referre, quæ etiam specie placerent: quod in carinas vix cadit, quæ fere totæ aquis mersæ sunt, nec sunt in conspectu. Ern. — *Cavernæ* est in Guelf. 1, 2, 3, item in omnibus fere Palatinis.

2. *Quam mali? quæ.* Sic Pal. septem: nam sext. atque nonus solum servant retro vulgatum «quam reliqua?» Quod tamen exsulat ab editione principe: quin immo Gallicani tres

lum salutis, sed etiam voluptatis causa, inventa esse videantur. Columnæ et templa et porticus sustinent: tamen habent non plus utilitatis, quam dignitatis. Capitolii fastigium illud, et ceterarum ædium, non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam quum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur; utilitatem fastigii templi dignitas[3] consequuta est; ut, etiamsi in cælo[4] Capitolium statueretur, ubi imber esse non potest[5], nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse[6] videatur.

Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quædam et lepos consequatur. Clausulas enim atque interpuncta verborum animæ interclusio atque angustiæ spiritus

Pith. et Memmii membr. ac chart. adhuc exclusere « quam mali? » GAUT. — Quatuor MSS e biblioth. Paris. post « quam mali » addunt « quam reliqua? » J. V. L.

3. *Utilitatem fast. templi dignitas.* Vulgo ordine ad sententiam inepto: « utilitatem templi, fastigii dignitas ». Nempe Cicero hoc innuit, fastigium esse inventum utilitatis et necessitatis gratia, scil. ut ex utraque parte aqua delaberetur, ex fastigii utilitate deinde simul templi dignitatem consequutam esse. SCH. — *Utilitatem fastigii.* Non consentiunt omnes de vero sensu verbi *fastigium*. Vide de Divin. I, 10; Tit. Liv. XXVI, 23, XL, 2; Plin. XXV, 12, XXXVI, 2, 5. Hæc J. V. L. Dicit *Gueroult*, in not. 43, in secundam Philippicam, cap. 43, privatarum ædium planum fuisse tectum, dum templa cacumen haberent in verticem desinens; ita Cæsarem diis similem habitum fuisse, quia ei concessum erat ut domus sua fastigium haberet.

4. *In cælo Cap. statueretur.* Habent *Capitolium* omnes nostri codd. Primus delevit Gruterus sequutus auctoritatem Pal. pr. ac sec. J. V. L. — Edd. vett. etiam plerique MSS, ut Erl. consensu hic habent *Capitolium*, quod revocavit Pearcius: et sapit profecto glossatorem: intellige commode e proximo potest *templum*: quod tamen de Capitolio capiendum est, ut facile patet. ERN. — Sch. delevit *Capitolium.*

5. *Non potest.* Ernest. Sch. « non posset ».

6. *Habiturum fuisse.* Scribendum semper putavi, inquit Ernestius, « habiturum esse »: nam præcedit *statueretur*, non « statutum fuisset ». Ecce sic habet MS Erl. supra scripto « fuisset » recentiore manu. Itaque sic edidi. Quo loco venit in mentem loci Aristophanei, ubi dicit aliquis in describenda felicitate cælesti, omnes habituros ædes, quæ fastigia habeant. ERN. — « Habiturum fuisse » est in Guelf. 1, 2, 3, Victor. SCH.

attulerunt. Id inventum ita est suave[7], ut si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus : id enim auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset.

XLVII. (XLVII.) Longissima est igitur complexio verborum, quæ volvi uno spiritu potest. Sed hic naturæ modus est, artis alius. Nam quum sint numeri plures, iambum et trochæum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui natura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum; sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, et minuti pedes. Quare primum ad heroum nos dactyli, et anapæsti, et spondei pedem invitat[1] : in quo impune progredi licet duo[2] dumtaxat pedes, aut paullo plus, ne plane in versum, aut similitudinem versuum[3] incidamus. Aliæ sunt geminæ[4], quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum[5] satis de-

7. *Id inventum ita est suave.* Sch. pro « id inventum » dat « id autem ». Illud enim, inquit, vocabulum temere posuit librarius, oculis ad quartum abhine versum aberrantibus. — *Est* habent edd. vett. quod temere omissum restitui. Mox sine dubio scribendum « idem enim », vel *idem* sine *enim*. *Inventum* est, cognitum, animadversum ; nisi insititium est. Nam languet sane. Omnino totus hic locus non mihi videtur adhuc perpolitus esse. Ern.

XLVII. 1. *Quare primum ad heroum nos dact. et anap. et sp. pedem invitat.* Lambinus dedit : « quare plurimum ad heroos nos pedes, dactylum, et anapæstum, et spondeum invitat ».

2. *Duo dumtaxat pedes.* Gruterus *duos.* Pall. fere « duo dumtaxat pedia » : antique.

3. *Versuum.* Pearcius ex uno MS corrigit *versus*, non bene. Nam non est necesse, quamquam versus in singulari præcessit : et unius MS testimonium hic non sufficit. Nec est unum genus versuum, in quos incidere possimus. Ern.

4. *Aliæ sunt geminæ.* Pal. pr. sec. Mem. *alteræ;* sed natum id ex prava scriptura *altæ*, quæ exstat in Pithœano. Grut. — Intellige *percussiones ;* sed tamen paullo exquisitius dictum est pro aliorum numerorum sunt binæ percussiones. Ern.

5. *Continuandorum verborum satis*, etc. Dictio *verborum* non visitur in Pal. pr. sec. aut Memm. et Pith. Grut.

core cadunt[6]. Probatur autem ab eodem illo maxime pæon; qui est duplex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut hæc verba, «desinite, incipite, comprimite»; aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt, «domuerant, sonipedes». Atque illi philosopho ordiri placet a superiore pæone, posteriore finire. Est autem pæon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius judicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa, et brevi, et longa; ut

Quid petam præsidî, aut exsequar? quove nunc?

A quo numero exorsus est Fannius, «Si, Quirites, minas illius». Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari.

XLVIII. (XLVIII.) Neque vero hæc tam acrem curam diligentiamque desiderant, quam est illa poetarum: quos necessitas cogit, et ipsi numeri ac modi, sic verba versu includere, ut nihil sit, ne spiritu quidem minimo, brevius, aut longius, quam necesse est. Liberior est oratio, et plane, ut dicitur, sic et est vere soluta[1], non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theophrasto, qui putat[2] orationem, quæ quidem sit polita atque facta[3] quodam modo, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere. Etenim, sicut ille suspicatur, ex illis modis[4], quibus hic usitatus

6. *Cadunt*. Sch. dat *cedunt* sensus causa: J. V. L. probat.

LXVIII. 1. *Sic et est vere soluta*. Pal. pr. sec. et totidem Gallicani abscindunt *et*. Forte rescribendum «sicut est, soluta», omissis ceteris. GRUT.

2. *Qui putat*. Schützius dat «quod putat».

3. *Polita atque facta*. Pal. pr. «aut fracta»: sec. Pith. Mem. «atque fracta». GRUT.

4. *Ex illis modis*. Volgo «et ex illis modis»; sed *et* ab omnibus edd. vett.

versus[5] efficitur, post anapæstus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus; cujus membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa. Et, si numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis æqualibus; recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis et impolita[6] putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens, quid est aliud causæ, cur repudietur, nisi quod hominum aures vocem natura modulantur ipsæ[7]? quod fieri, nisi inest numerus in voce, non potest. Numerus autem in continuatione nullus est : distinctio, et æqualium, et sæpe variorum intervallorum percussio, numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni præcipitante non possumus. Quod si continuatio[8] verborum

abest, et hic plane redundat. Ern. — Schützius dat « ex istis modis » cum Guelf. 1.

5. *Usitatus versus efficitur*, scilic. heroicus.

6. *Rudis et impolita.* Haud aliter quadriga MSS supra laudatorum : vulgata hactenus « rudis et indocta ». Grut. — Respondet e contrario superiori « facta et polita »; sed edd. pr. habent « rudis et indocta », quod sine necessitate mutatum esse arbitror, nempe ut illis conformaretur : quamquam et in MSS reperitur *impolita*, ut Erl. Certe « loquacitas impolita » mihi non placet. Ern.

7. *Hominum aures vocem natura modulantur ipsæ.* Pith. et Mem. « hominum auribus voc. nat. modulantur ipsa ». Pall. habent *aures* aut *auris* : plerique tamen e posterioribus *naturæ*. Grut. — Edd. vett. etiam Victoriana prima apud Junt. habent « naturæ ipsæ » quod, a Victorio in ed. sec. et a Manutio mutatum in « natura ipsa »; unde in editiones omnes venit. Ego medium ferire statui : et *ipsæ* tamen retinui ex edd. pr. ut referatur ad *aures*. Et sic MS E. Ern. — Sch. dat : « hominum auribus vocem natura mod. ipsa ».

8. *Continuatio verborum hæc soluta.* Fortasse legendum : « complexio verborum » (id est, periodus), sicut cap. 47. Male enim sonat : « continuatio verborum... nam si continuata ». Sch. — Continuatio opponitur membris singulis sensum per se plenum efficientibus : quæ et *dissoluta* dicuntur, quum non connexa sunt inter se : eaque est « soluta continuatio ». Ern.

hæc soluta multo est aptior atque jucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta; membra illa modificata[9] esse debebunt: quæ si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus; sic enim has orationis conversiones Græci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et jucundius, longiora.

XLIX. (XLIX.) Atque hæc quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt: quod eo sæpius testificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam. — Quarum tandem? inquit Catulus; aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? — At enim vereor, inquit Crassus, ne hæc aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos ea majora ac difficiliora videri velle videamur. — Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me, aut horum quemquam putas a te hæc opera quotidiana et pervagata[1] exspectare: ista, quæ dicis, dici volumus; neque tam dici, quam isto dici modo. Neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo. — Ego vero, inquit, Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello[2], me invenisse eloquentem;

9. *Membra illa mod. esse d.* Unde sit lectio *membra*, nondum reperi. Credo esse correctionem viri doctl. Primum occurrit in ed. Car. Stephani, quoad observavi. Edd. priores omnes *verba*, quod nullo modo locum habere potest. «Membra modificata» fiunt numeris. MS quidem E. habet *membra*. ERN. — *Membra illa mod.* Lambinus istud habet, exstatque in Pith. et Mem. Item Pal. pr. ac sec. vulgata prius «verba illa». GRUT. — De ista numerorum quæstione, vid. Orat. c. 52—71.

XLIX. 1. *Quotidiana et pervagata.* Sic MSS et edd. vett. omnes: *pervaga*, quod est in recentioribus, est ex operarum vitio natum. ERN.

2. *In eo, quem scr. libello.* Est liber, quem unum scripsit (Orat. 5) de ratione dicendi; Brut. 44, ubi libellus exilis appellatur. ERN.

sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo diminueretur.

(L.) — Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem quum exercitatione, tum stylo[3], qui et alia, et hoc maxime ornat ac limat, formanda nobis[4] oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur; nec sunt hæc rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda; et efficiendum est illud modo nobis[5], ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius; ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum; sed sæpe carpenda[6] membris minutioribus oratio est, quæ tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. Neque vos pæon, aut herous ille conturbet : ipsi occurrent orationi; ipsi, inquam, se offerent, et respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiæ verbis finiantur, eorumque verborum junctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo, et pæone priore[7], aut cretico, sed va-

3. *Stylo*. Id est, exercitatione scribendi.

4. *Nobis*. Sic Guelf. 1, probante Heusingero. Sch. — Sic omnes fere MSS Reg. Vulgo *vobis*. J.V. L.

5. *Nobis*. Iterum hic e Guelf. 1, 2, 3, restitui pro vulg. *vobis*. Sch. — Sic et iidem MSS Regii. J.V. L.

6. *Carpenda m. m.* Edd. vett. et MSS *capienda*, quod sensum nullum commodum habere potest. *Carpenda* verum est, quod Victorio debetur, in cujus editione prima primum reperi. Quid sit carpere orationem vid. in Clave : nec enim bene interpretatur Pearcius. Mox pro « neque vos pæon » ed. Lips. « neque tamen nos ». Ern.

7. *Et pæone pr. aut cretico*. Sch. dat *aut pæone* e Guelf. 1, 2, 3. Ern. dedit *posteriore*. Sic, inquit, corrigendum putat Pearcius vulgatum *priore* : recte. Nam posterior par est cretico, non prior, et finit commode sententiam, quia ultima longa est. Vide cap. 47 : denique cap. seq. clare rursus sic est pæon posterior et creticus. Itaque non dubitavi recipere in tali evidentia. Contra Schützius : Pearcius corr. *posteriori*, quia in fine periodi pæoni posteriori locus sit. At hic loquitur Crassus de initio periodorum, quod significatur his verbis « junctio nascatur ». Quod autem antea dicitur, « sententiæ verbis finiantur », id uni-

rie distincteque considat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo : et, si primi et postremi illi pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur.

L. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror, quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio judicatur. Nam versus æque prima, et media, et extrema pars attenditur; qui debilitatur, in quacumque sit parte titubatum : in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique. Quæ, quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum judiciis repudientur, aut aurium satietate. Duo enim aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes, si modo non[1] breviora et præcisa erunt superiora; quos aut choreos, aut heroos, aut alternos esse oportebit, aut in pæone[2] illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari cretico. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. Quod si Antipater ille Sidonius[3], quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque

verse dicitur de oratione numerosa, non de fine periodi. Nec magis J. V. L. placuit Pearcii conjectura.

L. 1. *Si modo non br.* Nam tum periodicæ clausulæ locum non habent, sed ad finem sententiæ membratim fundi oratio debet. Ern.

2. *Aut in pæone... cretico.* Lamb. dedit « aut pæonem illum posteriorem, quem Aristot. probat, aut ei parem creticum ». — Sane hic deesse verbum videtur, unde pendeat *in*. Pearcius putat *finire* excidisse, quod scil. ab *oportebit* pendeat ; sed ita durior constructio fuerit, « quos oportebit esse... aut finire » : quod a Cicerone non profectum credo. *Finiendum* melius foret, quod responderet superiori « notandi sunt ». Ego, quid scribendum sit ad explendum locum, non sustineo definire. Ern.

3. *Antipater ille Sidonius.* De quo vide Plin. VII, 51; Valer. Maxim. I, 8; Ciceronem de Fato, c. 2.

variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate conjecisset in versum, verba sequerentur; quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur?

(LI.) Illud autem ne quis admiretur, quonam modo hæc vulgus imperitorum in audiendo notet; quum in omni genere, tum in hoc ipso magna quædam est vis incredibilisque naturæ. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte[4], aut ratione, quæ sint in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant: idque quum faciunt in picturis, et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti; tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque judicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret[5], aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo, non modo catervæ atque concentus[6], sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes ejiciantur?

4. *Sine ulla arte, aut ratione, quæ sint in art. ac rat. recta ac prava.* Sch. dat « sine ulla ratione, quæ sint in artibus recta ac prava », deletis ceteris.

5. *Brevius fieret.* Pearcius conjicit *fierent*, ut ad numeros referatur. Sed id *brevius* et *productius* non sinunt. Intellige, aut si mavis, adde, *quid*: « aut contractione brevius fieret quid ». Ern.

6. *Catervæ atque concentus.* Sic multi MSS, teste Gœrenzio ad Acad. II, 8. Sic et Sch. dedit. Vulgo *conventus.* Ernest. qui dedit *conv.* Intellige, inquit, actorum in scena, in canticis. *Conventus* sic dici dubito: an *cœtus*? In MS E. manus, ut videtur, prima

LI. Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam nón multum differat in judicando. Ars enim quum a natura profecta sit, nisi naturam moveat [1] ac delectet, nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces; quibus et excitamur, et incendimur, et lenimur, et languescimus, et ad hilaritatem, et ad tristitiam sæpe deducimur: quorum illa summa vis [2] carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa, rege doctissimo, majoribusque nostris, ut epularum solemnium fides ac tibiæ, Saliorumque versus indicant; maxime autem a Græcia vetere celebrata. Quibus utinam similibusque de rebus disputari, quam de puerilibus his verborum translationibus maluissetis [3]!

Verum, ut in versu vulgus, si est peccatum, videt: sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit; sed poetæ non ignoscit, nobis concedit. Tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent (nam id quidem nuper vel posse, vel audere cœpimus), terna, aut bina,

fecit *concentus*, quod considerandum. *Catervæ* verbum proprium est in hac re. Vid. pro Sext. cap. 55, eique proprie *concentus* et *concentio* tribuitur. Ern.

LI. 1. *Nisi naturam moveat. Natura* ed. W. unde hæc lectio fluxit; sed ed. s. l. et a. Med. etc. etiam MSS plures habent *naturam*, quod recepit Pearcius. Sed quid est *naturam movere* ait Ernest. Ego delendum puto ut repetitum temere in ed. W. e præcedente: « ars quum a natura profecta est ». Sed quum non placeret *natura moveat* correxere *naturam*. Schützius Pearcium sequutus est.

2. *Quorum illa summa vis.* Paullo durius est *quorum*, quum jam ante sit de iisdem numeris ac vocibus, *quibus*. Sed similia exempla mihi videor in his rhetoricis et philosophicis disputationibus reperisse. Accipiendum autem est pro *sed eorum summa vis*, ut supra lib. I, cap. 1, « quam spem consil. etc. » Ern.

3. *Quibus utinam... maluissetis.* Hæc delet Schützius, ut turpissimum grammatici alicujus emblema.

aut nonnulli singula etiam verba dicebant[4]; qui in illa infantia naturali, illud[5], quod aures hominum flagitabant, tenebant[6] tamen, ut et illa essent paria, quæ dicerent, et æqualibus interspirationibus uterentur.

LII. (LII.) Exposui fere, ut potui, quæ maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude verborum, dixi de conjunctione eorum, dixi de numero atque forma. Sed si habitum orationis etiam, et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quædam, sed tamen teres; et tenuis, non sine nervis ac viribus; et ea, quæ particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum qui utuntur armis aut palæstra, non solum sibi vitandi aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur : sic verbis[1] quidem ad aptam composi-

4. *Terna... dicebant*. Scilicet quæ alias membra et incisa dicuntur. Ern.

5. *In illa infantia naturali, illud*, etc. Pearcius e MSS duobus aut tribus edidit « naturale illud » : quod facile arrideat leviter videnti. Est etiam in MS E. Ego vulgatum servo. « Naturalis infantia » est communis omnibus, nondum arte et exercitatione sublata. *Naturale*, quod intelligi potest, aut vult Pearcius, est in verbis « quod aures flagitant ». Ern. — Schutz. Pearcium sequutus est.

6. *Tenebant*. Ernest. dat *tendebant*. Sic, inquit, pro vulg. *tenebant*, quod sane explicari commode potest, ex edd. pr. restitui, i. e. efficere conabantur : quod huic loco est aptissimum. Nec tam facile quis *tenebant* mutet in *tendebant*, quam contra. Prima *tenebant* habet Mediol. quæ alias ed. s. l. et a. sequitur. In ed. Lips. est *perpendebant*, nescio unde ; sed id pro correctione adscriptum reperi a manu docta in exemplo meo ed. Asc. 1. — *Tenebant* est in Gu. 1, 2, 3. Sch.

LII. 1. *Sic verbis... utatur*. Horum nihil agnoscit editio prima : sed nec invenit in Pith. aut duobus Memmianis Gulielmius : non magis quam ego in Palat. sex : nonus tamen omnia habet, nisi quod pro vulgato *condecentiam*, dat simpliciter *decentiam* : sextus vero ac septimus posita habebat ante dictionem « Formantur, ut ii qui ». Gaut.

tionem et decentiam [2], sententiis vero ad gravitatem orationis utatur [ut ii, qui in armorum tractatione versantur[3]].

Formantur autem et verba, et sententiæ pæne innumerabiles[4], quod satis scio notum esse vobis : sed inter conformationem verborum et sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba[5] mutaris; sententiarum permanet, quibuscumque verbis uti velis. Quod quidem vos etsi facitis[6], tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetustis; in perpetua autem oratione[7], quum et conjunctionis lenitatem[8], et numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum est[9] quasi luminibus distinguenda et fre-

2. *Et decentiam*. Sic, non ut vulg. *condecentiam* MSS edd. pr. Aldus, nescio unde, *cond.* dedit. Cicero quidem alibi *decentiam* dixit; nec ipse, nec alii *condecentiam*. Restituit etiam Pearcius. Ceterum in ed. Lips. hæc « sed etiam... utatur » omissa sunt, male. Ern.

3. *Uti ii... versantur*. Hæc quidem supervacua esse judicavit Gruterus. Immo sunt spuria, habentque ineptam et Cicerone indignam repetitionem eorum, quæ ante melius dicta sunt, « ut, quemadmodum... moveantur ». Itaque uncis inclusi. Ern. — Schützius omnino delevit.

4. *Innumerabiles*. Schützius recepit *innumerabiliter* e cod. Guelf. 1. Nam, inquit, *innumerabiles* h. l. est alienum : Cicero enim dicit formas verborum et sententiarum esse innumerabiles, a tot modis verba et sententias formari, ut numerari non possint. Atqui *formæ* hoc loco sunt figuræ seu verborum, seu sententiarum.

5. *Verborum tollitur, si verba*. Pal. sept. oct. non. addunt « tollatur venustas, si » : fere allubescit. Grut.

6. *Facitis*. Schützius conjicit « sat scitis ».

7. *In perpetua autem oratione*. Hunc locum ac deinde cap. 53, 54 et 55 descripsit Quintilianus, lib. IX, cap. 1, atque ibi τεχνικὰς, quæ hic acervatius occurrunt, voces illustravit eruditius. Cappel.

8. *Conjunctionis lenitatem*. Hic pariter, ut supra in adjectivo, edd. pr. habent *levitatem*, ut MS E. Mediol. dedit *lenitatem*, consulto an casu, non dixerim : quod deinde omnes secuti sunt, recte. Ern.

9. *Tum est*, etc. Ni fallimor, est hic anacoluthon; rectaque structura esset « tum luminibus distinguere, etc. » nam quæ in hoc sententiæ membro

quentanda omnis oratio sententiarum atque verborum.

LIII. (LIII.) Nam et commoratio una in re permultum movet, et illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub adspectum[1] pæne subjectio, quæ et in exponenda re plurimum valet, et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur; et huic contraria sæpe præcisio[2] est, et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio, et distincte[3] concisa brevitas, et extenuatio, et huic adjuncta illusio, a præceptis Cæsaris non abhorrens; et ab re longa degressio[4]; in

præcipit, sunt in oratore egregia atque mirabilia; quod quidem auctor negaret, nisi hoc membrum stricte cum præcedenti connecteretur.

LIII. 1. *Sub asdpectum.* Pall. posteriores, item Memmii chart. *sub aspectu :* sed alterum restat in Pal. pr. ac sec. necnon in Pith. et Memm. membran. GAUT.—Edd. ante Aldum etiam Lips. *ospectu*, quod quis forte prætulerit, ut exquisitius. Cicero in hac forma alias accusativo utitur. ERN.

2. *Sæpe præcisio est.* Pall. fere *percussio*, item Pith. Nam Memmii uterque *percusio*, forte *percursio*, sed malim tamen vulgatum, cui alludit Pal. oct. in quo *percisio.* GAUT. — Ernest. dat *percursio.* Hæc, inquit, restitui ex edd. pr. ex quibus W. unus *percussio*, quod et MS E. habet. Asc. 1 substituit *præcisio*, quod Lips. sequitur, altero in margine ejecto, e conjectura, ut opinor, Becichemi aut Budæi : idque in omnes alias edd. venit. Verum est *percursio :* primum quia opponitur clare « commorationi in una re » : deinde, quia præcisio post separatim exprimitur in « concisa brevitate » : denique supra idem præcepit : « in aliis esse immorandum, alia esse percurrenda ». ERN. — Schützius defendit *præcisio*, quia legitur apud Quint. IX, 1, 27.

3. *Distincte.* Schützius dat *destricte.* In cod. Jena. inquit, apud Quintilian. IX, 1, 28, est *districte :* in quo latet *destricte :* fortasse tamen Cicero scripsit : « destricta incisis brevitas ». Cf. Orat. cap. 67, ubi ejusmodi *incisa* cum *pugiunculis* comparantur.

4. *Et ab re longo degressio.* In edd. vett. omnibus est *non longa.* Placet tamen correctio Pearcii, certe sensu, quæ tollit *non longa ;* quod et a MS E. abest : nam et degressiones ad oblectandum debent et possunt esse longiores, ut illa in orat. pro Archia. Sed unde ortum illud *non longa ?* an ex alio loco, ubi brevis degressio in præceptis erat ? Credo Ciceronem scripsisse *bene longa ;* qualis profecto hic requiritur ad delectationem : « in qua quum fuerit delectatio, tum demum reditus, etc. » Clare non ita multo post : « declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio ». Eam ergo jusserat longam. Gestii inferre textui correctionem : sed satis habui delere

qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus[5] esse debebit; propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio, et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio; tum augendi minuendive causa, veritatis superlatio atque trajectio; et rogatio[6], atque huic finitima quasi percunctatio, expositioque sententiæ suæ; tum illa, quæ maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis, ac significantis, dissimulatio, quæ est perjucunda[7], quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur; deinde dubitatio, tum distributio, tum correctio, vel ante, vel postquam dixeris, vel quum aliquid a te ipse[8] rejicias; præmunitio est etiam ad id, quod aggrediare, et trajectio in[9] alium; communicatio, quæ est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio; morum ac vitæ imitatio[10] vel in

non, quod stare nullo modo potest. Ern. — Schützius dat simpliciter « et ab re degressio », quis apud Quintil. l. l. et in Guelf. 1 abest *longa*. In Guelf. 2, 3, est *non longa*. Ceterum Ernestii conjecturam J. V. L. non probavit.

5. *Reditus ad rem aptus et concinnus*. Sic Pal. sext. et nonus : nam pr. et oct. *concinus*, sec. *continuus*, tert. *concincns*, quod et in Memm. chart. Item inter lineas quarti, qui *continens*, quod conjecerat Gulielmius, quint. *conveniens*, sept. *concinnens* : satisfacit mihi vulgata ; nam et sic capite sequenti exstat « concinna transgressio ». Grut.

6. *Rogatio*, *atque*... *percunctatio*. Interpunctio hæc h. l. sufficit, nec opus est colon scribere cum Pearcio : sunt enim res similes : sed differunt tamen : de quo adeundi rhetores ; item ad h. l. Pearcius, qui discrimen bene explicat. Ern.

7. *Quæ est perjucunda*... *tractatur*. Totam hanc particulam spuriam judico : nam primum, jucundum esse jam ante dixerat Cicero : deinde non convenit sententia rei ; quæ enim esse potest contentio in hac figura ? Denique abest a MS Pearciano, itemque Erl. Si tamen genuina sit, verba « in oratione » aut delenda sunt de Pearcii sententia, vel transponenda sic : « quæ est perjucunda in oratione, quum non contentione, etc. » Ern.

8. *A te ipse*. Sic rescripsi pro « te ipso », quod vitiosum est. Ernest. — Quem Schützius sequutus est.

9. *Et trajectio in alium*. Sic edd. pr. et MS E. Vulgatum *rejectio* est ab Aldo, quod quidem recte dicitur de ea re, quæ hic significatur, sed et illud. Rarius mutatum est in notius.

10. *Imitatio*. Schützius corrigit *notatio*, quia et auct. ad Herenn. IV, 50, eamdem figuram *notationem* vocat, et Cicero, Orat. 40, eam sic designat, ut

personis, vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis, et aptum ad animos conciliandos vel maxime, sæpe autem etiam ad commovendos; personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi; descriptio, erroris inductio[11], ad hilaritatem impulsio; ante occupatio; tum duo illa, quæ maxime movent, similitudo et exemplum; digestio; interpellatio[12], contentio, reticentia, commendatio[13], vox quædam libera, atque etiam effrenatior[14], augendi[15] causa; iracundia, objurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio; purgatio, conciliatio, læsio, optatio, atque exsecratio. His fere luminibus illustrant orationem sententiæ[16].

LIV. (LIV.) Orationis autem ipsius, tamquam armorum, est vel ad usum comminatio[1] et quasi petitio,

orator hominum mores sermonesque describat. Ern.

11. *Erroris inductio.* Est, quum demonstramus errasse homines in re, quæ nihil dubitationis aut suspicionis habebat : in quo τὸ παράδοξον et inopinatum delectat. Ern.

12. *Interpellatio.* Hic Schütz. inserit « interpellantis coercitio » ex Quintil. X, 2, 2. Etiam in Orat. 40, Cicero inter figuras refert hanc, « ut interpellatorem coerceat ».

13. *Commendatio.* Verum esse *comminatio* intelligitur ex Orat. cap. 40, ubi hujus figuræ loco præcipitur oratori, « ut denuntiet, quid caveant ».

14. *Effrenatior.* Sic habet Guelf. 2, 3; item Quintil. IX, 2, 32. Sch. — Ernest. cum Pearcio dedit *effrenatio*, ut habet ed. W. Ed. a. l. et a. *effrenatior.*

15. *Augendi.* Ed. a. l. et a. habent *agendi*, quod et MS E. habet. Id ed. Mediol. correxit. Ern.

16. *His fere... sententiæ.* Non oblivisci debemus, quum legimus confusam illam figurarum enumerationem, pro figuris habuisse Ciceronem quoscumque motus orationis, σχήματα, ut dicit ipse Orat. cap. 25. Eadem est doctrina in lib. quarto ad Herenn. ubi inter sententiæ figuras numerantur « amplificatio, exemplum ». Hoc oblitus est Quintilianus, quum Ciceroni exprobrat, quod pro figuris dederit plurimas orationis formas, quæ non veræ sunt figuræ. Sed ipse Quint. IX, 1, eas solum figuras vocabat, quæ ab usu et forma orationis vulgari recedebant, in quo reprehensus est a nostro *Dumarsais.*

LIV. 1. *Comminatio.* Schützius substituit *communitio*, quod opponatur *petitioni.* Cf. cap. 52 init. Sed *quasi petitio* bene congruit cum *comminatione*, si est simulatio petitionis. Ceterum non bene, opinor, vertit interpres gallicus hujus cap. principium :

vel ad venustatem ipsa[2] tractatio. Nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias, et paullum immutatum verbum atque deflexum, et ejusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio, et in eadem verba impetus et concursio, et adjunctio, et progressio, et ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, et revocatio verbi, et illa, quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter, aut quæ paribus paria referuntur, aut quæ sunt inter se similia. Est etiam gradatio quædam, et conversio, et verborum concinna transgressio, et contrarium, et dissolutum, et declinatio, et reprehensio, et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casibus ponitur, et quod de singulis rebus propositis-ductum, refertur ad singula, et ad propositum subjecta ratio, et item in distributis supposita ratio, et permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipatio[3], et quod continuatum[4], et interruptum, et imago, et sibi ipsi responsio, et immutatio, et disjunctio, et ordo, et relatio, et degressio, et circumscriptio[5]. Hæc enim

« quant aux figures de mots, on peut les comparer à l'escrime » : nam in seqq. multæ citantur figuræ sententiarum. Nisi putes cum Schützio multa delenda. Vid. not. 5.

2. *Ad venustatem ipsa tractatio*. Tractatio armorum est in modo tenendi, gestandi, movendi, etc. Sed *ipsa* quo pertineat, nemo dixit, nec dixerit : estque sine dubio vitiosum ; præsertim quum præcedat « orationis ipsius », quo *tractatio* pariter refertur, ut ad *armorum*. Igitur id aut delendum, aut corrigendum. An *apta?* Ern. — Hoc Schützius edidit.

3. *Et dissipatio*. Hoc primus edidit Pearcius, pro vulgato *disputatio*, quod hic nemo, quid sit, dixerit. Locus Quintil. IX, 1, 35, ubi tota hæc ῥῆσις repetitur, clarum facit *dissipatio* verum esse, idemque in MSS reperit Pearcius. Quid sit *dissipatio*, vide in Clav. Paullo ante pro *correctio* MS E. *correptio* e latinitate ecclesiastica. Ern.

4. *Et quod continuatum*. Schützius dat « et continuatum », quia sic est apud Quintil. l. l.

5. *Et circumscriptio*. Quæ omnia præcedunt inde a verbis illis « et quod de singulis rebus », usque ad hæc « et circumscriptio », Schützius uncis includit. Ea, inquit, vix possunt a Cicerone adscripta esse. Sunt enim fere omnes quæ sequuntur figuræ senten-

sunt fere, atque horum similia (vel plura etiam esse possunt), quæ sententiis orationem, verborumque conformationibus illuminent.

LV. (LV.) — Quæ quidem te, Crasse, video, inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus, et sine exemplis effudisse. — Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quæ supra dixi, nova vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, ut brevior essem, qui ipse jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pæne evolvere[1] coegit. Sed tamen hujus generis demonstratio est, et doctrina ipsa, vulgaris; usus autem gravissimus, et in hoc toto dicendi studio difficillimus.

Quamobrem, quoniam de ornatu omni[2] orationis sunt omnes[3], si non patefacti, at certe commonstrati loci : nunc, quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat[4] in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causæ, nec auditori, neque personæ, neque tempori congruere orationis unum genus. Nam et causæ capitis alium quemdam verborum sonum[5] requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum; et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud judicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud objurgatio, aliud dis-

tiarum, non verborum : neque in loco simili Or. 40, ullum est harum figurarum vestigium. Attamen illa omnia leguntur etiam apud Quintil. IX, 1, 34-36, qui tamen Ciceronem ista scripsisse, sed, in Oratore, transeundo, ipsum damnasse putabat, IX, 3, 90.

LV. 1. *Evolvere. Devolvere* postulat metaphora. SCH.

2. *Omni.* Hoc Schützius delet.

3. *Sunt omnes, si non patefacti, at certe.* Sic cum Pearcio edidimus e libris, iu bis Erlangensi, pro vulgato « si non sunt omnes patef. » Nam illud elegantius longe et Ciceronianum est. EAN.

4. *Quid maxime deceat.* Vide quæ hac de re senserit *Marmontel, Elémens de Littérature*, verbo *convenance.*

5. *Verborum sonum.* Schütz. delet *verborum*, quia Quintil. de eadem re agens ait : « nec eodem sono publica

putatio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices, frequentes, an pauci, an singuli; et quales ipsi quoque oratores, qua sint ætate, honore, auctoritate [debet[6] videri]; tempus pacis an belli, festinationis an otii. Itaque hoc loco nihil sane est, quod præcipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris, et tenuioris, et item illius mediocris, ad id, quod agimus, accommodatam deligamus: ornamentis iisdem uti fere licebit, alias contentius[7], alias summissius; omnique in re posse, quod deceat, facere, artis et naturæ est; scire, quid quandoque deceat, prudentiæ.

LVI. (LVI.) Sed hæc ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio[1], inquam, in dicendo una dominatur: sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris, hac instructus, summos sæpe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud ab Æschine dictum videri solet: qui, quum propter ignominiam judicii cessisset[2] Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quæ erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita; quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omni-

judicia et arbitrorum disceptationes aguntur ».

6. *Debet videri.* Hoc ab alia manu inculcatum est. Ceterum Gœrenzius ad Cic. Acad. II, 6, bene munuit, pro « ipsi quoque » cum Gu. 2 « ipsique » reponendum, ante « tempus pacis » vero particulam *item* supplendam esse.

7. *Alias contentius.* Schutzius dat, favente Gu. 1, « contentius alias », quod Heusingerus conjecerat.

LVI. 1. *Actio.* Vide *Marmontel*, *Elémens de Littérature*, verbo *déclamation oratoire*.

2. *Cessisset.* Tres codd. Reg. *excessisset*. J. V. L.

bus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum[3]? Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eamdem aliam esse[4] putaret, actore mutato. Quid fuit in Graccho, quem tu, Catule, melius meministi; quod me puero tantopere ferretur[5]? « Quo me miser conferam? quo vertam? In Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantemque[6] videam et abjectam? » Quæ sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrymas tenere non possent. Hæc eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt; imitatores autem veritatis, histriones, occupaverunt.

LVII. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas: sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum quia animi permotio, quæ maxime aut declaranda, aut imitanda est actione, perturbata sæpe ita est, ut obscuretur, ac pæne obruatur, discutienda sunt ea, quæ obscurant, et ea, quæ sunt eminentia et prompta, sumenda. Omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum; totumque corpus hominis, et ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi[1] quoque sunt

3. *Si audissetis ipsum*. Melius hoc dictum refertur apud Plin. Juniorem, II, 3: Τί δὲ, εἰ αὐτοῦ τοῦ θηρίου τ' αὐτὰ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόοιτε.

4. *Aliam esse putaret*. Pal. sec. « fore putavit ». Pr. tert. Pith. Memm. « fore putarit ». Gaut. — Quamquam edd. pr. *fore* habent, ut MS E. primus Aldus *esse*: tamen res non sinit hic *fore* recipere, ut fecit Pearcius: nam non de futuro sermo est (deberet ante esse *audiretis*), sed de præsenti: alia erat oratio, mutato eo, qui pronuntiarat. Ern.

5. *Tantopere ferretur*. Lambinus *efferretur*, sed præter libros impressos et calamo exaratos, neque erat necesse. Gaut.

6. *Lamentantemque*. Schützius delet *que* cum Guelf. 1.

LVII. 1. *Ut a motu animi quoque sunt pulsæ*. Non displicet tmesis Palat.

pulsæ. Nam voces, ut chordæ sunt intentæ, quæ ad quemque tactum respondeant : acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum [2]; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum [3], inflatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur : hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores.

LVIII. (LVIII.) Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumat [1] : acutum, incitatum, crebro incidens,

Impius hortatur [2] me frater, ut meos malis miser
Manderem natos..........

et ea, quæ tu dudum, Antoni, protulisti,

Segregare abs te ausus:

et

Ecquis hoc [3] animadvertit? Vincite :

et Atreus fere totus. Aliud miseratio ac mœror : flexibile, plenum, interruptum, flebili voce [4],

pr. sec. Pith. «ut motu animi cumque sunt pulsæ». Gaut.

2. *Lene*, *asperum*. Prætuli *lene* vulgato *læve*, cum Pearcio, quia hic ne de structura quidem sermo est. Ern.

3. *Flexa sona attenuatum*, *inflatum*. *Flexo sono* est commune utrique, attenuato et inflato : nam sunt semper duo modo genera fere contraria : illud est in misericordia movenda, hoc vehementius, in indignatione, etc. *Extenuatum* MS E. Ern.

LVIII. 1. *Iracundia sibi sumat*. Pall. plures *summat*. Tert. vero ac quartus vocem eam non habent, sed ejus loco *aliud*, quod et in Pith. et Memmii papyraceo. Gaut. — Schützius dat *iracundia sibi sumit* cum edd. vett. et Becichem.

2. *Hortatur*. Aut *hortatus* corrigendum, aut post *mandam* pro *manderem*. Sed hoc metrum non sinit. Itaque illud verum. Elisionem esse faciendam lector intelligit; non necesse est scribi cum Bentleio ad Tusc. IV, 36, ut supra admonuimus. Ern.

3. *Hoc*. Hanc vocem delet Schützius cum Guelf. 1, probante Heusingero.

4. *Flexibile*, *plenum*, *interr. flebili voce*. Schützius ex ingenio, Quintil. XI, 3, 64, «flexum, lene, interruptum, flebile». Audacius. J. V. L.

Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliæ filias?

et illa,

O pater! o patria! o Priami domus!

et quæ sequuntur,

Hæc omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

Aliud metus: demissum, et hæsitans, et abjectum,

Multi' modis sum circumventus, morbo, exsilio, atque inopia;
Tum pavor sapientiam mihi omnem exanimato expectorat:
Alter terribilem minitatur vitæ cruciatum et necem;
Quæ nemo est tam firmo ingenio, et tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguen [5], atque exalbescat metu.

Aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis,

Iterum Thyestes Atreum attractum advenit [6],
Iterum jam aggreditur me, et quietum exsuscitat.
Major mihi moles, majus miscendum 'st malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Aliud voluptas: effusum, lene [7], tenerum, hilaratum ac remissum,

Sed mihi quum detulit [8] coronam ob collocandas nuptias [9],

5. *Timido sanguen.* Pro vulg. *sanguem.* Sic Pearcius edidit, ut est in MS E. Ed. W. et seqq. habent *sanguine.* Omnes grammatici vett. Nonius, Priscianus, etc. hunc versum sic ex ipso Cicerone proferunt, ut habeant *sanguen.* Itaque sic edidi. Ern.

6. *Iterum Thyestes Atreum attractum advenit.* Ita Pall. nisi quod sext. ac sept. « Atreum alter etiam tum advenit », quod accedit ad conjectanenm Lambini: « iterum Thyestes mecum altercatum advenit », sed accedit tantum. Grut. — Schützius Lambinum sequutus est.

7. *Lene.* Schützius reposuit *plenum*, quia Quintil. XI, 3, 63: « Lætis in rebus, inquit, plena simplex et ipsa quodam modo hilaris ».

8. *Sed mihi quum detulit.* Pal. pr. ac sec. « sed sibi ». Pith. « sibi quum tetulit », sine *sed.* Grut. — Edd. pr. *detulit*, ut in fine, at *tetulit* (ἀρχαϊκῶς pro *tulit*) primus Cratander, cui lectioni metrum repugnat, ut et Lambinus addidit *ille.* Est in MS E. qui mox habet « colligandas nuptias », quod sane placet. Ern. — *Retulit* legendum esse Heusingerus docuit. *Cf.* Præfat. ad Cic. de Off. p. 44. Sch.

9. *Ob collocandas nuptias.* Explicat Cujacius, Observ. lib. XI, c. 15.

Tibi ferebat, quum simulabat sese alteri dare[10],
Tum ad te ludibunda docte[11] et delicate detulit.

Aliud molestia: sine commiseratione grave quiddam[12], et uno pressu[13], ac sono obductum[14],

Qua tempestate Paris Helenam innuptis junxit nuptiis,
Ego tum gravida, expletis jam fere ad pariendum mensibus;
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

LIX. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam, non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palæstra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens; brachium procerius projectum, quasi quoddam telum orationis; supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis, aut finiendis. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: quo melius nostri illi senes, qui personatum[1], ne Roscium quidem, magno-

10. *Quum simulabat sese alteri dare.* Mirifice variant MSS nostri. Pal. pr. sec. « se sibi Ajaci dare ». Tert. nonus, Memmiani duo « sese Ajaci dare ». Ceteras lectiones tædet exhibere: sufficit annotasse ad Tullii mei marginem: ex istis enim facile constat locum hunc hærere in mendo. GAUT. — Hoc *alteri* primus Aldus edidit. Superiores *Ajaci*, ut MSS, quæ est glossa: quam non admisit metrum. ERN.

11. *Tum ad te ludibunda docte.* Lambinus: « tunc ad te ludibundu' docte », sed præter vett. libros. Nam Pall. tres priores « quum a te ludibunda »: præterea in ceteris exstat, in quibus *quum ad te*. ERN.

12. *Quiddam.* Schützius *quoddam* e Guelf. 1, 2, 3.

13. *Uno pressu.* Schütz. « uno oris pressu », ut cap. 14 est « oris pressu et sono ». Becichem. correxit « uno spiritu ».

14. *Obductum.* Schützius, auctore Becichem. qui e MSS traxerat, edidit *ductum*.

LIX. 1. *Qui personatum, ne Rosc. quidem.* Non inde colligi debet Roscio solitum fuisse personam non induere. Scimus enim hunc fuisse morem apud Romanos histrionibus, ob magnitudinem theatrorum. Nec opus est conjectura Schlegel, qui putat aliquando Roscium ab illo more descivisse, ut cupientibus Romanis obtemperaret. Vides apud Festum multis annis post Nævium poetam comœdos et tragœdos personis uti cœpisse. Atqui Nævius obiit anno Urbis 550: senes igitur de quibus loquitur Cras-

pere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi : nam hæc est una pars corporis, quæ, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes[2] possit efficere; neque vero est quisquam, qui, eadem contuens[3], efficiat. Theophrastus quidem, Tauriscum[4] quemdam, dixit, actorem aversum[5] solitum esse dicere, qui in agendo contuens[6] aliquid pronuntiaret. Quare oculorum est magna moderatio[7]. Nam oris non est nimium mutanda

sus (anno 662) morem hunc incipientem et Roscium juvenem videre potuerant. Immo dicit Athenæus, lib. XIV, Roscium inter primos fuisse qui personati comœdiam aut tragœdiam agerent. De hac re vid. *Barthelemy*, *Voyage d'Anacharsis; l'abbé Dubos*, *Mém. de Boindin*, *Académ. des Inscr.* vol. IV, p. 132; *Mémoire de Mongez*, *troisième classe de l'Institut*, vol. I, p. 256; Dissertationem Itala lingua Ficorini; Winkelmann, vol. I, p. 411.

2. *Et commutationes*. Hoc Pal. pr. sec. Pith. Mem. abjecerunt, nec requiritur. Gaut.

3. *Qui eadem contuens*, *efficiat*. Nullus MS hanc habet lectionem præter Pall. oct. aliis est vel *continens*, vel *conveniens*, vel *conivens*, quod esset *connivens*, et fere placet, conjeceratque Gulielmius. Gaut. — Sch. Clerico improbante, conj. Gulielmii recepit. — Interpretantur, qui eodem oculorum obtutu, nihil movens oculos, efficiat illas significationes, ut Pearceius. Sed id et abruptum nimis est, nec aptum loco. Manus docta in exemplo Aldino adscripsit *afficiat*, quod dudum mihi in mentem venerat, pro *moverat :* sensu optimo; sed sic Latini non usurpant hoc verbum. Optimum et simplicissimum videtur *dicat*, quod bene convenit sequenti et huic respondenti verbo *pronuntiare*. Nempe Cicero dicit, esse contra naturam et consuetudinem hominum. Ed. Lips. habet *bn* (id est, *bene*) *efficiat*, unde ex nostra ratione sit, « bene dicat ». Ern.

4. *Tauriscum*. Fronto, ed. A. Maii, p. 218, legerat, ut videtur, *Tasurcum*.

5. *Actorem aversum*. Int. a ratione et consilio, stultum. Ed. W. *adversum*, confusione solita. Ern.

6. *In agendo contuens al. pr.* Forte « contuens aliud » : certe hoc vult Taurisci mens. Gaut. — Schützius iterum dat *connivens*. Nimirum, inquit, Tauriscum ille per jocum actorem compressis oculis aliquid pronuntiantem dixerat « actorem aversum », quoniam in occipitio oculi nulli sunt, oculi autem clausi in agendo nihilo plus valent, quam nulli. — Ernesti interpretatur : inter agendum oculos haberet in aliqua re defixos acrius : et hoc jure, sed *aversum* intelligit a ratione et consilio, h. e. *stultum*. — Intp. gallicus : « Tauriscus disait d'un acteur qui pendant tout son rôle semblait avoir toujours les yeux fixés sur le même objet, qu'il tournait le dos au public ». Quin nescio an construendum sit : Theophr. dicit Taur. quemd. act. sol. esse dic. av. ut sit Theophrasti vox, non Taurisci.

7. *Oc. est mag. moderatio*. Id est,

species, ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis : quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni jubas[8], caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet : is autem oculis[9] gubernatur. Atque in iis omnibus, quæ sunt actionis, inest quædam vis a natura data : quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, nisi eum, qui ejusdem linguæ societate conjunctus est; sententiæque sæpe acutæ non acutorum hominum sensus prætervolant : actio, quæ præ se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt, et in se ipsi indicant.

LX. (LX.) Ad actionis autem usum atque laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet : quæ primum est optanda nobis; deinde, quæcumque erit, ea tuenda. De quo illud jam nihil ad hoc præcipiendi genus, quemadmodum voci serviatur; equidem magnopere censeo serviendum : sed illud videtur ab hujus nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis in rebus quod maxime est utile, id nescio quo pacto etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam[1] nihil est utilius, quam crebra

sæpe sunt mutandi et ad orationem attemperandi. Ern.

8. *Ut equo et leoni jubas.* *Jubas* Lambini exemplo reposui pro *setas.* Nam *setis* leones et equi nihil significant. Sch.—*Jubas* cod. 7703. J.V.L.

9. *Oc. gubernatur.* Quint. XI, 3: « Sed in ipso vultu plurimum valent oculi, per quos maxime animus emanat ».

LX. 1. *Nam ad vocem obtinendam.* Corruptus procul dubio locus est :

mutatio; nihil perniciosus, quam effusa sine intermissione contentio. Quid? ad aures nostras, et actionis suavitatem, quid est vicissitudine, et varietate, et commutatione aptius? Itaque idem Gracchus[2] (quod potes audire, Catule, ex Licinio[3], cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum) cum eburneola solitus est habere fistula, qui staret occulte post ipsum, quum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret, aut a contentione revocaret.

— Audivi, mehercule, inquit Catulus, et sæpe sum admiratus hominis quum diligentiam, tum etiam doctrinam et scientiam. — Ego vero[4], inquit Crassus, ac

paullo enim ante dixerat Crassus, se nolle hic præcepta dare, « quemadmodum voci serviatur », id est, quo modo « vox obtineatur », sive melior fiat usu et exercitatione. Illud solum hic notat, quam id quod « maxime utile est, etiam decet maxime ». Ut hoc de voce verum esse probet, dicit nihil crebra mutatione utilius, nihil non intermissa contentione perniciosius *ad vocem*, etc. quid? certe non *obtinendam* : de eo nihil hic dicturus fuit. Tum addit, nihil varietate auribus nostris suavius aptiusque esse. Omnes fere vett. edd. et nonnulli MSS habent « ad vocem in dicendo obtinendam », unde Lambinus bene conjecit legendum : « ad vocem in dicendo tuendam ». Sic in initio hujus cap. de voce Crassus dicit, « quæcumque erit, ea tuenda » : et in seq. cap. quum doctrinam suam de voce breviter repetit, sic concludit : « hæc varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur, et actioni afferet suavitatem ». Pearc. — *Obtinere* vocem dicitur vel universe, vel de certo actu. In illo genere est idem, quod ante « tueri vocem », per temperantiam, etc. in hoc de actu dicendi, « obtinere vocem », est efficere, ut ad finem eadem maneat, nec obtundatur, aut raucescat. Et sic h. l. dicitur, exquisita latinitate; idque voluit explicare glossator, qui addidit « in dicendo » : quod Aldus in textum male receperat, ejectum deinde ab aliis : abest etiam MS E. Ern.

2. *Gracchus*. De C. Gracchi fistula concionatoria vide Gellium, lib. I, cap. 2. Proust.

3. *Licinio*. Hujus nomen occurrit apud Plut. in Gracch. cap. 2, et Gell. N. Att. I, 11. Ernestius reposuit *Erycino* ex edd. Ex hoc, inquit, factum *Licinio*, quod putabant hominem Crassi libertum fuisse. Immo Gracchi fuit, sed cliens Crassi, ut provincialis homo græcus, a patria *Erycinus* dictus, et eruditus literis græcis. Sed Schützius conjungit duo nomina « Licinio Erycino » : ut nomen simul hominis, ejusque patria notetur.

4. *Ego vero, inquit Crassus*. Int. et ipse admiror ejus diligentiam et doctrinam. Ern.

doleo quidem, illos viros in eam fraudem in republica esse delapsos : quamquam ea tela texitur, et ea incitatur[5] in civitate ratio vivendi, ac posteritati ostenditur[6], ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, jam similes habere cupiamus. — Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Julius, sermonem istum, et te ad Gracchi fistulam refer; cujus ego nondum plane rationem intelligo.

LXI. — In omni voce, inquit Crassus, est quoddam[1] medium, sed suum cuique voci : hinc gradatim ascendere vocem utile[2] et suave est. Nam a principio clamare, agreste quiddam est[3]; et idem illud ad firmandam[4] est vocem salutare. Deinde est quoddam[5] contentionis extremum (quod tamen interius[6] est,

5. *Ea tela tex. et. ea inc. in civitate.* P. Victorius, Var. Lect. lib. V, cap. 7, opinabatur vacare illud *incitatur;* natum a scriba qui id scripserat, loco « in civitate », neque tamen deinde deleverat : quam ejus sententiam impugnat Villiomarus, Controvers. lib. V, cap. 24; sed quam feliciter, videatur ex Villiomari animadversionibus in eum locum : sane vox ea non conspicitur in Pal. pr. sec. aut Pithœano : habent inquam, « texitur ea in civitate, etc. » GAUTZE. — Facile est corrigere *instituitur.* Sed *incitatur* est fortius, et indicat simul celerem progressum istius moris. ERN.

6. *Ac posteritati ostenditur.* Pall. nostri et Gallic. « posteritatis », quod nescio, an non præponendum alteri.

LXI. 1. *Est quoddam medium.* Sic recte ed. W. ut post « quoddam extremum ». Vulgo *quiddam*, de quo supra diximus. ERN.

2. *Utile.* Hoc Schützius delet, ut supervacuum.

3. *Nam a pr... est.* Hæc verba Sch. delet, ut ineptissimum additamentum.

4. *Et idem illud ad firm. est voc. sal.* Primo « idem illud » pro « illud idem » dedimus ex edd. pr. deinde *firmandam* ex ed. W. Med. Asc. 1, Lips. pro vulg. *firmandum*, quod est ab Aldo, et ferri posset, si constaret esse e bonis libris : nam forma hæc loquendi, « ad firmandum vocem », ut illud sit gerundium, non semel ap. Cicer. et alios occurrit. Vid. Drakenb. ad Liv. VI, 35. Ed. s. l. et a. habet « affirmandum est voce salutari ». Videtur dare voluisse auctor ejus « ad firmandum est voci salutare »; quæ lectio esset valde bona et Ciceroniana. Nos optimum duximus lectionem antiquissimam sequi, quæ est etiam in MS E. ERN. — *Illud.* Scil. gradatim ascendere.

5. *Quoddam.* Alii ut supra *quiddam.*

6. *Quod tamen int. est.* Sic Pal. pr. sec. tert. oct. non item Pith. et duo Memmiani : vult enim esse intra clamorem : hactenus publicati *inferius.*

quam acutissimus clamor), quo te fistula[7] progredi non sinet; et tamen ab ipsa[8] contentione revocabit. Est item contra quoddam in remissione gravissimum, quoque tamquam sonorum gradibus descenditur. Hæc varietas, et hic per omnes sonos vocis cursus[9], et se tuebitur, et actioni afferet suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum hujus consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

(LXI.) Edidi, quæ potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiæ coegerunt. Scitum est enim, causam[10] conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas.

— Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego possum judicare, ita divinitus, ut non a Græcis didicisse, sed eos ipsos hæc docere posse videare. Me quidem istius sermonis participem factum esse gaudeo; ac vellem, ut meus gener[11], sodalis tuus, Hortensius, affuisset: quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore.

— Et Crassus, Fore dicis? inquit: ego vero esse

7. *Quo te fistula.* Intellige ad clamorem acutissimum: nam de contentione post. Ceterum negatio mihi aliena atque delenda videtur: nam ea frigidum et alienum facit τὸ *tamen*; « ad acutissimum clamorem te progredi non sinet », et « ab contentione revocabit » sunt unum idemque; sed deleta negatione omnia bene se habent: « quo te f. progredi sinet », i. e. ad illud extremum contendendæ vocis, « et tamen revocabit a contentione », ne ad acutissimum clamorem venias. Decepit homines, ut sæpe, quod parenthesin non videbant, quam nos signavimus, ut facilius observaretur. Ern.

8. *Et tamen ab ipsa cont.* Schütz. dat « sed jam ab ista cont. » ut sensu postulante.

9. *Et hic per omnes sonos vocis cursus, et se tuebitur.* Schützius dat « et hic per omnes sonos cursus, et vocem tuebitur ».

10. *Causam conferre in tempus.* Id est, excusationem inscientiæ a tempore petere, tempus quasi reum facere.

11. *Vellem, ut meus gener.* Ut, quod in hac forma addi non solet, fortasse additum a glossatore, quod genus hominum particulas intelligendas inter versus scribere volebat, unde in textum sæpe venere. Ern. — Sch. delevit *ut*.

jam[12] judico, et tum judicavi, quum, me[13] consule, in senatu causam defendit Africæ, nuperque etiam magis, quum pro Bithyniæ rege dixit. Quamobrem recte vides, Catule : nihil enim isti adolescenti neque a natura, neque a doctrina deesse sentio. Quo magis est tibi, Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum ac laborandum : non enim ille mediocris orator vestræ quasi succrescit ætati ; sed et ingenio peracri, et studio flagranti, et doctrina eximia, et memoria singulari : cui quamquam faveo, tamen illum ætati suæ[14] præstare cupio; vobis vero illum tanto minorem[15] præcurrere vix honestum est.

Sed jam surgamus, inquit, nosque curemus, et aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus.

12. *Esse jam jud. et tum judicavi.* Schützius *jam* sic transponit auctore Heusingero, « esse judico, et jam tum judicavi ».

13. *Me consule, in senatu causam*, etc. Anno scilicet Urb. C. 658, quo primum tempore, ut refert Tullius in Bruto, in foro dixit Hortensius. PRUST.

14. *Ætati suæ.* Subaudi *uni ;* iis tantum qui æquales sunt ætate.

15. *Tanto minorem.* Cotta et Sulpicius annis decem Hortensio majores. PRUST.

M. T. CICERONIS

BRUTUS

SIVE

DIALOGUS

DE CLARIS ORATORIBUS

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

In præfatione libri Cicero primum Q. Hortensii mortem deplorat, aditis consolationis causis, cap. 1, 2. Deinde occasionem hujus dialogi exponit. Nimirum ad eum M. Brutus cum T. Pomponio Attico venerant, eumque rogaverant, ut, quem nuper in Tusculano, solo audiente Attico, inchoasset sermonem de claris oratoribus, nunc utrique plenum exponeret, cap. 3-5.

Sequitur ipse dialogus, in quo Cicero, postquam, unde ductus esset sermo cum Pomponio in Tusculano habitus, exposuerat, cap. 6, primum breviter græcos oratores artisque rhetoricæ scriptores recenset, cap. 7-13. Deinde ad Romanos accedit, in quibus primum antiquiores, de quorum eloquentia nihil certi habebat dicere, enumerat, ut L. Brutum, M. Valerium Maximum, L. Valerium Potitum, Appium Claudium, C. Fabricium, Tib. Coruncanium, M. Curium, M. Popillium, C. Flaminium, Q. Fabium Maximum Verrucosum, Q. Metellum, cap. 14.

Sequuntur ii, de quibus certior eloquentiæ memoria constabat, in hisque primum M. Cornelius Cethegus, cap. 15. M. Cato Censorius, cujus orationes et oratoriæ laudes cum Lysia comparantur, et cur hic felicior sit ab omni laude quam ille, exponitur, cap. 16-19. Post Catonem nominantur quidam, qui cum eo grandiores natu vixerant, C. Flaminius, C. Varro, Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus, P. Crassus, Scipio Africanus, ejusque filius, Sext. Ælius; deinde minores ætate, C. Sulpicius Gallus, Tib. Gracchus, P. F., P. Scipio Nasica Corculum, Q. et M. Nobiliores, T. Annius Luscus, L. Paullus Macedonicus, Africani junioris pater, cap. 20: tum A. Albinus, Serv. Fabius Pictor, Q. Fabius Labeo, Q. Metellus, L. Cotta, C. Lælius, P. Africanus junior, Serv. Galba, cap. 21. In primis de horum trium, Lælii, Africani et Galbæ laudibus dicitur, cap. 22-24.

Post illos nominantur L. et Sp. Mummii fratres, Sp. Albinus, L. et C. Aurelii Orestæ, P. Popillius ejusque filius Caius. Porro C. Tuditanus, M. Octavius, præcipue autem M. Æmilius Lepi-

dus Purcina. Deinde Q. Pompeius, L. Cassius, M. Antius Briso, duo Cæpiones Cn. et Q. cap. 25.

Sequitur P. Crassus, valde probatus orator, ejusque ætati juncti duo C. Fannii, C. et M. filii; M. Scævola augur, juris civilis intelligentia, non oraturia laude clarus; L. Cælius Antipater, cap. 26.

Præcipue autem eminent Tib. Gracchus C.que Carbo, c. 27. Minorem vero eloquentiæ laudem adepti D. Brutus M. fil. Q. Maximus, Paulli nepos, Scipio Serapio, P. Lentulus, L. Furius Philus, P. Scævola, M'. Manilius, M. Fulvius Flaccus, C. Cato, C. Decius, M. Drusus C. fil. ejusque frater C. Drusus, M. Pennus et T. Flaminius, cap. 28.

His adjunguntur M. Scaurus, cap. 29; P. Rutilius, cap. 30; Q. Ælius Tubero, omninoque Stoici uratores, cap. 31; C. Curio illustris orator, cap. 32, et præstantissimus ingenio, studio, doctrina C. Gracchus, cap. 33.

Huic successit ætati C. Galba, P. Scipio, L. Bestia, C. Licinius Nerva, C. Fimbria, C. Sextius Calvinus, M. Brutus, accusator ille vehemens et molestus, L. Cæsulenus, T. Albucius, cap. 34.

Porro Q. Catulus, pater et filius, Q. Metellus Numidicus, M. Silanus, M. Aurelius Scaurus, A. Albinus, Q. Cæpio, C. et L. Memmii, Sp. Thurius, M. Marcellus, P. Lentulus, L. Cotta, cap. 35.

Sequuntur summi oratores L. Licinius Crassus et M. Antonius, de quibus diligenter agitur, cap. 36-44, interjecto Q. Scævola, qui cum Servio Sulpicio comparatur, cap. 41.

Tum recensentur Cn. Domitius, C. Cœlius, M. Herennius, C. Clodius, C. Titius, L. Afranius, Q. Varro, M. Gratidius, c. 45.

His adjunguntur nonnulli ex sociis et latinis oratoribus, Q. Vettius Vettianus, Q. et D. Valerii Sorani, C. Rusticellus Bononiensis, T. Betucius Barrus Asculanus et prior ætate L. Papirius Fregellanus, cap. 46.

Hos excipiunt e Romanis L. Philippus orator Crasso et Antonio, sed longo intervallo, proximus, et ejus ætati fere conjuncti L. Gellius, D. Brutus, L. Scipio, Cn. Pompeius Sexti filius, M. Brutus, C. Bilienus, Cn. Octavius, cap. 47; tum C. Julius

Cæsar L. filius, P. Cethegus, Q. Lucretius Vespillo Aphilia, T. Annius Velina, T. Juventius, P. Orbius, T. Aufidius, ejusque frater M. Virgilius, P. Magius, Q. Sertorius, C. Gorgonius, T. Junius, cap. 48.

Sequuntur ii, quos Cicero ipse audivit. Inter quos facile primas tulisse ait tum suo, tum omnium judicio C. Cottam et P. Sulpicium, cap. 49; idque eum in hanc disputationem ducit, ut, an recte populus de oratoribus judicet, disquirat, cap. 49-54. Tum laudes Cottæ et Sulpicii fusius exponit, cap. 55, 56; agitque porro de Pomponio, cap. 57; de Curione, cap. 58-60, ubi simul de domestica institutione ad linguæ puritatem multum valente disputat; porro de C. Carbone, Q. Vario, L. Fufio, compluribus aliis vel e numero oratorum exclusis, vel brevissime memoratis, cap. 61.

Sequitur P. Antistius, cap. 62; L. Sisenna, cap. 63, et Hortensio, de quo postea pluribus verbis agit, commemorato, agitur de M. Crasso, C. Fimbria, Cn. et P. Lentulis, cap. 65; de M. Pisone, cap. 66; de P. Murena, C. Censorino, L. Turio, C. Macro, cap. 67; de C. Pisone, L. Torquato, Cn. Pompeio M. D. Silano, Q. Pompeio, P. Autronio, L. Octavio, C. Staleno, cap. 68; porro de C. et L. Cæpasiis fratribus, de Cosconio et Arrio, cap. 69; his adjunguntur L. Torquatus, M. Messalla, Celer et Nepos Metelli, Cn. Lentulus Marcellinus et C. Memmius, cap. 70.

Tum rogatus a Bruto Cicero, ut de Cæsare et M. Marcello, utroque vivo, judicium suum exponat, primum Marcellum ipse laudat, Cæsaris autem laudes fere ad Atticum remittit, ita tamen, ut iis ipse non minus quam Brutus assentiatur, c. 71-75.

Post illos recensentur C. Sicinius, C. Visellius Varro, L. Torquatus, Triarius, cap. 76; M. Bibulus, Appius Claudius, L. Domitius, P. et L. Lentuli, T. Postumius, cap. 77; P. Cominius, T. Accius, C. Piso, cap. 78. Sequuntur M. Cœlius, cap. 79; M. Calidius, cap. 80; C. Curio, P. Crassus, C. Licinius Calvus, cap. 81, 82, a cujus exilitate sumit occasionem de attico dicendi genere disputandi, cap. 83; qua degressione laudata, Atticus Ciceronem pervellit, quod nimiis laudibus multos romanos extulerit oratores, cap. 83-87. Sequuntur jam Hortensii laudes,

cap. 88, quibuscum conjungit Cicero de suis studiis, laboribusque forensibus narrationem, cap. 88-94.

Tum quæstioni, cur Hortensius magis adolescens quam provecta ætate orator floruerit, respondetur, cap. 95, 96.

Epilogus hortatur Brutum, ut, quamquam iniqua nunc sint reip. et oratorum studiis tempora, tamen eloquentiæ laudem tueri, seque ex turba patronorum eripere velit, cap. 97.

M. T. CICERONIS
BRUTUS,
SIVE
DIALOGUS
DE CLARIS ORATORIBUS.

I. (1.) QUUM e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, opinione omnium majorem animo cepi dolorem. Nam et amico amisso, quum consuetudine jucunda, tum multorum officiorum conjunctione me privatum videbam, et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii deminutam[1] dolebam : qua in cogitatione, et cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus judicium dignitatis meæ fecerat, et inauguratum ab eodem; ex quo, augurum institutis, in parentis eum loco colere debebam. Augebat[2] etiam molestiam, quod magna sapientium civium bonorumque penuria, vir egregius, conjunctissimusque mecum consiliorum omnium societate, alienissimo reipublicæ[3] tempore exstinctus, et auctoritatis, et prudentiæ suæ triste nobis desiderium reliquerat; dolebamque, quod non,

I. 1. *Deminutam.* Vulgo *diminutam.*

2. *Augebat. Augebam* Gu. 1, 2, in quo Scheiderus latere putat *augebant.* Sch.

3. *Alienissimo reipublicæ tempore.* Cicero nominatus fuerat augur anno U. C. 700, proconsul in Ciliciam, anno 702, ad portas urbis venit, incipiente mense jan. anni 704. Hortensius obierat anno 703, quum jamjam conflagraturum esset inter Pompeium et Cæsarem civile bellum.

ut plerique putabant, adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, et consortem gloriosi laboris amiseram. Etenim, si in leviorum artium studio memoriæ proditum est, poetas nobiles poetarum æqualium morte doluisse [4]; quo tandem animo ejus interitum ferre debui, cum quo certare erat gloriosius, quam omnino adversarium non habere? quum præsertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus, sed contra semper alter ab altero adjutus et communicando, et monendo, et favendo.

Sed quoniam, perpetua quadam felicitate usus ille, cessit e vita, suo magis, quam suorum civium tempore, et tum occidit, quum lugere facilius rempublicam posset, si viveret, quam juvare; vixitque tamdiu, quam licuit in civitate bene beateque vivere: nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse, doleamus; illius vero mortis opportunitatem benivolentia potius, quam misericordia prosequamur; ut, quotiescumque de clarissimo et beatissimo viro cogitemus, illum potius, quam nosmetipsos, diligere videamur. Nam, si id dolemus, quod eo jam frui [5] nobis non licet; nostrum est id malum: quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur: sin, tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur; summam ejus felicitatem non satis grato animo interpretamur.

II. Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus; hunc autem præter [1] ceteros, aut cum paucis

4. *Poetas nobiles... doluisse.* Sophoclem ferunt, Euripide mortuo, luctum duxisse.

5. *Frui nobis non licet.* Gu. 1, « nobis frui non licet; nostrum est ». Scn.

II. 1. *Præter ceteros, aut cum.* Vulgati « et præter ceteros ». Delevi *et*: deberet enim sequi *et*, non *aut*, quod

sustineret dolorem, quum forum populi romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita, et romanis græcisque auribus digna, spoliatum atque orbatum videret. (II.) Equidem angor animo, non consilii, non ingenii, non auctoritatis armis egere[2] rempublicam, quæ didiceram tractare, quibusque me assuefeceram, quæque erant propria quum præstantis in republica viri, tum bene moratæ et bene constitutæ civitatis[3]. Quod si fuit in republica tempus ullum, quum extorquere arma posset e manibus iratorum civium boni civis auctoritas et oratio; tum profecto fuit, quum patrocinium pacis exclusum est aut errore hominum[4], aut timore. Ita nobismet ipsis accidit, ut, quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus, quod, quo tempore ætas nostra perfuncta rebus amplissimis[5], tamquam in portum confugere deberet, non inertiæ, neque desidiæ, sed otii moderati, atque honesti; quumque

foret absurdum. Non enim potest aliquis et solus et cum paucis facere quid: forma usitata est « vel præter ceteros, vel cum paucis ». Quia hic in altero membro est *aut*, debebat in primo pariter esse *aut*, quod propter maxime antecedens *autem*, parum suave erat. Itaque Cicero scripsit sic, ut edidimus. Ern. — Heusingero placebat « hunc aut præter ceteros ». Gu. 1, 2, « et præter c. » Sch.

2. *Armis egere*. Desiderare, uti velle, etc. Sic et alibi; vide Clav. Ern.

3. *Et bene constitutæ civitatis*. Tum vero occupata a Cæsare respubl. unius arbitrio regebatur: arma leges oppresserant, nec locus erat consilio aut eloquentiæ inter armatos. Conf. Cicer. pro Marcello, cap. 5, ubi iterum dicit eos qui pro pace dicebant non auditos fuisse.

4. *Aut errore hominum*. Ita primum emendavit Jo. Rivius, Castigationum libello: antea cusi *terrore*; minus recte, ut liquet ex aliis Tullii locis pro Marcello, pro Ligario, pro Dejotaro, item lib. VII, epist. 11, ad Atticum. Lambinus quoties hoc libro se jactat, Rivio potius id omne tribuere debebat, nisi cuperet videri magnæ potius industriæ, quam reipsa esse. Usus sum ego hic uno tantum Palat. Gulielmius vero codice Cujacii, diverso tamen ab eo, quem citat Lambinus. Gruter. — « Errore » primum edidit Aldus pro *terrore*, quam correctionem Gruterus frustra Rivio tribuit, quamquam ipse forte ingenio vidit, quod ex Aldo discere poterat. Ern.

5. *Perfuncta rebus amplissimis*. Gu. 1, « perfuncta amplissimis honoribus ». Sch.

ipsa oratio jam nostra canesceret, haberetque suam quamdam maturitatem, et quasi senectutem; tum arma sunt ea sumpta, quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur, non reperiebant. Itaque ii mihi videntur fortunate beateque vixisse, quum in ceteris civitatibus, tum maxime in nostra, quibus quum auctoritate, rerumque gestarum gloria, tum etiam sapientiæ laude perfrui licuit: quorum memoria et recordatio in maximis nostris gravissimisque curis jucunda sane fuit, quum in eam nuper ex sermone quodam incidissemus.

III. (III.) Nam quum inambularem in xysto, et essem otiosus domi, M. ad me Brutus, ut consueverat, cum T. Pomponio venerat, homines quum inter se conjuncti, tum mihi ita cari, itaque jucundi, ut eorum adspectu omnis, quæ me angebat de republica, cura consederit. Quos postquam salutavi: Quid vos, inquam, Brute et Attice, nunc? quid tandem novi? — Nihil sane, inquit Brutus, quod quidem aut tu audire velis, aut ego pro certo dicere audeam. — Tum Atticus, Eo, inquit, ad te animo venimus, ut de republica esset silentium, et aliquid audiremus potius ex te, quam te afficeremus ulla molestia. — Vos vero, inquam, Attice, et præsentem me cura levatis, et absenti magna solatia dedistis; nam vestris primum literis recreatus, me ad pristina studia revocavi. — Tum ille, Legi, inquit, perlubenter epistolam, quam ad te Brutus misit ex Asia, qua mihi visus est et monere[1] te prudenter, et consolari amicissime. — Recte, inquam, est visus; nam me istis scito literis, ex diuturna perturbatione totius valitudinis tamquam ad adspiciendam lucem esse revocatum. Atque

III. 1. *Monere*. Schütz. cum Guelf. 2, *emonere*.

ut, post Cannensem illam calamitatem, primum Marcelli ad Nolam prælio populus se romanus erexit, posteaque prosperæ res deinceps multæ consequutæ sunt; sic post rerum nostrarum et communium gravissimos casus[2], nihil ante epistolam Bruti mihi accidit, quod vellem, aut quod aliqua ex parte sollicitudines allevaret meas. — Tum Brutus, Volui id quidem efficere certe[3], et capio magnum fructum, si quidem, quod volui, tanta in re consequutus sum. Sed scire cupio, quæ te Attici literæ delectaverint[4]. — Istæ vero, inquam, Brute, non modo delectationem mihi, sed etiam, ut spero, salutem attulerunt. — Salutem? inquit ille : quodnam tandem genus istuc tam præclarum literarum fuit? — An mihi potuit, inquam, esse aut gratior ulla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius libri, quo me hic affatus quasi jacentem excitavit? — Tum ille, Nempe eum dicis, inquit, quo iste omnem rerum memoriam breviter, et, ut mihi quidem visum est, perdiligenter complexus est? — Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi saluti fuisse.

IV. (IV.) — Tum Atticus, Optatissimum mihi quidem est quod dicis; sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse? — Ille vero et nova, inquam, mihi quidem multa[1],

2. *Rerum nostrarum et communium grav. casus.* Res familiaris concussa, turbæ Romæ factæ a Dolabella Ciceronis genero, divortium filiæ Tulliæ, ingratus Quinti fratris et nepotis animus qui Cæsarem a Cicerone abalienare conati sunt, denique periculum capitis in quo Brundisii versatus est, Antonio illum acriter exagitante; et perpetua anxietas qua hoc in loco fuit distortus per totum fere annum, dum Cæsar rediret, hæc sunt quæ notant verba « casus rerum nostrarum » : *communium* pertinet ad Pharsalicam pugnam et eversam rempublicam.

3. *Volui id quidem efficere certe.* Gulielm. conjicit « volui quidem certe ». Sed nihil mutandum. Sch.

4. *Quæ te Att. literæ delectaverint.* Gulielmius malebat « quam te ». Gaut. — Gu. 1, *delectaverunt.* Sch.

IV. 1. *Multa.* Post hanc vocem Gu.

et eam utilitatem, quam requirebam, ut, explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem. Quæ quum studiose tractare cœpissem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit, admonuitque, Pomponi, ut a te ipso sumerem aliquid[2] ad me reficiendum, teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere : quamquam illud Hesiodium laudatur a doctis, quod eadem mensura reddere jubet, qua acceperis, aut etiam cumulatiore[3], si possis. Ego autem voluntatem tibi profecto emetiar[4] : sed rem ipsam nondum posse videor ; idque ut ignoscas, a te peto. Nec enim ex novis (ut agricolæ solent) fructibus est, unde tibi reddam quod accepi; sic omnis fœtus repressus, exustusque flos siti[5] veteris ubertatis exaruit : nec ex conditis[6], qui jacent in tenebris, et ad quos omnis nobis aditus, qui pæne solis[7] patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus,

1 addit *attulit*, quo carere possumus, si post *mihi* quidem commate interpungatur. Sch. — Et sic Schützius interpungit.

2. *Ut a te ipso sumerem al.* Schützius corrigit, « ut ad te ipse scriberem aliquid », cf.que jubet Epist. ad Famil. IX, 8. Cur non conjiceretur « a me ipso »?

3. *Aut etiam cumulatiore.* Hesiodi versus 349 e poemate de laboribus et diebus, a Cicerone iterum adductus, Offic. I, cap. 15 : εὖ δ' ἀποδοῦναι Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι.

4. *Voluntatem tibi profecto emetiar.* Speciosa est Rivii et Lambini correctio *remetiar*, quia de reddendo ac remunerando sermo fuit. Sed de re reddenda erat sermo, non de voluntate, ut hic. Itaque vulgatum non inepte stare posse videatur. Ern. — Schütz. edidit *remetiar*, quod est in Gu. 1, 2. Antonius Palingrenus *profecto* mutat in *pro facto*, quod ineptum sibi videri Gruterus declarat.

5. *Exustusque flos ..... ubertatis.* Lambinus, « exustusque siti flos vet. ubert. »

6. *Ex conditis.* Intell. libris, quos scriptos, sed nondum editos habet.

7. *Qui pæne solis patuit.* Int. quos prope nemini legendos dedimus. Illo, quo scripsit tempore, ab istis libris aberat, ut legere, aut aliis dare non posset. Aditus obstructus est eorum, non quod re ipsa prohibitus fuerit Cicero, ne illis ultimam manum imponeret, sed quia non satis animus vacabat, reipublicæ calamitatibus distractus, quod videre licet ex Offic. II, 1.

ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris; modo idem noster animus efficere possit, quod ager, qui, quum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet.

(v.) — Tum ille, Ego vero et exspectabo ea, quæ polliceris, neque exigam, nisi tuo commodo, et erunt mihi pergrata, si solveris. — Mihi quoque, inquit Brutus, et exspectanda[8] sunt ea, quæ Attico polliceris; etsi fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommodo[9] exacturum negat.

V. — At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem[1], cujus petitio sit, petiturum. — Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausus sim[2]; nam hunc, qui negat[3], video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen, et acrem fore. — Tum Pomponius, Ego vero, inquit, Brutum nihil mentiri puto. Videor enim jam te ausurus esse appellare; quoniam longo intervallo modo primum animadverti paullo te hilariorem. Itaque, quoniam hic, quod mihi deberetur, se exacturum professus est; quod huic debes, ego a te peto. — Quidnam

8. *Et exspectanda sunt ea... etsi fortasse. Et* delendum est, quod additum est, quia id ante erat : « et exspectabo, quæ polliceris, etc. » nam nihil ei hic respondet. Sensus est : ego quoque exspectare debeo, nec cogere te ad scribendum : fortasse tamen exigam, etc. Res nimis clara est. Ern.

9. *Incommodo.* Vox illa capienda est pro adverbio : nam sic et *commodo* usurpatur nec opus est correctione a quibusdam tentata, qui addunt *tuo*, ut Lambinus. *Se* ante *incommodo* abest ed. Ven. 1485. Ern. — Schützius Lambinum sequutus est.

V. 1. *Amplius eo nomine neminem.* Sc. Atticum, qui solus habet jus petendi, cujusque te fers procuratorem nihil amplius a me hoc nomine petiturum.

2. *Ausus sim.* Gulielmius corrigit *autem* : sic e MS Reg. notat Alemannus. Ern. — Schutzius *ausim* cum Gu. 1, quod J. V. L. vidit in MSS Regg. nec improbat.

3. *Qui negat.* Scil. se incommodo exacturum.

id? inquam[4]. — Ut scribas, inquit, aliquid; jampridem enim conticuerunt tuæ literæ. Nam ut illos de republica libros edidisti, nihil a te sane postea accepimus; eisque nosmet ipsi ad veterum annalium memoriam comprehendendam impulsi, atque incensi sumus. Sed illa[5], quum poteris; atque ut possis, rogo[6]. Nunc vero, inquit, si es animo vacuo, expone nobis, quod quærimus. — Quidnam est id? inquam. — Quod mihi nuper in Tusculano inchoasti de oratoribus, quando esse cœpissent, qui etiam, et quales fuissent; quem ego sermonem quum ad Brutum tuum, vel nostrum potius, detulissem, magnopere hic audire se velle dixit. Itaque hunc elegimus diem, quum te sciremus esse vacuum. Quare, si tibi est commodum, ede illa, quæ cœperas, et Bruto, et mihi. — Ego vero, inquam, si potuero[7], faciam vobis satis. — Poteris, inquit; relaxa modo paullum animum, aut sane[8], si potes, libera. — (VI.) Nempe igitur hinc tum, Pomponi, ductus est sermo, quod erat a me mentio facta, causam Dejotari[9], fidelissimi atque

4. *Quidnam id? inquam... quærimus.* Schützius hæc verba aliunde huc translata esse putat, levibus de causis. J. V. L.

5. *Sed illa, quum poteris*, scilicet scribes.

6. *Atque ut possis, rogo.* Lepidum scilicet est, aliquem rogare, ut possit: scriba stultus sic fecit; corrige *potes*. Nempe facetum est rogare ut faciat, quemadmodum possit, indicatque nil melius exspectare posse, quam facere possit. Ern. — Quomodo non videt Ern. eum qui loquitur significare velle potestatem ibi omnino voluntate contineri, ut qui declaret se non posse, non velle declaret: sic loquitur urbanitatis exquisitioris causa.

7. *Si potuero.* Schützius dat *potero*, ut jusserat Ern.

8. *Aut sane.* Schützius corrigit *aut plane* cum Wetzelio ex Fam. Epist. 1, lib. VII: « si me relaxare... nam ut plane exsolvam, non postulo ».

9. *Causam Dejotari.* Quum Brutus cum Cæsare esset Nicei in Bithynia (al. Nice in Liguria) anno U. C. 706, defendit regem Gallogræciæ, Dejotarum, qui partes Pompeii amplexus erat, obtinuitque a Cæsare, ut illi ignosceretur. Duos post annos idem Dejotarus reus ob crimen insidiarum vitæ Cæsaris factarum, defensorem habuit Ciceronem. De oratione Bruti vide Epist. ad Attic. XII, 1, et Tacitum, Dialog. de Orat. cap. 21.

optimi regis, ornatissime et copiosissime a Bruto me audisse defensam.

VI. — Scio, inquit, ab isto initio tractum esse sermonem, teque Bruti dolentem vicem, quasi deflevisse judiciorum vastitatem et fori. — Feci, inquam, istuc quidem, et sæpe facio. Nam mihi, Brute, in te intuenti, crebro in mentem venit vereri, ecquodnam curriculum aliquando sit habitura tua et natura admirabilis, et exquisita doctrina, et singularis industria. Quum enim in maximis causis versatus esses, et quum tibi ætas nostra jam cederet, fascesque summitteret, subito in civitate quum alia ceciderunt, tum etiam ea ipsa, de qua disputare ordimur, eloquentia obmutuit. — Tum ille, Ceterarum rerum causa [1], inquit, istuc et doleo, et dolendum puto; dicendi autem me non tam fructus et gloria, quam studium ipsum exercitatioque delectat; quod mihi nulla res eripiet, te præsertim tam studioso. Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit [2]. Quare qui eloquentiæ veræ dat operam, dat prudentiæ, qua ne maximis quidem in bellis æquo animo carere quisquam potest. — Præclare, inquam, Brute, dicis, eoque magis ista dicendi laude delector, quod cetera, quæ sunt quondam habita in civitate pulcherrima, nemo est tam humilis, qui se non aut posse adipisci, aut adeptum putet : eloquentem neminem video factum esse victoria. Sed quo facilius sermo explicetur, sedentes, si videtur, agamus.

Quum idem placuisset illis, tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus.

(VII.) Hic ego : Laudare igitur eloquentiam, et

VI. 1. *Ceterarum rerum causa.* Rittershusius noster delebat dictionem *causa*, tamquam a mala manu. GRUT.

2. *Intelligit.* Ernestio videbatur legendum *intelligat.* Recte vero se indicativus habet. SCH.

quanta vis sit ejus, expromere[3], quantamque iis, qui sint[4] eam consequuti, dignitatem afferat, neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium. Hoc vero sine ulla dubitatione confirmaverim, sive illa arte pariatur aliqua, sive exercitatione quadam, sive natura, rem unam esse omnium difficillimam. Quibus enim ex quinque rebus constare dicitur, earum unaquæque est ars ipsa magna per sese. Quare quinque artium concursus maximarum, quantam vim, quantamque difficultatem habeant[5], existimari potest.

VII. Testis est Græcia, quæ, quum eloquentiæ studio sit incensa, jamdiuque excellat in ea præstetque ceteris, tamen omnes artes vetustiores habet, et multo ante non inventas solum, sed etiam perfectas, quam hæc est a Græcis elaborata dicendi vis atque copia. In quam quum intueor, maxime mihi occurrunt, Attice, et quasi lucent Athenæ tuæ: qua in urbe primum se orator extulit, primumque etiam monumentis et literis oratio est cœpta mandari. Tamen ante Periclem, cujus scripta quædam feruntur, et Thucydidem, qui non nascentibus Athenis, sed jam adultis fuerunt[1], litera nulla est, quæ quidem ornatum aliquem habeat, et oratoris esse videatur. Quamquam opinio est, et eum, qui multis annis ante hos fuerit, Pisistratum, et paullo seniorem etiam Solonem, posteaque Clisthenem[2], multum, ut temporibus illis,

3. *Expromere*. *Exprimere* Gu. 2. Sch..

4. *Qui sint*. *Qui sunt* Gu. 1. Sch.

5. *Habeant*. Pendet e *concursus*, unde esse debet *habeat*, nec ad artes referri potest. Ern.—Schützius dedit *habeat*.

VII. 1. *Sed jam adultis fuerunt*. *Jam* abest Gu. 1. Sch.—Pericles ubiit anno tertio belli Peloponnesiaci, anno 429 ante Christum. Quum hujus belli historiam scriberet Thucydides, jam a Cecrope anni 1130 numerabantur, et 342 a Roma condita.

2. *Clisthenem*. Clisthenes unus fuit ex Alcmeonidis, qui Hippiam Athenis pepulerunt, eodem ipso anno, quo tyranni Roma exacti sunt, ut Plinius

valuisse[3] dicendo. Post hanc ætatem aliquot annis, ut ex Atticis monumentis potest perspici, Themistocles fuit; quem constat quum prudentia, tum etiam eloquentia præstitisse : post Pericles, qui quum floreret omni genere virtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem[4] etiam temporibus illis, turbulentum illum quidem civem, sed tamen eloquentem constat fuisse. Huic ætati suppares Alcibiades, Critias, Theramenes; quibus temporibus quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidi[5] scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest[6] : grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione[7] rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

VIII. Sed ut intellectum est, quantam vim haberet accurata, et facta quodam modo[1] oratio; tum etiam magistri dicendi multi subito exstiterunt; tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Prota-

observavit. A Clistheoe ostracismus institutos est, quem ipse Clisthenes primus expertus est (vide Ælianum, XIII, 24).

3. *Ut temporibus illis val.* Coostitutas foisse leges Solonis circa ann. 594, et Pisistratom summam potestatem occupavisse circa ann. 560 aote Christ. ioter historicos fere constat. Ex hoc usque ad Salaminiscam pognam octoginta anni elapsi suot, quæ reportata est victoria anoo Romæ 274.

4. *Cleonem.* Cleo, Alcibiades, Critias, Theramenes floruere bello Peloponnesiaco, cui finis impositus est aooo ante Christ. 405, urbis Romæ 349.

5. *Thucydidi.* Ernestius sioe causa correxit *Thucydidis.* J. V. L.

6. *Intelligi maxime potest.* Hug. *Blair, Leçon XXV*, dicit dicendi genus qoo utitur Thocydides multum abesse ab eo dicendi genere, qood oostris temporibus eloqoeotiæ illi propriom tribuitor, quæ spectat ad popolum commoveodum. Magnaqoe æstimatione digoum videri popolum ad quem tales orationes habitæ foerint. Sed probabile videtur Thucydidem oratoribus Atheniensibus soom dicendi genus commodavisse, potius quam genus eorum mutoatum esse. Sic nemini visum est Sallustii orationes, illas præcipoe quæ in illios magna historia reperiuntur, et qoibus exprimere Thucydidi genus conatus est, imitatus fuisse genus eloquentiæ popularis, qood tempore Sallustii Romæ vigeret.

7. *Comprehensione.* Gu. 1, *compressione.* Sch.

VIII. 1. *Facta quodam modo.* Scilicet quæ ex arte ducat formam suam; sic opponitor *argentum factum*, laboratum, brutæ materiæ et rudi.

goras Abderites, Prodicus Ceus[2], Hippias Eleus[3] in honore magno fuit; aliique multi temporibus eisdem docere[4] se profitebautur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates[5], qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis[6]. Hujus ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri; primumque tum philosophia, non illa de natura, quæ fuerat antiquior, sed hæc, in qua de bonis rebus et malis, deque hominum vita et moribus disputatur, inventa dicitur: quod quoniam genus ab hoc, quod proposuimus, abhorret, philosophos aliud in tempus rejiciamus; ad oratores, a quibus degressi[7] sumus, revertamur.

Exstitit igitur jam senibus illis, quos paullo ante diximus, Isocrates[8], cujus domus cunctæ Græciæ quasi

2. *Ceus.* Sic scribendum erat, ut supra lib. II, non *Ceius.* Vetus lectio fuit *Chius*, unde Aldus fecit *Cius :* sic et Junta. Ern.

3. *Hippias Eleus.* Omnes isti rhetores floruerunt circa annum 425 ante Christum bello Peloponnesiaco. Gorgias Athenas venit, aliquot annos post Periclem exstinctum, ubi omnium admirationem sibi conciliavit. Vide *Voy. d'Anacharsis*, cap. 38. Hujus supersunt duæ orationes, ubi contraria contrariis relata, et nimis sententiarum subtilitas indesinenter occurrunt. Una inscripta est laus Helenæ, altera apologia Palamedis. De utriusque tamen auctore certatur. Prodicus, Theramenis et Socratis præceptor, primus narravit pulchram allegoriam virtutem inter et voluptatem distracti, quam post eum celebravere Xenophon, Cicero, divus Basilius et alii. De Hippia vide Ciceronem de Orat. III, 33. Protagoras, discipulus Democriti, primus fuit auctor « locorum communium ».

4. *Eisdem docere.* Schützius dat, « eisdem. Hi docere ».

5. *Socrates.* Veneno necatus est anno urbis Romæ 354, ante Christum 400, natus septuaginta annos.

6. *Solebat verbis. Hujus ex uberr.* Victorius, « solebat vir is, cujus ex uberrimis ». Schützius, « solebat. Hujus ex uberrimis ».

7. *Degressi.* Gu. 1, *digressi.* Sch.

8. *Isocrates.* Isocrates juvenis audierat Gorgiam senem. Plutarchus eum sexaginta orationum auctorem dicit, addito multas non videri genuinas. Dionysius Hal. quinque et viginti orationes ei tribuit, quarum unam et viginti habemos. Quum illa audacia, illaque voce careret in publicum prodeuntibus necessaria, scholam condidit, in qua eloquentiam maxima cum laude docuit. Ex hac schola evaserunt Isæus, Xenophon, Demosthenes. Isocrates se inedia consumi passus est,

ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus orator, et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo[9], meo quidem judicio, est postea[10] consequutus. Is et ipse scripsit multa præclare, et docuit alios; et quum cetera melius, quam superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione, dum versum effugeres, modum tamen et numerum quemdam[11] oportere servari. Ante hunc enim verborum quasi structura, et quædam ad numerum conclusio nulla erat; aut, si quando erat, non apparebat eam dedita opera esse quæsitam: quæ forsitan laus sit; verumtamen natura magis tum, casuque nonnumquam[12], quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat. Ipsa enim natura circumscriptione quadam verborum[13] comprehendit concluditque sententiam; quæ quum aptis constricta verbis est, cadit etiam plerumque numerose. Nam et aures ipsæ, quid plenum, quid inane sit, judicant, et spiritu, quasi necessitate aliqua, verborum comprehensio

anno ante Christum 338, urbis Romæ 416, quum nollet libertati patriæ, quam pugna Cheronea afflixerat, superesse. Obiit natus annum nonagesimum nonum.

9. *Nemo, meo quidem jud.* Sic e MS Reg. Paris. dedi: sic solet Cicero. Vulgo: « nemo quidem, meo judicio ». Ern.

10. *Postea.* Sic Guelf. 1, 2. Lipsius, Var. Lect. III, 14, e Rufino grammatico correxerat *poeta*, bene refutatus a Ruhnkenio, Hist. Crit. Oratt. Grr. pag. 62. Sch. — Lipsii conjectura ab Ernestio servata, nihil infelicius fuit. Reduximus nos, Lallem. Bipont. al. auctoribus, MSS et edd. pr. lectionem. J. V. L.

11. *Modum tamen et numerum quemdam.* Modus, i. e. quo longitudo periodi et membrorum proportio circumscribitur: numerus consistit in intermiscendis syllabis brevibus et longis, unde membri et cujusque periodi sonus jucundus et perfectus nascitur.

12. *Natura magis tum, casuque nonnumquam, quam aut rat.* Vetus lectio erat, « natura magis, tum casu nonnumquam, aut ratione ». Ernestius addidit *quam* ex edd. Ald. quam videtur intelligere Rivius veteris ed. nomine. Sic et Junt. Etiam sine libris adjicit Ernest. addi debebat, ut fecere Victorius et Lambinus. Apud Priscianum legitur « nonnumquam haud ratione aliqua ».

13. *Verborum.* Schutzius hoc delendum arbitratur.

terminatur, in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe est.

IX. Tum fuit Lysias [1], ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor, atque elegans, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere; nam plane quidem perfectum, et cui nihil admodum [2] desit, Demosthenem [3] facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate, vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. Huic Hyperides proximus, et Æschines fuit, et Lycurgus, et Dinarchus, et is, cujus nulla exstant scripta, Demades, aliique plures [4]. Hæc enim ætas ef-

IX. 1. *Lysias.* Coævus Isocratis, quamquam paullo senior, obiit anno vitæ suæ 80, anno Romæ 375. Decimum quintum annum natus, inter eos fuit qui Thurium oppidum coloniam conderent, publicisque muneribus in ea functus est usque ad sexagesimum annum. Tum cum Thrasybulo conspiravit, ut tyrannis Athenas liberaret, in eaque urbe decessit e vita. Photius eum dicit composuisse 233 orationes, quas genuinas omnes putat. Nobis solum triginta et quatuor ex illis supersunt, omnes generis judicialis.

2. *Et cui nihil admodum.* Schutzius cum Guelf. 2 : « et in quo nihil admodum ».

3. *Demosthenem.* Demosthenes discipulus fuit Isocratis, Platonis et Isæi. Natus est circa annum 384 ante Christum, paucis annis ante Lysiam defunctum : obiit anno ante Christum 322, Romæ conditæ 432, eodem quo Aristoteles obiit.

4. *Aliique plures.* Non hic alienum erit aliquid exponere de illis decem oratoribus Atticis, quos grammatici Alexandriæ iis auctoribus enumeraverant, ex quibus constabat canon auctorum classicorum. *Antiphon*, ortus Rhamnunte, Atticæ oppido, primus pretio vendidit orationes illis qui coram populo aut judicibus loquerentur. Præceptor fuit Thucydidis : hujus quindecim supersunt orationes. — *Andocides*, qui videtur suum ingenium in suis privatis rebus solum exercuisse, cujus quatuor supersunt orationes. — *Lysias*, *Isocrates*, de quibus vide supra. — *Isæus*, Lysiæ Isocratisque discipulus, unusque ex præceptoribus Demosthenis; cujus undecim orationes quæ restant, omnes ad jus successionis pertinent. — *Æschines*, Atheniensis, Demosthenis æmulus, cujus tres orationes supersunt, quas inter eminet ea quam contra Ctesiphonta habuit. — *Lycurgus*, Atheniensis, Pla-

fudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc ætatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Phalereus enim successit eis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palæstra [5]; itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat [6]: processerat enim in solem, et pulverem, non ut e militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit; et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis; sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret [7]: tantum [8] ut memoriam concinnitatis suæ, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos

tonis Isocratisque discipulus: obiit anno 325 ante Christum, Romæ conditæ 429: una hujus superest oratio in Leocratem. — *Demosthenes*, oratorum princeps, natus Peanii in Attica. — *Hyperides*, Atheniensis, Demosthenis amicus. In Stobæo, Serm. 123, exstat fragmentum orationis qua funus civium in bello contra Antipatrum occisorum celebravit. Jussu Antipatri interemptus est: sed sibi antea linguam evulserat, ne interroganti tyranno respondere posset. — *Dinarchus*, Corinthius, qui vixit Athenis, magnaque oratoris laude, post exstinctos Demosthenem et Hyperidem, fruitus est. Hujus tres supersunt orationes.

5. *Quam palæstra*. Lambinus, *palæstræ*.

6. *Quam inflammabat*. Demetrius Phalereus, a Cassandro Athenis regendis præfectus, adeo sibi Atheniensium amorem conciliavit, ut 360 statuæ ei a civibus suis positæ fuerint. Pulsus Athenis ab Antipatro et a Demetrio Poliorcete, in Ægyptum secessit; et fertur primus Ptolemæorum principi suasisse ut bibliothecam Alexandriæ colligeret. Obiit anno ante Christum 284, Romæ conditæ 470. Theophrastus, de quo infra mentio est, discipulus Platonis atque Aristotelis, quatuor ante annos obierat.

7. *Perfringeret*. Quid est « suavitate perfringere animos? » Perfringuntur animi quum quasi coguntur ad voluntatem dicentis: quod non esse videtur a suavitate orationis. Nisi vero intelligitur suavitas e sublimi genere orationis, quæ etiam vincit, et quasi cogit. Sic videtur: certe nil melius scio. Ern. — Schützius cum Guelf. 1 dat *perstringeret*, quam lectionem Schneiderus commendat.

8. *Tantum*. Delevi et ante *tantum*, quod e finali præcedentis verbi natum est. Sic enim solet Cicero, et sic voluit Gulielmius. Ern.

etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.

X. Videsne igitur, in ea[1] ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? siquidem ante Solonis ætatem, et Pisistrati, de nullo, ut diserto, memoriæ proditum est. At hi quidem, ut populi romani ætas est, senes; ut Atheniensium secula numerantur, adolescentes debent videri. Nam etsi Servio Tullio regnante viguerunt, tamen multo diutius Athenæ jam erant, quam est Roma ad hodiernum diem. Nec tamen dubito, quin habuerit vim magnam semper oratio. Neque enim jam Troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulyssi tribuisset Homerus, et Nestori (quorum alterum vim habere voluit, alterum suavitatem), nisi jam tum esset honos eloquentiæ; neque ipse poeta hic tam idem ornatus in dicendo, ac plane orator fuisset : cujus etsi incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum; siquidem non infra superiorem Lycurgum fuit, a quo est disciplina Lacedæmoniorum adstricta legibus. (XI.) Sed studium ejus generis, majorque vis agnoscitur in Pisistrato. Denique hunc proximo seculo Themistocles insequutus est, ut apud nos, perantiquus; ut apud Athenienses, non ita sane vetus. Fuit enim regnante jam Græcia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata; nam bellum Volscorum illud gravissimum, cui Coriolanus exsul interfuit, eodem fere tempore, quo Persarum bellum, fuit, similisque fortuna clarorum virorum : siquidem uterque, quum civis egregius fuisset, populi ingrati pulsus injuria, se ad hostes contulit, conatumque iracundiæ suæ morte

X. 1. *In ea ipsa.* Delevi *ut*, quod e finali præcedentis *igitur* ortum est. Frigidum enim foret, conjungere *ut* et *quam*, in tanta vicinia. ERN. — Sch. dat « vel in ea ipsa » auctore Heusingero.

sedavit[2]. Nam etsi aliter est apud te, Attice, de Coriolano, concede tamen, ut huic generi mortis potius assentiar.

XI. — At ille ridens, Tuo vero, inquit, arbitratu; quoniam quidem concessum est rhetoribus ementiri in historiis[1], ut aliquid dicere possint argutius. Ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam, quem Thucydides, qui et Atheniensis erat, et summo loco natus, summusque vir, et paullo ætate posterior, tantum mortuum scripsit, et in Attica clam humatum; addidit, fuisse suspicionem veneno sibi conscivisse mortem : hunc isti aiunt, quum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto, mortuum concidisse. Hanc enim mortem rhetorice et tragice ornare potuerunt; illa mors vulgaris nullam præbebat materiem ad ornatum. Quare, quoniam tibi ita quadrat[2], omnia fuisse in Themistocle paria[3] et Coriolano[4], pateram quoque a me sumas licet; præbebo etiam hostiam, ut Coriolanus sit plane alter Themistocles. — Sit sane, inquam, ut lubet, de isto; et ego cautius posthac historiam attingam, te audiente; quem rerum romanarum auctorem laudare possum religiosissimum.

Sed tum fere Pericles, Xanthippi filius, de quo ante dixi, primus adhibuit doctrinam : quæ quamquam

2. *Morte sedavit*, sc. ultro arcessita. Notum est de morte Coriolani disputari, esseque qui narrent eum confectum senio apud Volscos defunctum esse.

XI. 1. *Ementiri in hist.* « Mentiri et in historiis » Camerar.

2. *Quoniam t. ita quadrat.* Illud *ita*, a Rivio additum, etiam deprehendi in membranis Palatinis, necnon Cujaciano. GRUT. — Sch. cum ed. Omnib. « quoniam ita tibi quadrat ».

3. *Omnia fuisse in Them. paria.* Cujacianus, « omnia fuisse Themistocli paria », quod forte admitti posset; nam et in Palat. visitur *in* solum inter lineas. GRUT.

4. *Et Coriolano.* Sch. cum Lamb. dat « et in Coriolano, pateram fuisse in Themistocle ».

tum nulla erat dicendi, tamen, ab Anaxagora physico eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque facile traduxerat. Hujus suavitate maxime hilaratæ sunt Athenæ[5]; hujus ubertatem et copiam admiratæ, ejusdem vim dicendi terroremque timuerunt.

XII. (XII.) Hæc igitur ætas prima Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nec enim in constituentibus rempublicam, nec in bella gerentibus, nec in impeditis ac regum dominatione devinctis, nasci cupiditas dicendi solet. Pacis est comes, otiique socia, et jam bene constitutæ civitatis quasi alumna quædam, eloquentia. Itaque ait Aristoteles[1], quum, sublatis in Sicilia tyrannis, res privatæ longo intervallo judiciis repeterentur[2], tum primum, quod esset acuta illa gens, et controversa[3] natura, artem et præcepta Siculos, Coracem et Tisiam[4] conscripsisse. Nam antea

5. *Hilaratæ sunt Athenæ.* « Hilaratæ Athenæ sunt » Gu. 1, 2. Sch.

XII. 1. *Itaque ait Aristoteles.* Sc. in libro, qui periit : in quo omnes superiorum artes expositæ erant, auctore Cicerone in lib. II de Or. et de Invent. Corradus autem affert lectionem, nescio unde, *aliam*, ita, ut et ad præcedentem sententiam pertineat, sitque totus locus versus ex Aristotelis libro : nec ei displicere videtur. Sed non est ista forma Ciceroniana, et infra insertum est narrationi, quod non est Aristotelis, sed Thucydidis. Ern.

2. *Longo int. jud. repeterentur.* J. G. Schneider. Epist. ad Langar. p. 14, conjicit : « controversiis et judiciis »; et post, « quod esset acuta illa gens natura », quem Schützius secutus est.

3. *Controversa natura, artem et præcepta Siculos*, etc. Editiones pr. habent *controversia*. Sed id h. l. sensum nullum efficit. Si vulgata sana est, significat, gentem Siculam natura proclivem ad controversias et lites fuisse : quod consentit iis, quæ de Siculorum ingenio veteres tradidere. Ern. — Jacobsius emendandum censuit « et controversiis nata ».

4. *Siculos, Coracem et Tisiam conscripsisse.* Quum libertas Syracusis restituta sit anno Romæ 288, ante Christum 466, errat prorsus Schœll, qui Coracem floruisse dicit 500 annos ante Christum. Corax Empedoclis discipulus fuit, Tisiæ præceptor. Operibus Aristotelis vulgo jungitur quoddam opus inscriptum insulse Rhetorica ad Alexandrum, quod critici quidam quos inter *Garnier (Mémoires de l'Académ. des Inscr.)* Coraci tribuunt.

neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, et de scripto plerosque dicere; scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quæ nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, quum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset; quod judicaret hoc oratoris esse maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Huic Antiphontem Rhamnusium similia quædam habuisse conscripta[5]; quo neminem umquam melius ullam oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. Nam Lysiam primo profiteri solitum artem esse[6] dicendi; deinde, quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem jejunior, orationes eum scribere aliis cœpisse, artem removisse. Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse[7], scribere autem aliis solitum orationes, quibus[8] in judiciis uterentur: sed, quum ex eo (quia quasi[9] committeret contra le-

5. *Quædam hab. conscripta.* Hoc non tradit Thucydides eo, qui hic innuitur loco, VIII, 68. Itaque hoc ad Aristotelis narrationem pertinet, cetera modo, « quo neminem, etc. » sunt e Thucydide. Itaque colon scripsi post *conscripta*. Ern.

6. *Profiteri sol. artem esse dicendi.* Int. « solitum fuisse profiteri artem quamdam esse dicendi », non, ut alii, « Lysiam rhetoricam professum esse ». Nam iis opponitur « similiter Isocratem primo artem dicendi esse negavisse ».

7. *Isocratem... artem... negavisse.* Plut. in Isocr. p. 838, ait, alios tradere, eum non μεθόδῳ sed ἀσκήσει usum esse, alios autem, eum τέχνας συγγεγραφέναι. Ern.

8. *Orationes, quibus... uterentur.* Hoc negat et pernegat Isocrates in Orat. περὶ ἀντιδόσεως et in Panath. p. 551. Sed sunt tamen in editis quædam judiciales causarum privatarum. Ern.

9. *Quia quasi committ.* Corradus *quasi* interpretatur, quia Cicero ad legem romanam respexerit, in qua hoc cavetur, vel quia, proprie et ἀκριβῶς loquendo, contra legem illam non commiserit: quod melius. Isocrates περὶ ἀντιδ. p. 750, dicit παρὰ τὸ δίκαιον ἐν τοῖς ἀγῶσι πλεονεκτεῖν, quamquam sine legis mentione. Si Cicero ad legem rom. allusit, *quia* delendum est, quod mihi valde placet: nam Cicero sic in talibus allusionibus solet; eo servato signa parentheseos tollen-

gem, quo quis judicio circumveniretur) sæpe ipse in judicium vocaretur[10], orationes aliis destitisse scribere, totumque se ad artes componendas[11] transtulisse.

XIII. (XIII.) Et Græciæ quidem oratorum partus atque fontes vides[1], ad nostrorum annalium rationem, veteres; ad ipsorum, sane recentes. Nam antequam delectata est Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa jam memorabilia et in domesticis et in bellicis rebus effecerat. Hoc autem studium non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero, usque ad hoc tempus, audivi fuisse neminem. Menelaum ipsum, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Brevitas autem laus est interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habet.

At vero extra Græciam magna dicendi studia fuerunt, maximique huic laudi habiti honores illustre oratorum nomen reddiderunt. Nam ut semel e Piræeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret

da sunt. Sensus est : quasi quid fecisset, per quod aliquis in judicio circumveniretur. ERN.

10. *Sæpe ipse in jud. vocaretur.* Hujus rei nullum vestigium est apud Isocratem, qui id taciturus non videtur. Credo Ciceronem scripsisse « in invidiam » : nam hoc factum sæpe quæritur in orationibus commemoratis ante : et Plutarchus in Isocrate diserte tradit, eum *bis tantum* in judicium fuisse vocatum, sed permutationis nomine, non ob injuriam factam contra leges. ERN.

11. *Ad artes componendas. Componendas* in duobus MSS non invenit Lamb. in alio Corradus. Sed genuinum et e græco expressum puto. Nam Plutarchus loco citato diserte tradit, auctores quosdam dicere, cum τέχνας συγγεγραφέναι : de τέχναις istis vid. theatr. Rhet. p. 46. ERN.

XIII. 1. *Partus atque fontes vides.* Non bene conveniunt *partus* et *fontes* : multo melius mox *veteres* et *recentes*. Cicero scripsit sine dubio *fœtus* non *fontes*. ERN. — Schützius emendat « partus artisque fontes ».

moribus, omnemque illam salubritatem[2] Atticæ dictionis, quasi sanitatem perderet, ac loqui pæne[3] dedisceret. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. Rhodii saniores, et Atticorum similiores. Sed de Græcis hactenus; etenim hæc ipsa forsitan fuerint[4] non necessaria. — (XIV.) Tum Brutus, Ista vero, inquit, quam necessaria fuerint, non facile dixerim; jucunda certe mihi fuerunt, neque solum non longa, sed etiam breviora, quam vellem. — Optime, inquam; sed veniamus ad nostros, de quibus difficile est plus intelligere, quam quantum ex monumentis suspicari licet.

XIV. Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto[1] illi, nobilitatis vestræ principi, defuisse? qui de matre suavianda[2] ex oraculo Apollinis tam acute arguteque conjecerit; qui summam prudentiam simu-

2. *Illam salubritatem.* Hoc verbum delevit Lambinus, quia non discrepat ab *sanitatem*. An Cicero scripsit *subtilitatem*, quæ est illa ipsa salubritas et sanitas, quam Atticis sæpe tribuit? Sic dicit, infra cap. 17 : « eaque subtilitate, quam Atticam vocant ». Et sæpe jungit Cicero proprio verbo tropicum. Quo sumptu, interpunctio esse debet talis, « o. i. subt. Atticæ dictionis, quasi s. » Sed Lambini ratio etiam bona est, et Ciceronis consuetudini consentiens. Interim ex ed. Ven. addidi *et* ante *quasi san.* Ern. — Ex quo Sch. dedit *subtilitatem.*

3. *Ac loqui pæne.* Schützius corrigit « ac linguam pæna ».

4. *Fuerint non necessaria.* Schütz. dat « fuerunt non nec. » Ed. Omnib. « fuerint necessaria ».

XIV. 1. *L. Bruto.* L. Junio Bruto, qui Marci filius fuit. Marcus vero Junius quum, ut auctor est Dionysius, duceret originem ab uno eorum, qui cum Ænea coloniam deduxerant in Italiam, et dives esset, dignus est judicatus, cui Tarquinius Priscus Tarquiniam filiam uxorem daret, ex qua duos filios sustulit, M. Junium, ut nos putamus, et hunc L. Junium, qui postea *Brutus* est appellatus : quod quum patrem primum, deinde Marcum fratrem, quod divites et prudentes essent, a Tarquinio Superbo et quidem avunculo suo interfectos intellexisset, ne et ipse interficeretur, se stultum esse simulavit. Corrad.

2. *De matre suavianda.* Quum vox, inquit Livius, ex infimo specu sic reddita fuisset : « imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus, o juvenes, osculum matri tulerit » : quumque Tarquinii de osculo matri suæ ferendo cogitarent, L. Brutus,

latione stultitiæ texerit[3]; qui potentissimum regem, clarissimi regis filium, expulerit, civitatemque, perpetuo dominatu liberatam, magistratibus annuis, legibus judiciisque devinxerit; qui collegæ suo imperium abrogaverit, ut e civitate regalis nominis memoriam tolleret: quod certe effici non potuisset, nisi esset oratione persuasum. Videmus item paucis annis post reges exactos, quum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque montem, qui Sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium[4] dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos habitos, et eum primum ob eam ipsam causam Maximum esse appellatum. Ne L. Valerium quidem Potitum[5] arbitror non aliquid potuisse dicendo, qui post decemviralem invidiam, plebem in patres incitatam legibus et concionibus suis mitigaverit.

Possumus Appium Claudium[6] suspicari disertum, quia senatum, jamjam inclinatum, a Pyrrhi pace revocaverit; possumus C. Fabricium[7], quia sit ad Pyr-

alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset.

3. *Stultitiæ texerit*. Schützius ibi addit «aut eloquentiam», quod nonnulli ponunt supra post «aut celeritatem ingenii».

4. *M. Valerium*. M. Valerium Volesi filium, et P. Valerii Publicolæ fratrem, ut Livius et Dionysius sunt auctores. Corr.

5. *L. Valerium Potitum*. P. Valerii, qui consul iterum Ap. Herdonium Capitolium tenentem obsedit, et interfectus fuit, filium: et P. Valerii Publicolæ, qui reges ejecit, nepotem, ut docet Dionysius, lib. XI, ubi scribit ille quidem hunc cognomine *Potitum* dictum fuisse; sed causam, nec ipse, nec alius, quem nos viderimus, refert. Corr.

6. *Appium Claudium*. Appium Claudium Crassum, cui *Cæco* cognomen fuit. Corr. — Vide Plutarch. in vita Pyrrhi, et Livium, XIII, 31 et 32.

7. *C. Fabricium*. Hic est C. Fabricius Luscinus, qui cum Q. Æmilio bis consul, et censor fuit: cui paupertas, quam negant alii se ferre posse, ut ait Cicero, tolerabilis fuit: et quidem ita, ut quum Samnites, quos universos in clientelam habebat, ad eum decem æris, et quinque pondo argenti, totidemque servos misissent, ipse in Samnium, ut scribit Valerius, IV, 3,

rhum de captivis recuperandis missus orator; Tib. Coruncanium[8], quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuisse videatur; M'. Curium[9], quod is tribunus plebis, interrege Appio Cæco, diserto homine, comitia contra leges habente, quum de plebe consulem[10] non accipiebat, patres ante auctores fieri coegerit; quod fuit permagnum[11], nondum lege Mæ-

remiserit, illud, quod refert Gellius, præfatus : sibi dum membris, quæ cupiditate moventur, obsistere atque imperare posset, numquam quidquam defuturum. Hinc missus ad Pyrrhum regem, ut de redimendis captivis ageret, frustra, ut patriam desereret, ab eo tentatus est. Ejus enim amicitiam et aurum, atque adeo quartam regni partem, ut scribit Eutropius, sprevit. Vide et Cic. Offic. III, quomodo medicum pollicentem se Pyrrhum veneno necaturum, in regia castra reducendum curaverit. Corr.

8. *T. Coruncanium*. Hic anno U. C. 473 consul cum P. Valerio Lævino fuit : et primus ex plebe pontifex magnus creatus est, ut lib. XVIII refert Livius, qui tamen libro X scripserat, legem latam fuisse multo ante ut quatuor pontifices de plebe adlegerentur : sed illi pontifices erant minores, hic pontifex maximus appellabatur. Hinc sunt illa Cic. verba in orat. pro Domo, 54 : « Quæ si omnia ex Coruncanii scientia, qui peritissimus pontifex fuisse dicitur, acta esse constaret ». Hunc sapientem Veteres judicabant, ut in Lælio Cicero testatur : ubi illum cum Fabricio, et Curio etiam conjungit. Corr.

9. *M'. Curium*. Hic est Manius Curius, *Dentatus* appellatus, quod, ut ait Plinius, cum dentibus sit natus, vir ab omnibus scriptoribus magnopere commendatus : qui consul cum P. Cornelio Rufino, Samnitibus cæsis, et Sabinis, qui rebellarant, victis, atque, ut Livius libro XI refert, in deditionem acceptis, his in eodem magistratu triumphavit : ac consul iterum factus cum L. Cornelio Lentulo, quum delectum, ut Livius et Valerius scribunt, haberet, ejus qui citatus non responderat, bona vendidit : Pyrrhum iterum ex Sicilia in Italiam reversum vicit, et Italia expulit, atque de illo triumphavit. Primus etiam, ut auctor est Eutropius, Romam quatuor elephantes duxit, Lucas boves tunc appellatos, quod in Lucanis tum primum visi fuissent. Extremum vero tempus ætatis in vita rustica consumpsit, ita quidem, ut agrum, quod ait Plutarchus in Catone, foderet : cui ad focum sedenti magnum auri pondus quum Samnites attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare. Corr.

10. *Consulem*. Sic pro *consules* rescripsi e MS Reg. ed. Ald. Junt. nam unus consul de plebe creatus erat quem Appius non accipiebat. Ern.— Sic etiam Guelf. 1, 2. Sch. — Nempe nemo a consulatu excludi poterat, ob id solum quod plebeius foret. Curius coegit senatum ratam habere electionem ante quam facta fuisset.

11. *Quod fuit permagnum*. Sic MS Reg. non *fuerit*, quod dudum sic correxeram : non enim de re incerta

nia[12] lata. Licet aliquid etiam de M. Popillii[13] ingenio suspicari, qui, quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebei contra patres concitatione et seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque quum auctoritate, tum oratione sedavit. Sed eos oratores habitos esse, aut omnino tum ullum eloquentiæ præmium fuisse, nihil sane mihi legisse videor; tantummodo conjectura ducor ad suspicandum. Dicitur etiam C. Flaminius[14], is, qui tribunus plebis legem, de agro Gallico et Piceno viritim dividendo, tulerit, qui consul apud Trasimenum sit interfectus[15], ad populum valuisse dicendo. Q. etiam Maximus[16] Verrucosus orator habi-

sermo est, nec dubitanter Cicero pronuntiat. Librarius facit *fuerit*, quia præcedit *coegerit*. Ern.

12. *Lege Mænia lata*. Ea lege lata anno U. C. 467, cautum erat, ut senatus eos magistratus quos populus elegerat probatos haberet, quum antea suffragia populi vim nullam haberent nisi senatus voluntate confirmata. Vid. Liv. I, 17, et Cic. pro Plancio, 3.

13. *Popillii*. Qui quater consul fuit, et in primo quidem et secundo consulatu Tiburtes vicit; in tertio vero cum Gallis bellum gessit, in quo etiam vulnus accepit, sed eos tandem quum vicisset, triumphavit; in quarto, quum foris pax et domi concordia esset, nihil, quod magni fuerit momenti, gessit. Popillii autem erant plebeii, ut Livius ostendit, vel de hoc M. Popillio ista verba scribens: « M. Popillius Lænas a plebe consul, a patribus L. Cornelius Scipio datus ». Et Paterculus P. Lænatem tribunum plebis vocat. Corr.

14. *C. Flaminius*. C. Quintius Flaminius. Fuit enim e Quintiis, quos scribit Livius a Tullo rege in patres lectus, quum inter Albanorum principes essent, unde postea semper ea gens patricia fuit; in qua, quod refert Plinius, aurum ne feminas quidem habere mos fuit, tantum aberat, ut viri haberent. Quintia gens, inquam, fuit patricia: sed quum Flaminius hic dicatur tribunus plebis, apparet vel eam duplicem patriciam et plebeiam, vel eum ex alia gente potius fuisse. Corr.

15. *Tulerit, qui consul apud Trasimenum sit interfectus*. Schützius dat « tulit, qui consul apud Trasimenum est interfectus ».

16. *Q. etiam Maximus*. Q. Fabius Maximus Verrucosus, Ovicula, Cunctator. Fabios patricios fuisse quum veterum monumenta pæne omnia, tum Livius, libro II, sæpe testatur. *Verrucosus* autem dictus est a verruca in labris, ut ait auctor libelli de viris illustribus. A Plutarcho vero scribitur Βεῤῥούκωσος, quod in supe-

tus est temporibus illis, et Q. Metellus[17] is, qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone consul fuit.

XV. (xv.) Quem vero exstet, et de quo sit memoriæ proditum, eloquentem fuisse, et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus[1], cujus eloquentiæ est auctor, et idoneus quidem, mea sententia, Q. Ennius; præsertim quum et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo; ex quo nulla suspicio est, amicitiæ causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono, ut opinor, Annali:

> Additur orator Corneliu' suaviloquenti
> Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
> Marci filius.....

Et oratorem appellat, et suaviloquentiam tribuit; quæ nunc quidem non tam[2] est in plerisque; latrant enim

riore labro carunculam haberet. *Ovicula* dictus est a clementia, ut inquit idem auctor de Viris illustr. et Plutarchus. *Cunctator* autem, quod, ut inquit Ennius, « unus homo nobis cunctando restituit rem ». Corr.

17. *Q. Metellus.* Q. Cæcilius Metellus; Cæculus enim Præneste condidit, unde putant Cæcilios ortos, quorum erat nobilis apud Romanos familia. Alii aliter sentiunt. Hic autem Q. Cæcilius Metellus ædilis cum C. Servilio legatus cum L. Veturio M. Livii et C. Claudii consulum, magister equitum ejusdem M. Livii dictatoris : consul cum eodem L. Veturio, dictator comitiorum causa, ac tandem decemvir apud Livium cognoscitur. Plura invenire non potuimus, quamvis etiam diligenter quæsiverimus. Itaque ne scire quidem putuimus, quare orator sit habitus. Corr.

XV. 1. *Cethegus.* Is est M. Cornelius Cethegus, qui censor ante consulatum fuit, deinde consul Etruriam provinciam sortitus est : postremo proconsul in Gallia cum Magone collatis signis feliciter pugnavit : quæ quidem omnia tu apud Liv. XXVII, XXIX *et* XXX invenies. Horatius poeta Cethegos *cinctutos* appellat, quod is mos esset Cethegis, ut cincti et pæne nudi in bellum proficiscerentur : unde Lucanus et Silius eos nudos et exsertos vocarunt. Corr. — Cethegus consul fuit anno 549, eodem anno quo Cato poetam Ennium Romam adduxit. Jam novem et triginta anni elapsi erant ex quo Livius Andronicus fabulam dederat ex arte factam quæ prima in theatro acta est. Vid. Cic. Tusc. I, 1.

2. *Non tam est.* Forte legendum *non jam.* Heusingerus conjicit *nulla*

jam quidam oratores, non loquuntur. Sed est ea laus eloquentiæ certe maxima :

> .....Is dictus [ollis] popularibus olim,
> Qui tum vivebant homines, atque ævum agitabant,
> Flos delibatus populi.

Probe vero. Ut enim hominis decus, ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem præclare tum illi homines florem populi esse dixerunt.

> ....Suadæque medulla [3].

Πειθὼ quam vocant Græci, cujus effector est orator, hanc Suadam appellavit Ennius; ejus autem Cethegum medullam fuisse vult[4], ut, quam deam in Pericli labris[5] scripsit Eupolis sessitavisse, hujus hic medullam nostrum oratorem fuisse dixerit. At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo; quæstorque his consulibus M. Cato, modo plane annis CXL ante me consulem; et id ipsum nisi unius esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas, ut alios fortasse multos, oblivione obruisset. Illius autem ætatis qui sermo fuerit, ex Nævianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus, ut in veteribus commentariis scriptum est, Nævius[6] est mortuus; quamquam Varro

est, quod Schützius edidit. J. V. L.

3. *Suadæque medulla*. Sic Ennius scripsit, non « et suada medulla », ut nunc legitur ap. Gell. Noct. Att. XII, 2. Sch. — Seneca in Epistulis, de his Ennii versibus ait, se non mirari tales versus ab aliquo componi potuisse, quoniam iuventus est a qua laudarentur. In quo Senecam vivide reprehendit Gellius, XII, 2, quasi ineptum et insubidum: sed idem contentus judicio suo nullum argumentum affert quo versus illos bonos esse comprobet.

4. *Ejus autem... vult*. Hæc verba Schützius, ut e glossa nata, expungit

5. *In Pericli labris*. Sic Cujac. sic Pall. sic quos excussit Rivius, non *Periclis*, ut vulgata. Garr.

6. *Nævius*. Nævius e Campania oriundus erat, græcisque literis educatus. Primas fabulas dedit anno U. C. 519. Veteris græcæ comœdiæ licentiam imitatus, civitatis principes in

noster, diligentissimus investigator antiquitatis, putat in hoc erratum, vitamque Nævii producit longius. Nam Plautus, P. Claudio[7], L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, consules mortuus est, Catone censore.

(XVI.) Hunc igitur Cethegum consequutus est ætate Cato[8], qui annis IX post eum fuit consul. Eum nos ut perveterem habemus, qui L. Marcio, M'. Manilio consulibus mortuus est, annis LXXXIII[9] ipsis ante me consulem.

XVI. Nec vero habeo quemquam antiquiorem, cujus quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appii Cæci oratio hæc ipsa de Pyrrho, et nonnullæ mortuorum laudationes forte delectant. Et hercules hæ quidem exstant[1]; ipsæ enim familiæ sua quasi ornamenta ac monumenta servabant, et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam[2] nobilitatem suam : quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta

scenam deduxit : sed in carcerem conjectus est, in exsiliumque pulsus. Pauca hujus supersunt. Eum Eusebius dicit anno U. C. 549, Uticæ exsulem, obiisse.

7. *P. Claudio... consules.* Lambin. dedit : « Plautus P. Claudio, L. Porcio coss. quatuor annis post Nævii mortem, viginti post illos, quos ante dixi, consules ».

8. *Cato.* M. Porcius Cato, de quo Plinius, lib. VII, cap. 27 : « Primus, inquit, Porciæ gentis, tres summas inter homines res præstitisse existimatus, ut esset optimus orator, optimus imperator, optimus senator ». Quartam addit Valerius Maxim. 7 : « ut esset juris civilis quoque peritissimus ». Vide Livium, lib. XXXIX, cap. 40, ubi multa de illius indole atque inter cetera « huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret ».

9. *LXXXIII.* Wetzel edidit valde probabiliter *LXXXVI.* Nam L. Marcii, M'. Manilii consulatus incidit in ann. 604, a quo sunt 86 usque ad annum 690; Ciceronis consularem. J. V. L.

XVI. 1. *Hæ quidem exstant.* Vetustissimus fuit Romæ mos funebrium orationum, quoniam scribitur Brutum priorem a collega suo Valerio Publicola laudatum fuisse.

2. *Illustrandam.* Victor. *illustrandum.* Ean.

sunt in eis, quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones [3], quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus; ut, si ego me a M'. Tullio [4] esse dicerem, qui patricius cum Servio Sulpicio consul [5] anno x post exactos reges fuit. Catonis autem orationes non minus multæ fere [6] sunt, quam Attici Lysiæ; cujus arbitror plurimas esse. Est enim Atticus, quoniam certe Athenis est et natus, et mortuus, et functus omni civium munere: quamquam Timæus eum, quasi Licinia et Mucia lege [7], repetit Syracusas. Et quodam modo est nonnulla [8] in iis etiam inter ipsos similitudo: acuti sunt, elegantes, faceti, breves; sed ille Græcus ab omni laude felicior. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur; quos, valitudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectet [9]: quamquam in Lysia sæpe sunt etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius; verum est certe genere toto strigosior, sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa ejus subtilitate admodum gaudeant.

3. *Et a plebe transitiones.* Sic scripsi pro *ad plebem*, quod totus contextus et res et exemplum requirit. Humiliores de plebe, similitudine nominis abusi, se pro patriciis gerebant. Ern.

4. *M'. Tullio.* Schützius sequitur emendationem Heusingeri *M'. Tullo.*

5. *Consul.* Schützius dat *consule* cum Guelf. 1, 2. Victor.

6. *Fere.* Vulgo *veræ*, ut Ern. Sed Victor. et cod. Guelf. 2 habent *fere.*

7. *Licinia et Mucia lege.* Lata est anno 658 a coss. Licinio Crasso et Mucio Scævola. Ea cavebatur, ut perquisitio fieret eorum qui nomen romani civis immerito sibi vindicarent. Fuit inter præcipuas belli socialis causas, quod quinque annis post exortum est. Cf. Cic. Off. III, 11; pro Balbo, 21; fragm. orat. pro Cornelio. Lysias filius erat Cephali Syracusani qui res suas Athenas transtulerat.

8. *Quodam modo... nonnulla.* Non placet *quodammodo;* redundat enim frigide, ut arbitror. Divisim *quodam modo* est paullo melius, pro quodam in genere, nempe tenui et subtili. Ern.

9. *Delectet.* Sic edidi pro *delectat:* nam ante est *consectentur*, et post *audeant.* Ern. — Schützius reduxit *delectat*, quod est in Gu. 1, 2, deditque prius *consectantur.*

XVII. (XVII.) Catonem vero quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino? At quem virum, dii boni! mitto civem, aut senatorem, aut imperatorem; oratorem enim hoc loco quærimus : quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in sententiis argutior? in docendo edisserendoque subtilior? Refertæ sunt orationes amplius centum quinquaginta, quas quidem adhuc invenerim, et legerim, et verbis, et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quæ notatione et laude digna sint; omnes oratoriæ virtutes in eis reperientur. Jam vero Origines[1] ejus quem florem, aut quod lumen eloquentiæ non habent? Amatores huic desunt, sicuti multis jam ante sæculis et Philisto Syracusio, et ipsi Thucydidi. Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis quum brevitate, tum nimio acumine[2], officit[3] Theopompus elatione atque altitudine orationis suæ; quod idem Lysiæ Demosthenes[4] : sic Catonis luminibus obstruxit hæc posteriorum[5] quasi exaggerata altius oratio. Sed et in nostris inscitia[6] est, quod ii ipsi, qui in Græcis antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non[7] noverunt quidem : Hyperidæ volunt esse et Lysiæ : laudo; sed cur nolunt

XVII. 1. *Origines.* Sic inscribebatur opus, septem in libros divisum, in quo de historia reip. romanæ Cato inquisiverat : nonnisi hujus operis paucissima fragmenta supersunt.

2. *Quum brevitate, tum nimio acumine.* Hæc pro glossa habuit Budæus, probante Rivio; Lambinus in duobus suis non invenit, ideo Schützius expunxit, Ernestio non contradicente.

3. *Officit.* Schützius dat *offecit*, quia paullo post sequitur *obstruxit.*

4. *Quod idem Lysiæ Demosthenes.* Hæc verba, ut a Ciceronis consilio abhorrentia et interpolatori debita, Schützius delevit.

5. *Posteriorum.* Rivius in uno libro invenit *posterorum.* Palat. videtur exprimere voluisse *posterum.* GRUT.

6. *In nostris inscitia est.* Ita Cujacii codex; nam Palat. *inscita.* Lambinus *inscientia.* GRUT.

7. *Non nov. quidem.* An « ne nov. quidem »? ERN.

Catonis[8]? Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem. Atque utinam imitarentur, nec ossa solum[9], sed etiam sanguinem! Gratum est tamen, quod volunt. Cur igitur Lysias et Hyperides amatur, quum penitus ignoretur Cato? Antiquior est hujus sermo, et quædam horridiora verba : ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit, et adde numeros, ut aptior[10] sit oratio; ipsa verba compone, et quasi coagmenta, quod ne Græci quidem veteres factitaverunt : jam neminem antepones Catoni. Ornari orationem Græci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quæ vocant σχήματα : non verisimile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato.

XVIII. (XVIII.) Nec vero ignoro, nondum esse satis politum hunc oratorem, et quærendum esse aliquid perfectius; quippe quum ita sit ad nostrorum temporum rationem vetus, ut nullius scriptum exstet dignum quidem lectione, quod sit antiquius : sed majore honore in omnibus artibus, quam in hac una dicendi, versatur antiquitas. Quis enim eorum, qui hæc minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi; nondum Myronis satis ad veritatem adducta, jam tamen, quæ non dubites pulchra dicere; pulchriora etiam Polycleti, et jam plane perfecta, ut

8. *Catonis.* Lambinus, quem Sch. sequitur, *Catones.*

9. *Nec ossa solum, s. e. sanguinem.* Videtur verbum excidisse, nam *imitarentur* ossibus et sanguini non bene convenit. Ern.

10. *Ut aptior s. o.* Ernest. et Sch. « et aptior ». Neutrum Ernestio placet, qui malit deleri « aptior sit or. » Sic, inquit, respondet priori, ut alteri mox « jam neminem a. C. », non « et jam n. a. C. »

mihi quidem videri solent. Similis in pictura ratio est : in qua Zeuxim, et Polygnotum, et Timanthem, et eorum, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas et lineamenta laudamus ; at in Ætione[1], Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia. Et nescio an reliquis in rebus omnibus idem eveniat; nihil est enim simul et inventum, et perfectum ; nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum poetæ : quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum, et in Phæacum, et in procorum epulis canuntur. Quid? nostri veteres versus ubi sunt?

......Quos olim Fauni, vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat[2],
Nec dicti studiosus erat.....
Ante hunc.....

ait[3] ipse de se : nec mentitur in gloriando; sic enim sese res habet; nam et Odyssea latina est, sic, tamquam opus[4] aliquod Dædali[5], et Livianæ fabulæ, non

XVIII. 1. *At in Ætione.* Ita Pal. et Cuj. nisi quod omiserint diphthongum : male forsan Lambinus, qui expressit *Echione*, quod quidem conjecerat Rivius, sed ita ut non præponeret illi nostro. GRUTER. — Schützius Lambinum sequutus est.

2. *Quum neque... quisquam superarat.* Sunt versus Ennii, Or. 51; ultima « quisquam superarat » non habet ed. Med. Sed *quisquam* addit versu sequenti « quisquam erat », ut edd. Ald. Junt. male. ERN.

3. *Ait ipse de se.* Schützius addit « sit Ennius i. d. s. » quia, quum antea nominatus non sit, abesse non potest. — Vetustissimi apud romanos versus fuere versus Fescennini, quos ruricolæ in festis, quibus messis celebrabatur, canebant. Vid. Horat. ep. 2, 1, v. 139 sq.

4. *Odyssea latina est, sic, tamquam opus.* Schützius dat : « Odyssea latina est Livii, tamquam opus ». In Gu. 1, et ed. Ven. inquit, « Odyssea latina sic in tamquam », qua in scriptura certum est mihi nomen Livii latere.

5. *Dædali.* Dædalus erat statuarius Sicyonensis. Primus statuis pedes manusque separatos a corpore et liberos fecit, qui antea ut in figuris ægyptiis comprimebantur. Primus artem quamdam sequi conatus est, ut nil mirum sit opera ejus maxime imperfecta fuisse. Plato scribit deridendum fuisse statuarium qui sua ætate tales, quales Dædalus, statuas finxisset. Ne illum confundas cum Dædalo Atheniensi,

satis dignæ, quæ iterum legantur. Atque hic Livius, qui primus fabulam, C. Claudio, Cæci filio, et M. Tuditano consulibus, docuit, anno ipso, antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quartodecimo et quingentesimo, ut hic ait, quem nos sequimur. Est enim inter scriptores de numero annorum controversia. Attius autem, Q. Maximo quintum consule, captum Tarento[6] scripsit Livium, annis XXX post, quam eum fabulam docuisse et Atticus scribit, et nos in antiquis commentariis invenimus; docuisse autem fabulam annis post XI, C. Cornelio, Q. Minucio consulibus, ludis Juventatis[7], quos Salinator Senensi[8] prœlio voverat. In quo tantus error Attii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; cui[9] quum æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Nævius[10].

XIX. (XIX.) Hæc si minus apta videntur huic sermoni, Brute, Attico assigna, qui me inflammavit studio illustrium hominum ætates et tempora persequendi. — Ego vero, inquit Brutus, et delector ista quasi notatione temporum, et ad id, quod instituisti, oratorum genera distinguere ætatibus, istam diligen-

fabuloso, quem faciunt loventorem velorum, serræ, multorum aliorum et Creteosis labyrinti. Vid. *Voyage d'Anacharsis*, cap. 37, not. 25, et cap. 73, not. 10.

6. *Captum Tarento*. Edd. Med. Asc. *capto Tar.* nempe quia *captum Tarento* non rectum videbatur. Scribendum forte *Tarenti*. Sed vulgatum ferri posse videtur pro *captum e Tarento*. Vid. ad Verr. IV, 50. Ern.

7. *Ludis Juventatis*. Est a Victorianis, et respondet omnino Palat. nisi quod is unica litera *Juentatis*, unde natum aliorum *Luctatiis*. Gruteros.

8. *Senensi*. Pal. *Senesi*. Victorius conjicit *Senonensi* nescio an necessario. Gruter. — Senense prælium est quo Nero consul cum Livio collega Hasdrubalem anno U. C. 546 profligavit, prohibuitque ne Hannibali jungeretur. Vid. Liv. XXVII, cap. 43 et seqq. narrationem hujus celeberrimæ victoriæ.

9. *Cui quum*. Schützius malit cum Schneidero *cui si*, quod J. V. L. probat

10. *Et Plautus et Nævius*. Priorem particulam Sch. delet.

tiam esse accommodatam puto. — Recte, inquam, Brute, intelligis; atque utinam exstarent illa carmina, quæ multis seculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata a singulis convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato! Tamen illius, quem in vatibus et Faunis enumerat[1] Ennius, bellum Punicum[2], quasi Myronis[3] opus, delectat. Sit Ennius sane, ut est certe, perfectior; qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens, primum illud Punicum, acerrimum bellum, reliquisset. Sed ipse dicit, cur id faciat,..... « Scripsere, inquit, alii rem Versibus »; ..... et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus, quam tu, polite. Nec vero tibi aliter videri debet; qui a Nævio vel sumpsisti multa, si fateris; vel, si negas, surripuisti.

(XX.) Cum hoc Catone grandiores natu fuerunt C. Flaminius, C. Varro[4], Q. Maximus, Q. Metellus, P. Lentulus[5], P. Crassus[6], qui cum superiore Afri-

XIX. 1. *Enumerat*. Sch. *annumerat* cum Guelf. 1, 2.

2. *Bellum Punicum*. Nævius primum bellum Punicum versibus celebraverat, cujus operis quæ fragmenta supersunt minimi sunt momenti. Ennius uno poemate totam historiam romanam usque ad suam ætatem, excepta materia a Nævio tractata, versibus descripserat.

3. *Quasi Myronis opus*. Supra dixit Cicero Myronis opera jam pulchra fuisse, nondum tamen perfecta. Plin. XXXIV, 8, ab eo dicit corporum formas optime expressas esse, cum vero in fingendis vultibus omnino frigidum fuisse. Inter ejus opera celeberrimum est ænea juvenca, ad quam in medio campo positam referunt veras juvencas specie delusas secucurrisse. In Myronem reperias epigramma unum in Anthologia sic ab Ausonio latine versum « Pasce greges procul hinc; ne, quæso, bubulce, Myronis Æs veluti spirans cum bubus exagites ». Myro floruit anno U. C. 310, ante Christum 444.

4. *Varro*. C. Terentius Varro, qui, ut ait Livius, loco non humili solum, sed etiam sordido ortus est. Patrem lanium fuisse ferunt, ipsumque institorem mercis, filioque hoc ipso in servili ejus artis ministerio usum. Is juvenis, ubi ex eo genere quæstus pecunia a patre relicta animum ad spem liberalioris fortunæ adjecit, consul cum L. Æmilio Paullo factus, apud Cannas culpa sua vires pop. romani, ut ait Val. Max. exhausit. Corr.

5. *P. Lentulus*. P. Lentulus Cornelius Claudinus, qui cum C. Licinio Varrone anno ab U. C. 517, consul

cano consul fuit. Ipsum Scipionem[7] accepimus non infantem fuisse; filius quidem ejus[8], is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit, si corpore valuisset, in primis habitus esset disertus. Indicant quum[9] oratiunculæ, tum historia quædam Græca, scripta dulcissime[10].

XX. Numeroque eodem fuit Sext. Ælius[1], juris quidem civilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. De minoribus autem, C. Sulpicius[2] Gal-

fuit : nullus enim præter eum fuit bis temporibus, qui consul, major natu Catone, fuerit, et P. Lentulus sit dictus. Duos quidem P. Lentulos apud Livium, sed prætores agnoscimus. An vero Cicero hic inter tot consulares prætorium nominarit, dubitari ut potest, ita verisimile non videtur. Corr.

6. *P. Crassus*. P. Licinius Crassus, Dives, pontifex maximus : qui quum ante nec prætor nec consul fuisset, magister tamen equitum et consul est factus. Ex ædilitate enim gradum ad censuram fecit; sed quum L. Veturius collega decessisset, censura se abdicavit. Hunc Cicero in Catone pontificii et civilis juris fuisse peritissimum ostendit. Quin vero *Dives* hic etiam sit appellatus, qui veterum monumenta viderit, dubitare non poterit. Corr.

7. *Scipionem*. P. Cornelium Scipionem, qui Africanus primus est appellatus, cujus res gestas et totam denique vitam præter alios Livius et Plutarchus scripserunt, si modo Plutarchus umquam scripsit eam, quæ circumfertur. Corr.

8. *Filius quidem ejus*. Qui Cn. Scipio a Valer. Maximo vocatur, et inter eos etiam numeratur, qui a parentibus degenerarunt : atque in eo potissimum accusatur, quod in tanta domestica gloria ortus, a parvulo admodum regis Antiochi præsidio capi sustinuit. Et captum quidem Livius, Justinus, Plutarchus et alii consentiunt : de causa dissentiunt. Corr.

9. *Quum or*. Sch. dat *tum or.* cum Guelf. 1, 2.

10. *Dulcissime*. Guelf. 1, *dilucidissime.*

XX. 1. *Sext. Ælius*. Pætus, Catus, nam gentis cognomine Pætus a Livio, et suo Catus ab Ennio illo carmine fuit appellatus : « Egregie cordatus homo, Catus Æliu' Sextus », quod apud Ciceronem, Tusc. I, et lib. I de Oratore invenies. Hic consul cum Quintio Flaminio Galliam provinciam sortitus est, sed nihil memorabilis gessit, ut Livius loquitur. Censuram vero cum C. Cornelio Cethego præclare administravit, quod Livius, lib. XXXIV, refert. Ælii plebeii fuerunt; quod quum multa ostendunt, tum P. Ælius, qui fuit ædilis plebis, et Q. Ælius Tubero, qui fuit tribunus plebis. Scriptores eos laudant quod nobiles, et pauperes fuerint. Corr.

2. *C. Sulpicius Gallus*. Hunc et L. Æmilium Paullum patronos populi ulterioris Hispaniæ olim sumpserunt, ut Liv. lib. XLIII scribit, qui testatur, illum etiam non ita multo post

lus, qui maxime[3] omnium nobilium græcis literis studuit, isque et oratorum in numero est habitus, et fuit reliquis rebus ornatus, atque elegans. Jam enim erat unctior quædam splendidiorque consuetudo loquendi. Nam, hoc prætore ludos Apollini[4] faciente, quum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio, Cn. Servilio consulibus, mortem obiit Ennius. Erat iisdem temporibus Tib. Gracchus[5], P. F. qui bis consul et censor fuit, cujus est oratio græca apud Rhodios; quem civem quum gravem, tum etiam eloquentem constat fuisse. P. etiam Scipionem Nasicam[6], qui est

præturem factum fuisse. Multa de eo passim apud auctores reperiuntur. Hunc Sulpicium Gallum affirmo significari, Famil. lib. IV, ubi scribitur *vester Gallus*. Scribit enim ad Ser. Sulpicium, qui fuit ex eadem gente Sulpicia, quæ duplex videtur fuisse. Corr.

3. *Qui maxime*. Sine dubio delendum *qui* : nam alias in « de m. a. C. a. Gallus », intelligendum foret *fuit* e superioribus « cum hoc C. grandiores natu fuerunt », quod est durissimum, quum tam multa interposita sint, et sit novi generis initium. Ern. — Sch. tamen dicit posse subaudiri *fuit*.

4. *Ludos Apollini*. Hæc sunt verba ex carminibus Marcii vatis a Livio, lib. XXV, relata : « Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant : quum populus dederit ex publico partem : privati uti conferant pro se suisque. Iis ludis faciendis præerit prætor is, qui jus populo plebique dabit summum ». Q. igitur Fulvio Flacco et App. Claudio Pulchro coss. id est, anno U. C. 542, ludi Apollinares a P. Cornelio Sulla prætore urbis primum facti sunt : unde omnes deinceps prætores urbani fecerunt, sed in unum annum vovebant, dieque incerto faciebant. Consulibus vero M. Claudio Marcello et T. Quintio Crispino, id est, anno U. C. 546, P. Licinius Varus prætor Urbis legem ferre ad populum jussus est, ut hi ludi in perpetuum in statum diem voverentur. Itaque ipse primus vovit, fecitque ante diem ter. non. quint. Is dies deinde solemnis servatus est. Corr.

5. *Tib. Gracchus*. Hic est Tiberius Sempronius Gracchus, qui magnam laudem est adeptus, quod tribunus plebis solus ex toto illo collegio L. Scipioni fuit auxilio, inimicissimus et ipsius et fratris ejus Africani. Corr. — Fuit idem pater Gracchorum qui jura populi tuendo ceciderunt.

6. *Scipionem Nasicam*. P. Cornelius Scipio Nasica, bis consul, primum anno U. C. 592, deinde anno 599, quo tempore de Dalmatis triumphavit. Præterea censura functus est anno 595. Paust. — Fuit etiam hic pontifex maximus, quod hic omittit Cicero, sed in Catone testatur, et lib. III de Orat. Corr.—*Corculum* valet *sapiens*, si credamus Plinio, qui lib. VIII, 31 : « Præstitere ceteros mortales sapientia, ob id *Cati*, *Corculi*, apud Romanos cognominati ». Cic. Tusc. I, 9 :

Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem; M. alium[7], illius, qui sacra acceperit, filium; etiam L. Lentulum[8], qui cum C. Figulo consul fuit; Q. Nobiliorem, M. F. jam patrio instituto deditum studio literarum, qui etiam Q. Ennium, qui cum patre ejus in Ætolia militaverat, civitate donavit, quum triumvir coloniam deduxisset[9]; et T. Annium Luscum[10], hujus Q. Fulvii collegam, non indisertum dicunt fuisse. Atque etiam L. Paullus[11], Africani pater, personam principis civis facile dicendo tuebatur; et vero etiam[12] tum Catone

« aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur, et Nasica ille prudens, bis consul, Corculum, et Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus ».

7. *M. alium, illius qui sacra acceperit, filium; etiam*. Vulgo ante *etiam* addebatur *dicunt*, pro quo in quibusdam *aiunt*. Quod Gulielmius deleri voluit, ut insititium, quod fecit Ern. Schützius pro *M. alium, illius* dedit *Publii illius* ex emendatione Pighii, et postea « Idææ matris qui sacra accepit », quod latere putavit in vestigiis scripturæ cod. Gu. 1, in quo est « eloquentem indaautrit ». Publius enim Scipio sacra Idææ matris Pessinunte Romam delata solemni ritu accepit. Liv. XXIX, 4.—Ed. pr. 1469 pro *M. alium* habet *majoris*, quod libens admitterem. J. V. L.

8. *Lentulum*. L. Cornelium Lentulum Lupum, Cn. F. L. N. ut in veteribus coss. scriptum vidimus. Is mihi videtur esse, qui M. Catoni, ut Cicero Tusc. III refert, de bello Punico est adversatus: de quo quidem præterea nihil dicere possumus, nisi quod omnes sciunt, Lentulos a serendis lentibus appellatos fuisse. Corr. — Cf. Plin. VII, 31 et 34; Cic. Tusc. I, 9.

9. *Coloniam deduxisset*. Anno U. C. 569, Catone censore, duæ coloniæ conditæ fuerunt, Pollentia in Piceno, Pisaurum in Gallorum finibus. Quisque colonorum habuit sex jugera. Constituendæ coloniæ et partiendis agris triumviri præfuerunt Q. Fabius Labeo, M. Fulvius Flaccus, et Q. Fulvius Nobilior. Vid. Livius, XXXIX, cap. 44.

10. *T. Annium Luscum*. Ita Livius, lib. XLII, vocat, quum inter legatos qui in Macedoniam ad res repetendas missi sunt, numerat, et quidem annis duodeviginti ante consulatum. Anniorum gentem plebeiam fuisse cognoscimus ex eo potissimum, quod T. Annius Milo apud Ciceronem, et L. Annius apud Sallustium tribuni plebis leguntur. Corr.

11. *L. Paullus*. L. Æmilius Paullus, cujus res gestæ notiores sunt, quam ut sit necesse nunc quidquam de illis dicere, præsertim quum Livius, Plutarchus, Florus, et alii res illas diligentissime sint persequuti. Corr.

12. *Et vero etiam*. Vulgo *at vero et*, quod *at* plane hoc loco ineptum est, estque illa forma Ciceroni usitatissima, ut omnes sciunt qui ejus libros triverunt. Ern.

vivo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e vita, quum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam, ad populum, summa contentione dixisset; quam etiam orationem scriptam reliquit.

XXI. (xxi.) Sed vivo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. Nam et A. Albinus[1], is, qui græce scripsit historiam[2], qui consul cum L. Lucullo fuit, et literatus et disertus fuit; et tenuit cum hoc locum quemdam etiam Ser. Fulvius[3], et una Ser. Fabius Pictor[4], et juris, et literarum, et antiquitatis bene peritus. Quintusque Fabius Labeo[5] fuit

XXI. 1. *Albinus*. A. Postbumius Albinus, qui P. Scipione et M. Marcello coss. prætor fuit, ut legimus apud Ciceronem in Lucullo. Posthumii vero patricii fuerunt, quum a principio multi ex his consules fuerint. Corr.

2. *Græce scripsit historiam*. In cujus principio veniam petiit, si romanus homo minus eleganter græce scripsisset : quam quum legisset M. Cato, Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, qui maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. Hoc apud Gellium, lib. XI, c. 8, et Macrob. Saturn. lib. I leges. Corr.

3. *Ser. Fulvius*. Ser. Fulvius Flaccus. Is enim mihi videtur esse, qui cum Calpurnio Pisone anno 609 (puto 619) consul fuit, et de Vardæis triumphasse dicitur. Is etiam fortasse fuit, quem C. Curio defendit, qua de re tempore Ciceronis exstabat oratio, ut infra dicitur. Corr.

4. *Et una Ser. Fabius Pictor*. Pal. « et una Servis Fab. » Cajac. « et una serius », quod mutabat in *Sextus* Gulielmius. Grut. — *Fabius Pictor*. Qui fuerit, ne Corradus quidem Bruti explanator exponit. Quamobrem, et de hoc quod sentimus, aperiamus. Fuerunt igitur tres Pictores, qui literarum et quidem antiquitatis cognitione floruerint, Q. Fabius Pictor, N. Fabius Pictor, et Ser. Fabius Pictor. Q. Fabius omnium antiquissimus bello Gallico Cisalpino, ut ait Orosius, et post, Punico bello, ut inquit Livius, interfuit. Ex ejus Annalibus latinis Gellius, lib. V, cap. 4, testimonium profert. Idcirco autem *Latinis* addidi, ut eos redarguerem, qui hunc Q. Fabium græce scripsisse existimarunt. In quo alterius Fabii Pictoris prænomine *Numerii*, similitudine, ut credo, decepti sunt : cujus meminit Cicero in de Div. lib. I, cap. 2. Serv. autem Fabius Pictor, quem « juris et antiquitatis bene peritum » vocat Cicero, is est, cujus meminit Macrobius, lib. III : « Primo, inquit, pontificii juris libro apud Pictorem hoc verbum positum est, vitulari ». Et Nonius : « Fabius Pictor rerum gestarum libro primo. Idem juris pontifex libro tertio », quibus in verbis illud esse peccati puto, quod pontifex pro pontificii scriptum sit. Quare quum dixit Cicero, eum *antiquitatis* bene peritum esse, libros ejus rerum gestarum intellexit, quum *juris*, de jure pontificio. Sigon. in Fragm.

5. *Q. Fabius Labeo*. Dubitamus an

ornatus iisdem fere laudibus. Nam Q. Metellus[6], is, cujus quatuor filii consulares fuerunt, in primis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta[7] dixit, accusante Africano; cujus et aliæ sunt orationes, et contra Tib. Gracchum exposita est in C. Fannii Annalibus. Tum ipse L. Cotta veterator[8] habitus. Sed C. Lælius[9] et P. Africanus[10] in primis eloquentes; quorum exstant orationes, ex quibus existimari de ingeniis[11] oratorum potest. Sed inter hos, ætate paullum his antecedens, sine controversia[12] Ser. Galba[13] eloquentia præstitit;

ia sit, quem Cicero in lib. I de Off. et Valer. Maximus scribunt a senatu Nolania, et Neapolitanis arbitrum de finibus datum, ita terminasse, ut multum agri, quod in medio esset relictum, populo romano adjudicarit. Ceteras res ejus desideramus, nisi forte Cicero regreditur ad eum, qui consul cum M. Claudio Marcello, anno 571, fuit: quem Donatus etiam poetam vocat. Corr.

6. *Q. Metellus.* Qui Andriscum, Pseudo-Philippum vocatum vicit, Macedoniam domuit, Achæos prælio fudit, at de Andrisco sive Macedonia triumphavit, ut ostendit Cicero in orat. in Pisonem: atque hæc quidem omnia fecit, quum prætor esset, ut Livius, Paterculus, et auctor libelli de Viris illustribus scribunt. Corr.

7. *L. Cotta.* L. Aurelius Cotta, qui cum Ser. Sulpicio Galba consul fuit anno 610: qui quum in senatu contenderent uter adversus Viriatum in Hispaniam mitteretur, Scipio dicto, ut neuter in provinciam mitteretur, obtinuit, ut refert Valer. Maximus, VI, 4. Corr.

8. *Veterator.* Veteratores, inquit Sex. Pompeius, callidi, dicti a multa rerum gerendarum vetustate. Ob id hunc eum esse credimus, qui nihil habebat, ut Africanus ait apud Valer. Maxim. VI, 4. Quumque tribunus plebis esset, fiducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis satisfacere nolebat, nisi a creditoribus suis fuisset coactus, ut Valer. Maximus, VI, 4, scribit. Corr.

9. *C. Lælius.* Hic, ut Cicero, Philipp. XI, refert, fuit filius illius C. Lælii, qui majoris Africani in Hispania et in Africa semper comes fuit, ita ut a multis Africanus ipse quoque sit appellatus. Corr.

10. *P. Africanus.* P. Cornelius Scipio Africanus Æmilianus, de quo præstat silere, quam pauca dicere. Corr.

11. *De ingeniis oratorum.* Cicero scripsit sine dubio *eorum*: glossator adscripserat scil. *oratorum*, quos nominarat. Ern. — Schütz. dedit *eorum*.

12. *Sine controversia.* Refer ad *eloquentia pr.* transponit Cicero ne « controversia eloquentia » concurrerent. Ernest.

13. *Ser. Galba.* Servius Sulpicius Galba, qui prætor male adversus Lusitanos pugnavit, ut Liv. lib. XLVIII, scripsit: deinde eum L. Aurelio Cotta anno U. C. 610 consul fuit. Sciendum est prænomen *Servium* frequenter in gente Sulpicia inveniri. Male igitur faciunt qui describunt vel legunt usquam

et nimirum is princeps ex Latinis illa oratorum propria et quasi legitima opera tractavit, ut egrederetur [14] a proposito ornandi causa, ut delectaret animos, ut permoveret [15], ut augeret rem, ut miserationibus, ut communibus locis uteretur. Sed nescio quomodo hujus, quem constat eloquentia præstitisse, exiliores orationes sunt, et redolentes magis antiquitatem, quam aut Lælii, aut Scipionis, aut etiam ipsius Catonis; itaque exaruerunt [16], vix jam ut appareant.

(XXII.) De ipsius Lælii et Scipionis ingenio, quamquam ea jam est opinio, ut plurimum tribuatur ambobus; dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At oratio Lælii de collegiis [17], non melior, quam de multis quam voles, Scipionis: non quo illa Lælii quidquam sit dulcius, aut quod [18] de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior, et horridior ille, quam Scipio: et, quum sint in dicendo variæ voluntates, delectari mihi magis antiquitate videtur, et lubenter verbis etiam uti paullo magis priscis Lælius. Sed est mos [19] hominum, ut nolint eumdem pluribus rebus excellere. Nam ut ex bellica [20] laude adspirare ad Africanum nemo potest, in qua ipsa egregium Viriatico [21] bello reperimus fuisse Lælium;

Sergium Galbam, quum *Sergius* sit nomen gentis, non autem prænomen, ut satis constat. Male igitur Plutarch. in Catone hunc Σερουΐλιον Γάλβαν vocat. Corr.—Cf. Val. Max. VIII, 1. Inter atavos Galbæ imperatoria habendus est.

14. *Egrederetur.* Lambinus, *degrederetur.*

15. *Ut permoveret.* Sic edidi pro *aut.* Etiam in altero « ut augeret r. » Ed. Med. vitiose *aut.* Ern.

16. *Exaruerunt.* Schützius dat *evanuerunt*, ut potius, suadente Purgoldo, cf. que jubet cap. 27 extr.

17. *Oratio Lælii de collegiis.* Vide lib. de Amicitia, cap. 25.

18. *Aut quod.* Schützius dat *aut quo* ex Gu. 1, 2.

19. *Sed est mos.* Schützius dat « sed est iste mos » ex Gu. 1 qui habet « sed iste mos »: quod equidem Schützianæ lectioni prætulerim.

20. *Nam ut ex bellica laude.* Schützius delet *ex* cum Gu. 2.

21. *Viriatico.* Sic e Med. edidi: sic e vetere Ven. 1485 laudat Rivius. Vulgo *Viriati.* Ern. — Schützius vulgatam retinuit. Viriatus ex pastore venator,

sic ingenii, literarum, eloquentiæ, sapientiæ denique, etsi utrique primas, priores tamen libenter[22] deferunt Lælio. Nec mihi ceterorum judicio solum videtur, sed etiam ipsorum inter ipsos concessu ita tributum fuisse. Erat omnino tum mos, ut in reliquis rebus melior, sic in hoc ipso humanior, ut faciles essent in suum cuique tribuendo.

XXII. Memoria teneo, Smyrnæ me ex P. Rutilio Rufo audisse, quum diceret, adolescentulo se accidisse, ut ex senatusconsulto P. Scipio et D. Brutus (ut opinor) consules de re atroci magnaque quærerent. Nam quum in silva Sila[1] facta cædes esset, notique homines interfecti, insimulareturque familia, partim etiam liberi[2], societatis ejus, quæ picarias[3] de

e venatore latro, mox justi quoque exercitus dux factus, universam Lusitaniam occupavit, et bellum cum Romanis per quatuordecim annos, ut Florus et Orosius scribunt, vel octo continuos, ut placet Appiano, gessit, multosque Romanos duces vicit; ac tandem a suis, quos Servilius Cæpio corruperat, est interfectus. Historia est apud Livium, lib. LII et LIV, at alios. Corr.

22. *Libenter.* Hoc Schützius delet cum ed. Omnib. quasi melius eo textus careat.

XXII. 1. *Silva Sila.* Turnebianum est, cujus confirmatio videnda Advers. lib. XI, cap. 1, iterumque lib. XXVI, cap. 12. Vulgata *silva sua.* Pal. « in stivas ita ». Cujac. « in instivas sita », unde et nonnulli legunt « in silva sita ». Grut. — Alii legunt *Scantia.* Sila silva in Bruttio sita. Erat autem Bruttia pix in pretio. Plin. Nat. Hist. XVI, 11. Frustra igitur corrigebat Corradus *pecuarias.* Sch. — Vid. not. 3.

2. *Partim etiam liberi.* Nullum est dubium quin voc. *liberi* opponatur v. *familia*, quæ servos designat.

3. *Picarias.* Haud aliter Pal. placuitque Victorio: item Cujacio, de Feudis, lib. V: legitur aliter *picearias:* sunt autem qui *pecuarias* legendum putarunt: erat in Cujaciano *picearias.* Grut. — *Picarias* ed. Med. Ald. ut nunc editur, aliæ aliter: ut Junt. *pecuarias.* Ernest. — *Picarias.* Fortasse loca ubi pix fieret, cujus apud Veteres magnus fuit usus, quum ad alias res, tum ad vina condienda. Et fortasse tum censores picarias locabant, quod nos tamen adhuc non legimus: illud legimus, quod scribit Plin. in tabulis censoriis, pascua dicta fuisse omnia, ex quibus populus reditus haberet: quia diu hoc solum vectigal fuerat. Hoc significat Cicero, quum in or. I contra Rull. ita scribit: « Veniat, inquit, silva Scantia: utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? » Ex his existimamus legi oportere, vel *pecuaria*, ut hoc etiam scriptum vidimus, vel *pecuarias*, præsertim quum in aliis libris *picarias*, in aliis *piarias* hoc

P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemisset, decrevisse senatum, ut de ea re eognoseerent et statuerent consules. Causam pro publieanis aeeurate, ut semper solitus esset, eleganterque dixisse Lælium. Quum eonsules, re audita, amplius de consilii sententia pronuntiavissent; paueis interpositis diebus iterum Lælium multo diligentius meliusque dixisse, iterumque eodem modo a eonsulibus rem esse prolatam. Tum Lælium, quum eum soeii domum reduxissent, egissentque gratias, et, ne defatigaretur, oravissent, loquutum esse ita : se, quæ feeisset, honoris eorum causa, studiose aeeurateque fecisse; sed se arbitrari, eausam illam a Ser. Galba, quod is in dicendo gravior acriorque[4] esset, gravius et vehementius posse defendi. Itaque auctoritate C. Lælii publicanos eausam detulisse ad Galbam. Illum autem, quod ei viro succedendum esset, vereeunde et dubitanter recepisse; unum, quasi eomperendinatus[5], medium

luca legamus. Et *pecuaria*, loca ubi pecora nutriantur, id est, pascua, interpretamur : *pecuarias* vero eodem pæne modo, quod Varro de Re Rust. lib. II, scribat : « Facilius faciam, quod et ipse pecuarias habui grandes, in Apulia ovarias, et Restino equarias ». Itaque rem sic explicare possumus : silva Scantis (sic legebat Corradus) erat in pascuis censorum : pecuaria item, sive pecuariæ erant in iisdem pascuis. Quum igitur publicani redemissent has pecuarias, sive pecuaris, in silva Scantis, quæ in his erat, facta est cædes. Corr.

4. *Gravior acriorque*. Sic ed. Med. Aldus edidit « ornatior acriorque », ut Junt. 1. Gron. e cap. 80 conjecit *altior : gravior* sane aptissimum, nisi quod parvo intervallo est *gravius*. Tum nescio, an *altior* et *gravius* satis bene sibi respondeant : altitudo habet admirationem, non gravitatem. Non decerno : sed tamen veterrimam lectionem *gravior* prætuli, dum melior e melioribus libris reperiatur. Ern. — Pal. *abhortor*. Cujac. *adhortor*. Oportet sub eo aliud quid lateat, quam quod alias oræ adfingitur, *fortior*. Garter. — Schützius dedit *ardentior* e conject. Reitzii, Misc. Obss. vol. X, pag. 189. Trillerus et Buttmannus, *atrocior*.

5. *Recepisse; unum, quasi comperendinatus, medium diem fuisse*. Sch. sic interpungit « recepisse. Unum quasi comperendinatus medium diem f. » suadente Porgoldo. Corradus malebat *comperendinatum*, ut ad Galbam referretur, quasi comperendinatus esset. Sic habet MS Reg. Vulgatum melius puto : nempe diem comperendinatus,

diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa componendaque posuisse; et, quum cognitionis dies esset, et ipse Rutilius rogatu sociorum domum ad Galbam mane venisset, ut eum admoneret, et ad dicendi tempus adduceret; usque illum, quoad ei nuntiatum esset, consules descendisse, omnibus exclusis, commentatum in quadam testudine cum servis literatis fuisse, quorum aliis aliud dictare[6] eodem tempore solitus esset; interim quum esset ei nuntiatum tempus esse, exisse in ædes eo colore, et iis oculis, ut egisse causam, non commentatum putares. Addebat etiam, idque ad rem pertinere putabat, scriptores illos male mulcatos[7] exisse cum Galba; ex quo significabat, illum non in agendo solum, sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse. Quid multa? magna exspectatione, plurimis audientibus, coram ipso Lælio sic illam causam, tanta vi, tantaque gravitate dixisse Galbam, ut nulla fere pars orationis silentio[8] præteriretur. Itaque multis querelis, multaque miseratione adhibita, socios, omnibus approbantibus, illa die[9], quæstione liberatos esse.

XXIII. (XXIII.) Ex hac Rutiliana narratione suspicari licet, quum duæ summæ sint in oratore laudes, una subtiliter disputandi, ad docendum, altera graviter agendi, ad animos audientium permovendos, multoque plus proficiat is, qui inflammet judicem, quam

qui scilicet medius est inter primam et alteram actionem. Ern.

6. *Quorum aliis aliud dictare.* Fidenter addidi *aliis*: nam alias non est sensus verborum: dictabat pluribus scriptoribus, sed aliis aliud. Miror hoc non animadversum aliis, quod quidem sciam: nam res in oculos incurrit. Ern.

7. *Mulcatos.* Ed. Omnib. *mulctatos.* Sch.

8. *Silentio præteriretur.* Intellig. audientium, sine plausu et acclamatione. Ern.

9. *Illa die, quæstione liberatos.* Ed. Med. et MS Cujac. *dis* pro *diis*, scil. ex illa nota formula «diis hominibusque approbantibus». Ernest. — Pal. compendio scripsit, sed tamen ita ut resolvi debeat «illa disputatione lib.» apposite. Gaut.

ille, qui doceat, elegantiam in Lælio, vim in Galba fuisse. Quæ quidem vis tum maxime cognita est, quum, Lusitanis[1] a Ser. Galba prætore contra interpositam, ut existimabatur, fidem, interfectis, T. Libone[2] tribuno plebis populum incitante, et rogationem in Galbam, privilegii[3] similem, ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit : quam orationem in Origines suas retulit, paucis antequam mortuus est, an diebus, an mensibus? Tum igitur nihil recusans[4] Galba pro sese, et populi romani fidem implorans, quum suos pueros, tum C. Galli etiam filium flens commendabat; cujus orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter

XXIII. 1. *Lusitanis.* Ser. Galba est accusatus a Libone, quod Lusitanorum magnam manum, interposita fide, prætor in Hispania interemisset, ut Val. Maxim. lib. VIII, cap. 1, refert, qui lib. IX, cap. 6, scribit ad hunc modum : « Ser. quoque Galba summæ perfidiæ : trium enim Lusitaniæ civitatum convocato populo, tamquam de commodis ejus acturus, septem millia, in quibus flos juventutis consistebat, electa, et armis exuta, partim trucidavit, partim vendidit : quo facinore maximam cladem barbarorum, magnitudine criminis antecessit ». Triginta millia Lusitanorum trucidata fuisse Suetonius in Galba testatur : Appianus vero, in libro de rebus in Hispania gestis, rem pluribus exponit. GRUT.

2. *T. Libone.* Vel potius *L. Libone*, ut multis videtur. J. V. L. — Aliter *L. Scribonio.* Is enim dicebatur L. Scribonius Libo, ut invenies, de Orat. lib. I et II; ad Attic. lib. XII, ep. 5; apud Valer. Maxim. lib. VIII, cap. 1; apud Livium, lib. XLIX. Scribonii plebeii fuerunt, ut vel ex hujus Scribonii Libonis tribunatu constat. Libo vero cognomen etiam in aliis gentibus, ut Petiliis et Octaviis, invenitur. CORR.

3. *Privilegii.* Id est, lex ad privatos, ad singulos pertinens, non ad universos. Hæ leges duodecim Tabulis prohibebantur. Nempe earum tenor erat, ut quamquam generalibus verbis expressæ erant, tamen certum foret eas ad privatum vel ad privatos quosdam pertinere.

4. *Tum igitur nihil recusans.* Vulgo olim *nihil* aberat, de quo Corradus : vereor ego ne legendum sit *nihil rec.* nam *recusare* verbo sic utitur Cicero : et Valer. Maxim. qui res non modo, sed verba etiam solet mutuari, hanc rem sic in suum lib. VIII transtulit : « Reus Galba pro se jam nihil recusans, parvulos liberos suos, et Galli sanguine conjunctum sibi filium, flens commendere cœpit ». Quæ vero de Or. lib. I, de Galba referuntur, ostendunt, eum de se prorsus desperasse, ut merito dici posset hoc loco : « nihil pro se recusans ». E Nonio, ait Ern. quædam et aliis grammaticis recepta sunt ; cur non et hoc a Valerio?

recentem memoriam clarissimi patris; isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato. Atque etiam ipsum Libonem non infantem video fuisse, ut ex orationibus ejus intelligi potest. (xxiv.) Quum hæc dixissem, et paullum interquievissem[5] : — Quid igitur, inquit, est causæ, Brutus, si tanta virtus in oratore Galba fuit, cur ea nulla in orationibus ejus appareat? quod mirari non possum in eis, qui nihil omnino scripti reliquerunt.

XXIV. — Nec enim est eadem, inquam, Brute, causa non scribendi, et non tam bene scribendi, quam dixerint. Nam videmus alios oratores inertia nihil scripsisse, ne domesticus etiam labor accederet ad forensem; pleræque enim scribuntur orationes habitæ jam, non ut habeantur : alios non laborare, ut meliores fiant; nulla enim res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio; memoriam autem in posterum ingenii sui non desiderant, quum se putant satis magnam adeptos esse dicendi gloriam, eamque etiam majorem visum iri, si in existimantium arbitrium sua scripta non venerint : alios[1], quod melius putent dicere se posse, quam scribere; quod peringeniosis hominibus, neque satis doctis, plerumque contingit[2], ut ipsi Galbæ. Quem fortasse vis non ingenii solum, sed etiam animi, et naturalis quidam dolor[3] dicentem incendebat, efficiebatque, ut et incitata, et gravis, et vehemens

5. *Interquievissem*. Gu. 1, *quievissem*. Sch.

XXIV. 1. *Alios*. Subaudi « nihil scripsisse ».

2. *Contingit*. Sic pro *contigit* scripsi e MS Reg. neque enim ad eos modo, qui fuere, pertinet, sed ad omnes. Ern.

3. *Naturalis quidam dolor dicentem incendebat*, etc. Wetzelius e Schneideri conjectura edidit : « naturalis quidam calor » : sed vulgatum bene defendit J. C. Th. Ernest. in Lex. technol. lat. rhetor. pag. 346. Sch. — Consentit J. V. L. qui conferri jubet Orat. cap. 37.

esset oratio; dein quum otiosus stylum prehenderat, motusque omnis animi, tamquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio: quod iis, qui limatius dicendi consectantur genus, accidere non solet, propterea quod prudentia numquam deficit oratorem, qua ille utens eodem modo possit et dicere et scribere; ardor animi non semper adest, isque quum consedit, omnis illa vis et quasi flamma oratoris exstinguitur. Hanc igitur ob causam videtur Lælii mens spirare etiam in scriptis, Galbæ autem vis occidisse[4].

XXV. (XXV.) Fuerunt etiam in oratorum numero mediocrium L. et Sp. Mummii[1], fratres, quorum exstant amborum orationes. Simplex quidem L. et antiquus; Sp. autem nihilo ille quidem ornatior, sed tamen adstrictior: fuit enim doctus ex disciplina[2] stoicorum. Multæ sunt Sp. Albini[3] orationes. Sunt etiam L. et C. Aureliorum Orestarum[4], quos aliquo video in numero

4. *Occidisse*. Gu. 1, *cecidisse*. Sch.

XXV. 1. *L. et Sp. Mummii*. L. Mummius novus, ut ait Paterculus, et pæne ignobilis a principio fuit, quando τρίτον οὐκ ἔχομεν αὐτῶν ὄνομα, ut Plutarchus in Mario scribit, quum Romani nobiliores nomina minimum tria haberent. Nam quod L. Mummius Achaicus postea dictus est, quartum potius quam tertium nomen est, et a quibusdam agnomen appellatur. Hic L. Mummius cum C. Cornelio Lentulo consul fuit, anno Urb. C. 608, quamvis alii collegam L. non Cn. vocent. Consul Achæos vicit, unde Achaicus est appellatus, et Corinthum delevit, ac triumphavit. Hoc bellum scripserunt Liv. lib. LI, LII; Justinus, lib. XXXIV; auctor libelli de Viris illustr. cap. 60, et alii. Sp. Mummius bellum in Hispania gessit, et de Lusitanis triumphavit, ut Appianus in lib. de rebus in Hisp. gestis scribit: et fuit in decem legatis L. Mummio fratri, ut ad Attic. lib. XIII, epist. 38, Cicero docet. Fuit hic Sp. Mummius etiam legatus in Ægypto cum Africano, quod Justinus, lib. XXXII, refert. Corr.

2. *Ex disciplina*. *Ex* abest Guelf. 1.

3. *Sp. Albini*. Sp. Posthumii Albini, qui cum M. vel, ut est in Sallust. Q. Minucio Rufo consul anno U. C. 644 fuit, unde consularem infra Cicero vocat. Hic est enim Sp. Albinus, qui, quod scribit Sallustius, Masinissæ persuasit, ut regnum Numidiæ a senatu peteret, et alia gessit, quæ ap. eumdem legi possunt.

4. *L. et C. Aureliorum Orestarum*. Lucius cum M. Æmilio Lepido consul fuit anno U. C. 628, et Sardos subegit. Alicui tamen possit ille videri, qui consul cum Sex. Julio Cæsare fuit anno 598. De Caio adhuc nihil scri-

oratorum fuisse. P. etiam Popillius[5] quum civis egregius, tum non indisertus fuit. C. vero, filius ejus, disertus. Caiusque Tuditanus[6] quum omni vita atque victu[7] excultus atque expolitus, tum ejus elegans est habitum etiam orationis genus. Eodemque in genere est habitus is, qui injuria accepta fregit Tib. Gracchum patientia, civis in rebus optimis constantissimus, M. Octavius[8]. At vero M. Æmilius Lepidus[9], qui est Porcina dictus, iisdem temporibus fere, quibus Galba, sed paullo minor natu, et summus orator est habitus, et fuit, ut apparet ex orationibus, scriptor sane bonus. Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et lenitas apparuisse illa Græcorum, et verborum comprehensio, etiam artifex, ut ita dicam, stylus. Hunc studiose duo

ptum videre potuimus, sed conjicimus tantum hunc Lucii fratrem fuisse, ut hic L. et C. Aurelios fratres conjungat, ut L. et Sp. Mummios conjunxit. Corr.

5. *P. etiam Popillius.* P. Popillius Lænas, qui cum P. Rutilio consul fuit, a. U. C. 622. Hic igitur Popillius consul fuit, quo anno in judicium vocati sunt, qui cum Ti. Graccho senserant. Ergo quum quosdam Ti. Gracchi amicos, ut refert Plutarch. urbe ejecisset, postea cognovit latam esse legem a C. Graccho similem privilegii, ut in judicium vocaretur quicumque in magistratu constitutus indicta causa quempiam ejecisset. Quare ipse ex urbe discessit: nec ita multo post fuit restitutus. Cor.

6. *C. Tuditanus.* C. Sempronius Tuditanus, qui cum M'. Aquilio, quem Paullus Orosius M. Acilium Capitonem vocat, consul fuit an. U. C. 625. Hunc Tuditanum prætorem P. Popillio et P. Rutilio coss. fuisse scribit Libo, ut Cicero testatur ad Attic. lib. XIII, ubi dubitat an hic in decem legatis Mummio fuerit. Corr.

7. *Omni vita atque victu.* Sæpe hæsi in *victu* qui intelligi possit in vita, et quare victus præ cetera in tali loco commemoretur, vix intelligo: an scripsit Cicero *virtute*, ex cujus compendio *victu* natum sit? Ern.

8. *M. Octavius.* M. Octavius Cecina vocatur a Julio Obsequente. De familia vero Octaviorum nihil ad ea, quæ Suetonius in Augusto scribit, videtur addendum. Corr. — De quo vide Flor. III, 14; Vell. Pat. II, 2, et Plut. in vita Gracchorum.

9. *M. Æmilius Lepidus.* Hic M. Æmilius Lepidus Porcina cum C. Hostilio Mancino consul fuit anno U. C. 617. Appianus lib. II de Rebus in Hispania gestis pluribus de eo agit, et eum ob cladem in pugna adversus Vaccæos acceptam condemnatum fuisse: sed Valer. Max. lib. VIII, cap. 1, scribit a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime structæ villæ in Alsiensi agro, gravi multa affectum fuisse. Quare Porcina sit dictus, nos adhuc quærimus. Corr.

adolescentes ingeniosissimi, et prope æquales, C. Carbo, et Tib. Gracchus audire soliti sunt; de quibus jam dicendi locus erit, quum de senioribus pauca dixero. Q. enim Pompeius[10] non contemptus orator, temporibus illis, fuit, qui summos honores, homo per se cognitus[11], sine ulla commendatione majorum, est adeptus. Tum L. Cassius[12] multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen; homo, non[13] liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate[14] popularis: cujus quidem legi tabellariæ[15] M. Antius Briso, tribunus

10. *Q. enim Pompeius.* Is quem Val. Max. lib. VIII, cap. 5, Q. Pompeium Aufidium vocat, qui consul quum esset cum Cneio Serviliu Cæpione, anno ab U. C. 613, in Hispaniam profectus, Thermestinos, ut Livius, lib. LIV, videtur scripsisse, quum Termantini ab Appiano vocentur, subegit: deinde, non semel a Numantinis quum fuisset victus, veritus ne postea Romæ accusaretur, clam cum illis de pace cœpit agere: deinde vero quum M. Popillius Lænas successor venisset, ille jam metu belli præsentia successoris liberatus, infitiatus est quidquid fecerat. Cicero de Fin. lib. II, «callide improbum» vocat, quod fœdus cum Numantinis sit infitiatus. Hunc etiam Cicero, Acad. Quæst. lib. II, inter populares ponit. Corr.—Hujus neptis a J. Cæsare dictatore ducta est. Ex alio genere erat Magnus Pompeius. J.V. L.

11. *Per se cognitus.* Sua, non majorum virtute, nobilitatus. Q. enim Pompeius humili atque obscuro loco natus est, ut Cicero ait, Verrina I. Ἐδόκει γὰρ ὁ Πομπήϊος υἱὸς αὐλητοῦ γεγονέναι, ut scribit Plutarchus, hinc a Cicerone in oratione pro Fonteio, et in orat. pro Muren. Q. hic Pompeius homo novus appellatur. Corr.

12. *L. Cassius.* L. Cassius Longinus, a quibusdam *Ravilla* dictus, qui fuit consul cum L. Cornelio Cinna, anno U. C. 627, et censor cum Cn. Servilio Cæpione, ut Frontinus refert in libris de Aquæductibus. Gens vero Cassia duplex videtur fuisse patricia et plebeia: nam multi Cassii inter primos consules et multi triboni plebis in veterum scriptis inveniuntur. Corr. — Hic Cassius in Africam missus est, ut Jugurtham Romam duceret, illiusque fidei magis quam fidei publicæ Jugurtha confidit. Cf. Sallust. Jug. 32; Cic. pro Rosc. Am. 30; Val. Max. III, 7.

13. *Non liberalitate.* Ex oppositis «trist. et severitate» patet legendum esse *hilaritate*. Videtur correctio orta ex eo, quod populares solerent largitionibus de publico uti. Ern. — Sed Ernest. minime audiendum esse merito declarant Schütz. et J. V. L.

14. *Tristitia et severitate.* Cic. pro Roscio Amerino, cap. 30, eum vocat judicem integerrimum. Valer. Max. lib. VIII, cap. 7, scribit ejus tribunal scopulum reorum fuisse dictum: et Cic. Verr. III: «Non quæro Cassianos judices, veterem judiciorum severitatem non requiro».

15. *Legi tabellariæ.* Voce Romani suffragium tulerunt usque ad annum 614, quo Gabinia lex in eligendis magi-

plebis, diu restitit, M. Lepido consule adjuvante; eaque res P. Africano vituperationi fuit, quod ejus auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Tum duo Cæpiones[16] multum clientes consilio et lingua, plus auctoritate tamen et gratia sublevabant. Sed Pompeii sunt[17] scripta nec nimis extenuata (quamquam veterum est similis), et plena prudentiæ.

XXVI. (XXVI.) P. Crassum[1] valde probatum oratorem iisdem fere temporibus accepimus, qui et ingenio valuit, et studio, et habuit quasdam etiam domesticas disciplinas. Nam et cum summo illo oratore, Ser. Galba, cujus C. filio filiam suam collocaverat, affinitate sese devinxerat; et, quum esset P. Mucii filius, fratremque haberet P. Scævolam, domi jus civile cognoverat. In eo industriam constat summam fuisse, maximamque gratiam, quum et consuleretur plurimum, et diceret. Horum ætatibus adjuncti duo C. Fannii, C. et M. filii[2], fuerunt : quorum Caii filius, qui consul

stratibus suffragia per tabellas ferenda jussit : anno 616 Cassius eumdem suffragii modum in judiciis a populo pronuntiandis, excepta perduellione, constituit : et denique anno 646 in ipsa perduellione lege Cœlia populus secreta per tabellas suffragia tulit. Cf. de Legg. III, 15 et 16. Vide quid de suffragiis secretis sentiat *Montesquieu, Esprit des Lois*, lib. II, cap. 2, et memento Tiberium, Tacit. Annal. I, 74, quum suffragii libertatem tollere voluit, declaravisse se voce suffragium daturum, ut ceteri se sequi cogerentur.

16. *Duo Cæpiones.* Cn. et Q. ut ipse Cicero in orat. pro Fontein, et Valer. Maxim. lib. VIII, cap. 5, vocant. Illud addit Val. iisdem parentibus illos natus fuisse, et per omnes honorum gradus ad summam amplitudinem pervenisse. CORR. — Corradi ex sententia Schützius dedit « duo Cæp. Cn. et Q. »

17. *Sed Pompeii s.* Iterum ex Corradi sententia Sch. dedit « sed Quinti s. »

XXVI. 1. *P. Crassum.* P. Licinium Crassum Mucianum Divitem : nam quum P. Mucii Scævolæ filius fuisset a P. Licinio Crasso adoptatus, ita de more fuit appellatus. An. U. C. 623 consul fuit, quo tempore Claudius consul designatus de C. Carbonia seditione retulit, et senatus ei decrevit, quod Cic. de Leg. lib. III, scribit. CORR.

2. *Duo C. Fannii, C. et M. filii.* Victorius, Manutius, et Corrad. ediderunt « duo C. Fannii, Caii Marii filii », omissa inter hæc duo particula *et*, quam admittunt Lambinus et Gruterus, et admittere, ni fallor, debuerunt, quum duo sint Caii Fannii, quorum unus orator, Caii filius, de quo nunc agitur; alter historicus, Marci

cum Domitio fuit, unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum [3] reliquit, sane et bonam, et nobilem. — Tum Atticus, Quid ergo? estne ista Fannii? nam varia opinio pueris nobis erat : alii a C. Persio [4], literato homine, scriptam esse aiebant, illo, quem significat valde doctum esse Lucilius; alii multos nobiles, quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse. — Tum ego, Audivi equidem ista, inquam, de majoribus natu; sed numquam sum adductus, ut crederem, eamque suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod Fannius in mediocribus oratoribus habitus esset; oratio autem vel optima esset illo quidem tempore orationum omnium. Sed nec ejusmodi est, ut a pluribus [5] confusa videatur (unus enim [6] sonus est totius orationis, et idem stylus); nec de Persio reticuisset Gracchus, quum ei Fannius [7] de Menelao

filius, de quo paullo post. Qui erat filius Caii, consul creatus est an. U. C. 632 cum Domitio. Anonym. — MSS apud Grut. edd. Med. Ald. delent *et:* ut sit « Caii Marcique », sicut est in ed. Junt. expressum. Ern.

3. *Contra Gracchum.* C. Gracchum. Sic enim Cicero sæpe propter excellentiam vocat, ut infra, et de Orat. lib. III, videre licet. Hic verum illum significari, res etiam ipsa docet, quod quum ipse C. Gracchus C. Fannium consulem faciendum curasset, ille tamen a patribus stetit; nam quum C. Gracchus leges quasdam promulgasset, et quotidie magna sociorum multitudo ad eum conveniret, senatus Fannio consuli persuasit, ut juberet omnes, præter Romanos, urbe exire: id quod fecit. Gracchus vero contra edictum fecit, et sociis, si manerent, opem contra consulem pollicebatur; hinc nata simultas. Corr.

4. *C. Persio.* C. Persius Flaccus, ætate sua Romanorum eruditissimus, cujus censuram reformidabat Lucilius poeta, de Orat. II, 6. Quæstor fuit anno U. C. 609, trib. pleb. anno 614, ac denique prætor anno 620. Paust.

5. *A pluribus.* Scriptum puto e *pluribus* scilicet generibus orationis : sic semper dicunt Latini. Ern. — Schützius Ern. non assentitur.

6. *Unus enim*, etc. Hæc primum usque ad *objecisset*, sunt in parenthesi accipienda : deinde *stylus* non placet: nec enim Cicero verbum hoc sic dicit; sed tantum de exercitatione scribendi. *Orationis stylus* plane inepte dicitur. Credo Ciceronem scripsisse *idem filum :* quo verbo libenter utitur Cicero in exprimenda orationis forma, qua e materia est. Ern. — Schutzius ex Ernest. dedit *idem filum*. Equidem nihil mutem. Idem stylus hic est absolute, quasi gall. dicatur *la même plume;* non ad *orationis* referendum.

7. *Quum ei Fannius.* Sic Guelf.

Maratheno, et de ceteris objecisset: præsertim quum Fannius[8] numquam sit habitus elinguis; nam et causas defensitavit, et tribunatus ejus, arbitrio et auctoritate P. Africani gestus, non obscurus fuit.

Alter autem C. Fannius[9], M. filius, C. Lælii gener, et moribus, et ipso genere dicendi durior[10]. Is soceri instituto (quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, præsertim quum ille Q. Scævolam sibi minorem natu generum prætulisset; cui tamen Lælius[11] se excusans, non genero minori dixit se illud, sed majori filiæ detulisse), is tamen, instituto Lælii, Panætium audiverat. Ejus omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest; quæ neque nimis est infans, neque perfecte diserta. Mucius[12] autem augur, quod pro se opus erat[13], ipse dicebat, ut de pecuniis re-

quod Schützius sequutus est suadentibus Gron. Grut. Ern. pro vulgato *et Fann.*—Menelaus erat rhetor græcus, ortus Maratho, urbe Phœnicum.

8. *Præsertim quum Fannius.* Hoc non bene coit cum antecedentibus. Debebat esse: nec Fannius umquam habitus est elinguis. Sed mutavit Cicero formam orationis, post parenthesin, ut et alibi interdum fecit. Ern.

9. *C. Fannius.* Marci filius, qui scripsit Annales: de quo plura Vossius, I, 7, de historicis latinis.

10. *Durior. Is.* Abruptius videtur illud: « *alter a F.* etc. » sine verbo. Putem Ciceronem dedisse: « durior, soceri instituto, etc. » Ed. Med. « durioris instituto ». *Is* videtur huc tractum e sequentibus post parenthesin; « is tamen »: nam ista omnia, « quem quia... detulisse » sunt in parenthesi dicta, quam et notavi. « Is tamen » est is igitur, quem dixi, Fannius, ut Academ. IV, 6. Ern.

11. *Cui tamen Lælius.* Gueif. 1, « cui tum Lælius ».

12. *Mucius.* Q. Mucius Scævola, qui fuit alter Lælii gener, ut in Lælio scribitur, et L. Licinii Crassi oratoris socer, ut de Orat. lib. I, cognoscitur, ubi testatur ipse se Panætium audivisse, et quædam quæ ab eo acceperat, quum Rhodum venisset, cum Apollonio contulisse. Fuit hic consul cum L. Cæcilio Metello, anno U. C. 637. Corr.

13. *Quod pro se opus erat, ipse dicebat.* Haud aliter editio P. Manutii, nec recedit Pal. aut Cujac. Vulgata « quod per se », unde fecit Lambinus « quod opus erat; ipse per se », inepte. Grut. — Videant viri docti, an latine dicatur « quod opus erat pro se ». Quod si, quia hoc recte dici non potest, velint *pro se* ad verbum *dicebat* referre, ut sit « dicebat pro se », videant, ne sit ὑπέρβατον, ac rem aliter intelligant, atque Cicero videtur

petundis [14] contra T. Albucium : is oratorum in numero non fuit; juris civilis intelligentia, atque omni prudentiæ genere præstitit. L. Cœlius Antipater[15], scriptor (quemadmodum videtis) fuit, ut temporibus illis, luculentus, juris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister.

XXVII. (XXVII.) Utinam in Tib. Graccho, Caioque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ab bene dicendum fuit! profecto nemo his viris gloria præstitisset. Sed eorum alter propter turbulentissimum tribunatum [1], ad quem ex invidia fœderis [2] Numantini bonis iratus accesserat,

scripsisse. Nos igitur libenter ita legeremus : « quod opus erat, per se ipse dicebat » : hoc est, dicebat quod opus erat, et dicebat per se, non ut alii, quibus orationes scribebantur, ut supra de Fannio dubitavit, et infra de Cæpione confirmabit. Corr. — Fortasse verius : « quod opus erat, per se ipse ». Sch.

14. *De pecuniis repetundis.* De quibus T. Albucius, ut opinor, a Scævola fuerat accusatus, ut Apuleius etiam in Apolog. II videtur ostendere, quamvis ibi C. Mucius et A. Albucius legatur. Cicero in orat. in Pisonem ita scribit : « Albucius, quum in Sardinia triumphasset, Romæ damnatus est ». C. enim Julius Cæsar a Sardis rogatus eum accusavit, quamvis Cn. Pompeius Strabo, qui fuerat Albucii quæstor, accusare voluisset, ut Cicero ad Div. scribit. Unde nos Offic. lib. II, ita legendum putamus : « Pro Sardis in Albucium Julius Cæsar ». Ipsi Cæsari credimus, Q. Mucium augurem subscripsisse, præsertim quum inimicitias cum T. Albucio gereret, ex quo tempore Athenis illum Scævola græce salutavit : quam rem Lucilius complexus est carminibus, quæ de Fin. lib. I, cap. 3 leguntur. Corr.

15. *L. Cœlius Antipater.* De quo Legg. lib. I, leges. In Oratore simplex et rudis appellatur, quod in procemio belli Punici negasset se, nisi necessario, facturum, ut orationis numerum servaret. Hunc tamen Hadrianus Sallustio prætulit, quamvis apud Spartianum in Hadriani vita *Cæcilium*, non *Cœlium*, descriptum videamus. Cœlia porro familia plebeia fuit, ut Cœlius Caldus, qui « novus homo » a Cicerone solet dici, et M. Cœlii tribunatus plebis ostendit. Corr.

XXVII. 1. *Turbulentissimum tribunatum.* In quo leges agrarias promulgavit, M. Octavio collegæ magistratum abrogavit, leges tulit, et triumviros ad dividendum agrum creavit, ac iterum tribunus plebis fieri voluit, ut Livius, lib. LVIII, Plutarchus et alii scripserunt. Corr.

2. *Ex invidia fœderis Numantini.* Hæc verba Velleius Paterculus interpretatur, lib. II, cap. 2. Sed et ipse Cicero, orat. pro Domo. Plura Plutarchus et alii scribunt. Corr. — Scil. consul Mancinus cum viginti millibus

ab ipsa republica est interfectus; alter[3], propter perpetuam in populari ratione levitatem, morte voluntaria se a severitate judicum vindicavit. Sed fuit uterque summus orator; atque hoc[4] memoria patrum teste dicimus. Nam et Carbonis, et Gracchi habemus orationes, nondum satis splendidas verbis, sed acutas, prudentiæque plenissimas. Fuit Gracchus diligentia Corneliæ matris[5] a puero doctus, et Græcis literis eruditus; nam semper habuit exquisitos e Græcia magistros, in eis jam adolescens Diophanem[6] Mitylenæum, Græciæ, temporibus illis, disertissimum: sed ei[7] breve tempus ingenii augendi et declarandi fuit. Carbo, quoad vita suppeditavit[8], est in multis judiciis causis-

hominum a Numantinis circumventus, turpe fœdus fecerat; quod ne ratum haberetur senatus censuit Mancinum hostibus dedi debere: huic deditioni Tib. Gracchus quæstor Mancini quantum potuit obstitit.

3. *Alter.* C. Papirius Carbo, qui quum Tiberium Gracchum fuisset secutus, ut in Lælio scribitur, postea tribunus plebis fuit, Claudio et Perpenna consulibus, anno U. C. 624, vel anno superiore, ipso Claudio consule designato. Corr. — Is Carbo postea partes senatus amplexus, defendit Opimium, occisorem C. Gracchi. Vide Cic. epist. ad Fam. IX, 21; de Orat. II, 40; Legg. III, 16.

4. *Atque hoc.* Schützius dat *neque hoc*, suadente Corrado; fortasse post aliquot MSS et edd. pr. legendum « atque hoc, mem. p. teste didicimus ». J. V. L.

5. *Diligentia Corneliæ matris.* De qua videndus Plutarchus in Gracchis. Quintilianus quoque, lib. I, cap. 1, sic ait: « Gracchorum eloquentiæ multum contulisse accepimus Corneliam matrem, cujus doctissimus sermo in posteros quoque epistulis traditus est ». Illa autem fuit Scipionis Africani majoris filia, et Tib. Sempronio Graccho nupsit, cui duodecim filios, ut Plutarchus scripsit, genuit, quos tanti fecit, ut eorum causa Ptolemæi regis nuptias spreverit. A populo romano non minus ob virtutem filiorum, quam ob patris memoriam colebatur, unde statuam illi positam Plinius et Plutarchus testantur. Corr.

6. *Diophanem Mitylenæum.* Rhetorem tunc in Italia exsulantem, ut scribit Plutarchus, qui refert item illum et Blossium Cumanum Antipatri Tarsensis philosophi discipulum, auctores fuisse, ut Tib. Gracchus actionem illam susciperet. Quare paullo post ipsius Tib. Gracchi mortem Diophanes necatus est, et Blossius aufugit. Corr.

7. *Sed ei.* Sic recte Lambin. quem Schutz. secutus est. Vulgo, *sed et*.

8. *Carbo, quoad vita suppeditavit.* Gulielmius et Gruterus *quo vita*, ex Cujac. et Pal. Vulgata *quod vita* ex Aldo et Junt. Lambinus et Manutius dedere *quoad*, quod placuit Ernest. et Schutzius edidit. Post consulatum a

que cognitus. Hunc qui audierant prudentes homines, in quibus familiaris noster L. Gellius, qui se illi contubernalem in consulatu fuisse narrabat, canorum oratorem, et volubilem, et satis acrem, atque eumdem et vehementem, et valde dulcem, et perfacetum fuisse dicebat; addebat, industrium etiam, et diligentem, et in exercitationibus commentationibusque multum operæ solitum esse ponere. Hic optimus, illis temporibus, est patronus habitus, eoque forum tenente plura fieri judicia cœperunt: nam et quæstiones[9] perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ antea nullæ fuerunt (L. enim Piso[10], tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio consulibus, tulit: ipse etiam Piso et causas egit, et multarum legum aut auctor, aut dissuasor[11] fuit; isque et orationes reliquit, quæ jam evanuerunt, et annales,

Crasso oratore tum uno et viginti annis natu seditionis accusatus, dicitur sumptis cantharidis mortem sibi conscivisse.

9. *Quæstiones perpetuæ.* Quibus Romani perpetuo uterentur. Unde queritur Cicero in orat. pro Milone, novam quæstionem latam fuisse, quum veteres essent quæstiones. Sic, opinor, jurisconsulti « perpetuum edictum » vocant. Nos librum veterem libenter sequimur, in quo scriptum est *p.* ut interpretemur *publicæ*, quod quæstiones essent publicæ. Corr. — Hanc Corr. conjecturam Schütz. improbat, cum altera Cujacii, « quæstiones pecuniarum repetundarum ». Videndus est Janus Vincentius Gravina, de ortu et progressu juris civilis, num. 37. Vid. et *Beaufort*, Rep. Rom. lib. V, c. 4; *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, XI, 18.

10. *L. enim Piso.* L. Calphurnius Piso. Calphurnii, auctore Sex. Pompeio, a Calpo, Numæ regis filio, sunt oriundi. Unde dixit Horatius: « Vos, o Pompilius sanguis ». Sed quum Calphurnius a Calpo deducatur, *Calpurnius*, non *Calphurnius*, scribi deberet. Ita quoque scribitur apud scriptores græcos et in Veterum monumentis. Hanc gentem multi putant patriciam fuisse, sed plebeiam vel hujus Pisonis tribunatus plebis fuisse demonstrat. Nisi forte a principio patricia fuit, sed postea paullatim, ut fieri solet, defecit. Certe constat eam jacuisse, donec eam L. hic Piso primus excitavit; quare post illum multi Calpurnii Pisones celebrantur. Corr.

11. *Dissuasor.* Dissuasor legum, ut legis frumentariæ C. Gracchi, de qua re Tusc. III, cap. 20, scriptum videbis. Lege orationem pro Fonteio. Censorium etiam Dionysius, lib. II, videtur vocare, sed quicum censor fuerit, nos invenire non potuimus. Corr.

sane exiliter scriptos); et judicia populi, quibus aderat Carbo, jam magis patronum desiderabant, tabella data[12]; quam legem L. Cassius, Lepido et Mancino consulibus, tulit.

XXVIII. (XXVIII.) Vester etiam D. Brutus[1], M. filius, ut ex familiari ejus L. Attio poeta sum audire solitus, et dicere non inculte solebat, et erat quum literis Latinis, tum etiam Græcis, ut temporibus illis, eruditus. Quæ tribuebat idem[2] Attius etiam Q.[3] Maximo, L. Paulli nepoti[4]: et vero ante Maximum, illum Scipionem, quo duce privato Tib. Gracchus occisus esset, quum omnibus in rebus vehementem, tum acrem aiebat in dicendo fuisse. Tum etiam P. Lentulus ille princeps[5], ad rempublicam dumtaxat quod

12. *Tabella data.* Vide notam supra in v. *legi tabellariæ*, cap. 25.

XXVIII. 1. *D. Brutus.* D. Junius Brutus, qui cum P. Cornelio Scipione Nasica Serapione anno U. C. 616 consul fuit. De Galleciis et Lusitania, ut auctor est Eutropius, cum magna gloria triumphavit: unde *Gallecius*, ut ait Paterculus, est appellatus, quamvis apud Strabonem, lib. III, Callaicus legatur.

2. *Quæ tribuebat idem Attius.* Sic edidi pro *tribuerat*, quod manifeste vitiosum esse dudum judicavi: nam præcedit *solebat* et sequitur *aiebat*. Et sic notavit Alemannus e MS Reg. Sed etiam sine libris hoc dudum corrigi debuit, et ipse in contextu correxissem. Ern. — Attius natus erat anno 583, defunctus anno 666. Ergo potuit nosci a Cicerone qui natus est anno 647.

3. *Q. Maximo.* Q. Fabio Maximo, Q. F. ejus, qui quum L. Æmilii Paulli filius esset, adoptatus a nescio quo Fabio, Q. Fabius Maximus Æmilianus est appellatus, et cum L. Hostilio Mancino, anno U. C. 609, consul fuit. Hic vero filius cum L. Opimio, anno U. C. 633, consul fuit, et adversus Allobroges, et Bituitum regem Arvernorum feliciter pugnavit. Ex hac victoria cognomen *Allobrogico* est inditum; quod Paterculus refert. Corr. — Ex quatuor filiis Paulli Æmilii duo, ut notum est, obierunt eo tempore quo de Perseo triumphavit. Alter adoptatus a gente Cornelia fuit posterior Africanus, alter a gente Fabia fuit Q. Fabius Maximus Æmilianus, pater illius Maximi de quo h. l. agitur. J. V. L.

4. *Nepoti: et vero ante Maximum, illum Scipionem.* Sic interpunxi: ita non opus erit cum Gulielmio conjicere « ante pontificem Max. » « Illum Scipionem » addidit, ut distingueret ab altero Maximo. Vulgo est « nepoti. Et vero ante Maximum illum Scipionem ». *Scipionem.* P. Cornelium Nasicam Serapionem, ejus qui Corculum est appellatus, filium, ejus qui sacra accepit, quique vir optimus est judicatus, nepotem. Corr.

5. *Lentulus ille princeps.* P. Corne-

opus esset, satis habuisse eloquentiæ dicitur. Iisdemque temporibus L. Furius Philus[6] perbene latine loqui putabatur, literatiusque, quam ceteri. P. Scævola valde prudenter et acute, paullo etiam copiosius; nec multo minus prudenter M'. Manilius[7]. Appii[8] Claudii volubilis, sed paullo fervidior erat oratio. In aliquo numero etiam M. Fulvius Flaccus[9], et C.[10] Cato, Africani sororis filius, mediocres oratores; etsi Flacci

lius Lentulus de quo Valer. Maxim. V, 3. Hunc Cicero, Orat. IV in Catil. his verbis significat: « Illo tempore hujus avus Lentuli clarissimus vir, armatus Gracchum est persequutus. Ille grave tum vulnus accepit, ne quid de summa dignitate reip. imminueretur ». Lentulus tam sæpe princeps senatus a Cicerone dicitur, et in consulibus illius temporis, quantum ego legere potui, non invenitur: quum tamen is esset mos, ut qui primus censor, ex iis, qui viverent, fuisset, is princeps legeretur: et raro fiebat censor, qui consul ante non fuisset. Suspicari possumus igitur hunc consulem fuisse, sed vel ejus annum desiderari, vel eum cum Claudio, qui cum M. Perpenna consul fuit, suffectum fuisse, et ob id cognomen Caium in consulibus ad Claudium fuisse translatum: quod in aliis etiam factum animadvertimus, ut in coss. anni U. C. 578, quivis facile videre poterit. Corr.

6. *Philus.* Philus est gentis Furiæ cognomen, ut *Philo* Veturiæ. Quare qui Furium Philonem scribunt in consulibus, errant, quum Furii semper a Livio Phili vocentur: hic tamen etiam *Pilus* legitur, ut in Scholiis, lib. IV ad Atticum monuimus, et nunc eo magis monemus, quod in veteribus consulibus, anno U. C. 531, sic legitur: « P. Furius Sp. F. M. N. Philus ». Hic vero consul fuit, si modo consul fuit, anno 618, cum Ser. Atilio Serrano. Hic est certe is, qui in libris de Rep. contra justitiam disputavit, ut in Scholiis lib. IV ad Atticum retulimus. Corrad.

7. *Manilius.* Manlia familia, inquit Sex. Pompeius, lib. IX, progenita fuit a Manilia filia Telegoni, quam Tusculi procreavit, quum id oppidum ipse condidisset. Hic vero Manilius is est, de quo in Somnio Scipionis. Consul anno U. C. 604. Corr.

8. *Appii Claudii.* Hic Appius Claudius Pulcher cum Q. Cæcilio Metello Macedonico, anno U. C. 611, consul fuit, et Salassos, gentem Alpinam, ut lib. III, Livius ait, domuit; qua de re etiam Paullus Orosius scribit. Corr.

9. *Fulvius Flaccus.* Qui cum M. Plancio Hypsæo, anno U. C. 629, consul fuit, et quod Livius, lib. LX, scribit, primus omnium Transalpinos Ligures bello domuit, missus auxilio Massiliensibus adversus Salanios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. Et de his, ut apud Plutarch. cognosces, triumphavit. C. Gracchum semper incitavit, donec ipse quoque cum reliquis pœnas dedit. Armatus enim in Aventino, ut Paterculus ait, ad pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est. Corr.

10. *C. Cato.* C. Porcius Cato, qui cum M. Acilio Balbo consul fuit anno U. C. 640.

scripta sunt, sed ut studiosi literarum. Flacci autem æmulus P. Decius[11], fuit, non infans ille quidem, sed ut vita, sic oratione etiam turbulentus. M.[12] Drusus, C. F. qui in tribunatu C. Gracchum, collegam, iterum tribunum, fregit[13], vir et oratione gravis, et auctoritate; eique proxime adjunctus C. Drusus[14] frater fuit. Tuus etiam gentilis[15], Brute, M. Pennus[16] facile agitavit in tribunatu C. Gracchum, paullum ætate antecedens. Fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quæstor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cum Q. Ælio consul fuit: sed omnia is[17] summa

11. *P. Decius*. Videtur oriundus a Deciis, qui *Mures* cognomine sunt dicti, et plebeii fuerunt, ut e lib. IX et X Livii cognoscitur, ubi Decios plebeios vocat, in quibus fuerunt illi, qui se pro patria devoverunt. Prætor fuit M. Æmilio Scauro et M. Cæcilio Metello coss. ut auctor libelli de Vir. ill. in Scauro docet. Corr.

12. *M. Drusus*. M. Livius Drusus, qui ob eximiam adversus Gracchos operam patronus senatus est dictus, ut ait in Tiberio (qui hunc Drusum inter majores suos numerabat) Suetonius. Tribunus enim plebis, ut refert Plutarchus, partes senatus est sequutus, et C. Graccho collegæ semper est adversatus. Consul ann. U. C. 642 cum L. Pisone fuit, et adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit, magnumque honorem tulit, quod Livius, lib. LXIII, scripsit. Corr. — Ejus Drusi filios de quo mox agitur, c. 62, quom vellet in tribunatu populi et patriciorum partibus simul satisfacere, occisus est. J. V. L.

13. *Iterum tribunum, fregit*. Libri omnes, *fecit*. Corradus conjecit *fregit*, recte. Tribunum enim Gracchum facere Drusus anno superiore non poterat, tum ipse candidatus, et ejus competitor, ut recte monuit in Fastis ad annum 631 amicus noster Pighius. Gaut. — *Fregit* placuit etiam Ernest. atque edidit Schützius.

14. *C. Drusus*. C. Livius Drusus, qui cum P. Africano consul anno U. C. 607 fuit. Corr.

15. *Gentilis*. Quod M. Junius Brutus ipse quoque, ut tu, sit appellatus; et ex eadem gente Junia, ex qua tu quoque, sit natus. Nos ita sentimus. Si quis tamen sententiam nostram minus probat, videat ille, quid viri eruditi hac ipsa de re scripserint, et in primis, quid dicat Bartholomæus Riccius in libello, quem hac de re scripsit, vir, quem nos multis nominibus observamus. Corr.

16. *M. Pennus*. M. Junius Brutus Pennus, qui tamen *Pœnus* a quibusdam scribitur: sed quum *Pœnus* cognomen Quintiorum fuerit, ut lib. IV, Livius ostendit, et hic *Pennus* semper scribatur, et pater hujus eodem modo in veteribus coss. legatur, nos nihil mutandum censemus. Corr.

17. *Sed omnia is summa*. « Sed is omnia summa », Gu. 1, 2. Sch.

sperans, ædilitius est mortuus. Nam de T.[18] Flaminino, quem ipse vidi, nihil accepi, nisi latine diligenter loquutum.

XXIX. (XXIX.) Iis adjuncti sunt C. Curio[1], M. Scaurus[2], P. Rutilius[3], C. Gracchus[4]. De Scauro et Rutilio breviter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem; et uterque[5] in multis causis versatus erat. In quibusdam[6] laudandis viris, etiamsi maximi ingenii non essent, probabilis tamen industria : quamquam iis quidem non omnino ingenium, sed oratorium ingenium defuit. Neque enim refert

18. *T. Flaminino.* T. Quintius Flamininus, qui cum Q. Metello consul fuit, ut dicetur infra, cap. 74. Plerique, et Corradus ipse, *Flaminium*, non *Flamininum*, scribunt : sed male, si Langium ac Lambinum audiamus in cap. 1 de Senectute. *Flamininus*, inquit Langius, Quintiorum cognomen est, qui patricii erant. *Flaminii* familiæ nomen, sed plebeiæ et sine cognomine. ANONYM.

XXIX. 1. *C. Curio.* C. Scribonius Curio, quem supra in ordine M. Scauro, P. Rutilio ac C. Graccho præposuerat. Hic pater fuit ejus, qui postea cum Cn. Octavio consul fuit : avus ejus, qui postea tribun. plebis, et tribunitius remp. Cæsaris causa perturbavit : de quibus suo loco dicetur, præsertim quum pater, filius et nepos oratores fuerint, ut auctor est Plinius, lib. VII, cap. 41. Et pater hic quidem de Orat. lib. II, ab Antonio dicitur fuisse eloquentissimus illis temporibus. CORR.

2. *M. Scaurus.* M. Æmilius Scaurus, qui cum M. Cæcilio Metello anno 639 consul fuit : etsi bis consul videtur fuisse. Hujus vitam auctor libelli de Viris illustribus breviter est complexus. CORR. — Qui Scaurus summis laudibus a Cicerone cumulatur, contra a Sallustio, Jugurth. 15, et Plinio, XXXVI, 15, minus bene audit. Vide Valer. Maxim. III, 7, ex quo colligas eum sua ætate existimatione publica fuisse decoratum. Vid. n. 12.

3. *P. Rutilius.* P. Rutilius Rufus, qui cum L. Manlio anno 649 consul fuit. Rutilum, inquit Sextus Pompeius, Rufum significat : hinc Rutilii Rufi videntur appellati : qui plebeii fuerunt, ut ostendit vel hic P. Rutilius, quem Cicero in orat. pro Plancio, et lib. I de Orat. tribunum pleb. fuisse demonstrat. CORR.

4. *C. Gracchus.* C. Sempronii Gracchi vitam apud Plutarchum vide.

5. *Et uterque.* Male hæc cohærent : « neuter summi or. laudem habuit, et uterque, etc. » Sine dubio Cicero scripsit *at uterque*, etc. ERNEST. — Cujus correctionem Schützius sequutus est.

6. *In quibusdam laudandis viris.* Nec illud rectum esse potest : nam sensum non habet ; sermo est enim de certis viris, Scauro et Rutilio. Corrigo, « in quibus, sane laudandis viris ». ERN. — Quem iterum Schütz. sequutus est.

videre, quid dicendum sit, nisi id queas solute et suaviter dicere: ne id quidem satis est, nisi id, quod dicitur, sit voce [7], vultu, motuque conditius. Quid dicam, opus esse doctrina? sine qua etiamsi quid bene dicitur, adjuvante natura, tamen id, quia fortuito fit, semper paratum esse non potest. In Scauri oratione, sapientis hominis et recti [8], gravitas summa, et naturalis quædam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, quum pro reo diceret [9].

Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sententiam, cujus erat ille princeps, vel maxime: significabat enim non prudentiam solum, sed, quod maxime rem continebat, fidem. Habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset: quamquam hujus quoque ipsius rei, quemadmodum scis, præcepta sunt. Hujus et orationes sunt, et tres ad L. Fufidium [10] libri, scripti de vita ipsius acta [11], sane utiles, quos nemo legit: at Cyri vitam et disciplinam legunt, præclaram illam quidem, sed neque tam rebus nostris aptam, nec tamen Scauri laudibus anteponendam [12]. Ipse etiam Fufidius in aliquo patronorum numero fuit.

7. *Sit voce.* Gu. 1, 2, Vict. « fit v. »

8. *Et recti.* Sic edidimus pro *tecti* cum Lambino, qui item in MSS repererat. Sed sic jam edd. Mediol. Ald. Junt. Non hic opus erat hanc virtutem commemorare. Hæc verba et in oratore confusa sunt, ut alibi. Ern. — Unus MS inter Regg. *lecti.* J. V. L.

9. *Quum pro reo diceret.* Hæc quæ absunt Gu. 1, 2, Schützius delevit.

10. *L. Fufidium.* Forte patrem illius Fufidii, equitis romani, quem L. Piso suis debitoribus addixit, ut in orat. in Pisonem scriptum est. Aliter *Fusidium*, ut Plinius, lib. XXXIII, c. 1, vocat. Corr. — Post *Fufidium* Schützius in parenthesi ponit verba « qui ipse etiam... fuit » quæ « sine qui » in vulgatis infra post *anteponendam* leguntur.

11. *De vita ipsius... sane utiles.* Seb. dat « de vita ipsius apte, ac sane utiles ». In Guelf. 1, « de vita ipsius apta sane ». Equidem, quum sit paullo inf. « neque tam rebus nostris aptam », Schützii correctionem in se parum utilem omnino rejiciendam puto.

12. *Nec tamen Scauri laudibus ante-*

XXX. (xxx.) Rutilius autem in quodam tristi et severo genere dicendi versatus est; et uterque[1] natura vehemens et acer. Itaque quum una consulatum petivissent, non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in judicium vocavit. Multaque opera, multaque industria Rutilius fuit; quæ erat propterea gratior, quod idem magnum munus de jure respondendi sustinebat. Sunt ejus orationes jejunæ; multa præclara de jure[2]: doctus vir, et Græcis literis eruditus, Panætii auditor, prope perfectus in stoicis; quorum peracutum et artis plenum orationis genus, scis tamen esse exile[3], nec satis populari assensioni accommodatum. Itaque illa, quæ propria est hujus disciplinæ, philosophorum de se ipsorum[4] opinio, firma in hoc viro et stabilis inventa est. Qui quum[5] innocentissimus in judicium vocatus esset (quo judicio[6] convulsam penitus scimus esse rempu-

ponendam. Inde forsan a Cicerone probatur, a Sallustio damnatur, quod semper nobilitati ardentissime studuit. In eo autem laudando Tacitus cum Cicerone consentit, vit. Agric. cap. 1. Vide not. 2.

XXX. 1. *Et uterque.* Scil. Rutilius et Scaurus.

2. *Multa præclara de jure.* Inclino ad legendum: « multa præclare de jure », scil. scripta, quod elegantius est. Ernest.

3. *Scis tamen esse exile.* Ita Gu. 1, 2, ed. Omnib. MSS Grut. Lallem. et fere omnes MSS Regii a J. V. L. collati. Vulgo « sed tamen exile », quod dedere Ald. Junt. Ernestius nostram lect. dicit non improbandam fore, si soleret Cicero in tali enumeratione ita alloqui unum ex auditoribus, non addito nomine.

4. *Philosophorum de se ipsorum opinio.* Schütz. corrigit « philosophorum de sapiente opinio », cf.que jubet de Orat. I, 52, 53; Paradox. V, 3; orat. pro Murena, cap. 29, 30.

5. *Qui quum.* Sic Victorius, recte. Vulgo, « Qui quamquam innocentissimus ». Sch.

6. *Quo judicio.* Quæ causa acta est anno 661. Rutilius in se odium equitum commoverat, quia adjuverat Scævolam augurem in coercendis rapinis *publicanorum*; quum eorum plerique in equitum numero essent, equitibusque judicia publica committerentur, ab iis Rutilius peculatus accusatus est, quorum peculatus represserat. Frustra a patriciis defensus, damnatus est ab iis equitibus, qui simul et reorum, et judicum partes impleruut. Pulsus in exsilium in Asiam secessit; et a Sulla

blicam), quum essent eo tempore eloquentissimi viri L. Crassus et M. Antonius consulares, eorum adhibere neutrum voluit : dixit ipse pro sese, et pauca C. Cotta, quod sororis [7] erat filius, et is quidem tamen ut orator; quamquam erat adolescens. Sed Q.[8] Mucius enucleate ille quidem et polite, ut solebat, nequaquam autem ea vi atque copia, quam genus illud judicii et magnitudo causæ postulabat. Habemus igitur in stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in [9] antiquis : utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne hæc quidem in civitate genera hac [10] oratoria laude caruerunt. Volo enim, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu [11] et difficili utan-

revocatus redire noluit, ne spectaculum laceratæ tantis calamitatibus patriæ videret. De hac causa vide Or. I, 53 et 54.

7. *Quod sororis erat filius.* Rutiliæ, de qua Seneca in Consol. ad Albinam ita scribit : « Rutilia Cottam filium sequuta est in exsilium, ut mallet exsilium pati, quam desiderium; nec ante in patriam quam cum filio rediit : eumdem jam reductum, et in rep. florentem tam fortiter amisit, quam sequuta est. Nec quisquam lacrimas ejus post elatum filium notavit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam». Hanc historiam Cicero, lib. XII ad Attic. quæsivit, et Atticus ipse dubitavit. Videtur tamen Cicero illam postea aliunde in suum librum de luctu minuendo transtulisse, unde Seneca sit mutuatus. Corr.

8. *Q. Mucius.* Q. Mucius Scævola, pontifex, qui Asiam sanctissime administravit, ut Valer. Max. lib. VIII, cap. ult. scribit. Quamquam nos augurem potius significari credimus. Id enim verba demonstrant, quibus hic et lib. de Orat. testatur, Rutilium a Q. Mucio nullo apparatu defensum fuisse : quod auguri convenit, quem supra dixit in oratorum numero non fuisse, ut hic etiam separat ab oratoribus, quum ostendit non ut oratorem dixisse : at Scævolam pontificem infra describit, et lib. I de Orat. vocat eloquentissimum. Verisimile item est ab eo defensum fuisse, cujus ipse quæstor fuisset. Corr.

9. *Scaurum in antiquis.* Int. nostris Romanis. Sane *Stoici* et *antiqui* oratores non satis commode opponi videntur, sed intelligendi, qui scil. philosophiam non cognoverant, et minus subtiliter disserebant, et sine illa subtilitate philosophorum. Corr.

10. *Ne hæc quidem in civitate genera hac oratoria laude.* Schützius dicit forte melius «ne hac quidem in civitate genera hæc orat.» scil. Stoicum et antiquum. Idem Schützius in seqq. delet *etiam* ante *in foro* cum ed. Omnib.

11. *Celeri motu et difficili. Motus difficilis* est, qui habet multum artis, argutus, venustus. Sed id verbum semper in vitio est, in tali quidem re. Et

tur, sed eos etiam, quos statarios[12] appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta[13].

XXXI. (XXXI.) Et quoniam stoicorum est facta mentio, Q. Ælius Tubero[1] fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat: paullo

tamen hic est in laude. Non sincerum verbum puto. Sed sine libris non occurrit, quod placeat. Ern.

12. *Quos statarios appellant.* Interpretatur Turnebus, Adversar. lib. I, cap. 10. Gaut. — Vox illa *statarios* lucem trahit a Terentii prolog. Heaut. ubi senex populum alloquitur: « ... date potestatem mihi *Statariam* agere ut liceat per silentium; Ne semper servus currens, iratus senex, Edax parasitus, sycophanta autem impudens, Avarus leno, assidue agendi sint mihi Clamore summo, cum labore maximo ». Inde patet voce *statarius* exprimi personam tranquillam et parum se moventem: atque ultimo versu explicantur optime verba illa « qui celeri motu et difficili utuntur », in quibus Iutt. hæserant, hos scilicet designant oratores qui, ut ait Cicero, Orat. I, 53, ingemunt, inclamant, dolent, queruntur, supplicant, pedem supplodunt, et quos optime diceres *motorios*. Donatus in notis citati loci e Terentio ait: « Duo agendi sunt principales modi, motorius et statarius, ex quibus ille tertius nascitur, qui dicitur mixtus ». Notabantur etiam comœdiæ, *motoriæ*, *statariæ*, *mixtæ*. *Motoriæ* sunt quas vocamus gallice *d'intrigue*; *statariæ*, *de mœurs*; mixtæ ex utroque genere confusæ. Ex his patet v. *statarios* quam Scauro et Rutilio Cic. applicat tum ad sententias eorum orationis, tum ad actum eorum pertinere. J. V. L.

13. *Simplex... veritas, non molesta.* *Molesta* est affectata, nimia arguta, quæ alias *difficilis* dici solet, sed conjeci legendum esse *molestia*: sic cap. 38, « sine molestia diligens elegantia »; cap. 91, « nihil habere molestiarum, nec ineptiarum ». Sane *veritas molesta* dici posse mihi non videtur, nec habet in hac re, de qua agitur, sensum ullum. Ern. — Guelf. 2, *non molestiæ s.*

XXXI. 1. *Q. Ælius Tubero.* Panætii auditor, Stoicorum doctrinam morum et orationis tristitiam suscepit cum dialectica subtilitate. Avita decora, et honores, honorum ipse contemptu longe superavit... Epulum enim P. Africani nomine pop. rom. quum daret Fab. Maximus, ipse rogatus est, ut triclinium sterneret, lectulos ligneos punicanus pellibus texit hædinis, et fictilia veterum pro argenteis vasis exposuit. Quam obsoletam jam frugalitatem populus mirari malebat, quam experiri, plusque apud eum valuit tenuis illius apparatus indignatio, quam Lucii Paulli Tuberonis avi, ejusque avunculi Africani merita: quibus hic in comitiis prætoriis justum suffragiorum numerum minime tulit. Doctrina juris præstitit omnibus quotquot ante se floruerunt. Scripsit historias, et librum de officio judicis ad Caium Oppium. Hunc vero consulem fuisse a nullo veterum, præter Pomponium, accepimus. Gravina, de ortu juris.

etiam durior; qui quidem in triumviratu[2] judicaverit contra P. Africani, avunculi sui, testimonium, vacationem[3] augures, quo minus judiciis operam darent, non habere. Sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus; itaque honoribus majorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis, et fortis, et in primis Graccho[4] molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio : sunt etiam in Gracchum, Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando.

— Tum Brutus, Quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis ! ut omnes fere stoici prudentissimi in disserendo sint, et id arte faciant, sintque architecti pæne verborum; iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiantur. Unum excipio Catonem, in quo, perfectissimo stoico, summam eloquentiam non desiderem; quam exiguam in Fannio, ne in Rutilio quidem magnam, in Tuberone nullam video fuisse.

— Et ego, Non, inquam, Brute, sine causa; propterea quod istorum in dialecticis omnis cura consu-

2. *In triumviratu*. Alii triumviri fabricandis monetis, alii curandis carceribus qui appellabantur triumviri capitales, alii distribuendis agris præponebantur : nec liquet quorum ex numero fuerit Tubero. Schützius proponit *tribunatu*.

3. *Vacationem*. Q. Tubero judicavit augures vacationem non habere, quo minus judiciis operam darent. Tempore certe Ciceronis non videntur habuisse : nam Cicero ipse, quum esset augur, verebatur tamen, ne sors de judicatu suo educeretur, ut ad Attic. lib. XII, videre possis. Q. igitur Tubero contra P. Africani testimonium judicavit, augures cogi posse, ut judices fierent, et sic judiciis operam darent : quod hujus rei nullam vacationem haberent. Corr. — Vide *Beaufort*, Rep. Rom. lib. V, cap. 2, quibus de causis excusari possent, ne judicum muneribus fungerentur.

4. *Graccho*. Tiberiumne an Caium significet vix sciri potest : nisi quia potest Tiberium significari, quod ejus mentio supra sit facta suo loco, et ea dicta, quæ fuerunt dicenda; Caius vero in suum locum dilatus. Nec ego contendam, si quis hunc dicat esse Caium, vel ob id, quod Cicero sæpe Gracchum, quum sine prænomine dicit, Caium ut lib. III de Orat. significet. Corr.

mitur; vagum illud orationis, et fusum, et multiplex non adhibetur genus. Tuus autem avunculus[5], quemadmodum scis, habet a stoicis id, quod ab illis petendum fuit; sed dicere didicit a dicendi magistris, eorumque more se exercuit. Quod si omnia a philosophis essent petenda, peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio. Quo magis tuum, Brute, judicium probo, qui eorum [id est, ex vetere academia] philosophorum sectam sequutus es[6], quorum in doctrina atque præceptis disserendi ratio conjungitur cum suavitate dicendi et copia : quamquam ea ipsa peripateticorum academicorumque consuetudo in ratione dicendi talis est, ut nec perficere oratorem possit ipsa per sese, nec sine ea orator esse perfectus. Nam ut stoicorum adstrictior est oratio, aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt; sic illorum liberior et latior, quam patitur consuetudo judiciorum et fori. Quis enim uberior in dicendo Platone? Jovem sic aiunt philosophi[7], si græce loquatur, loqui. Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? Lecti-

5. *Tuus autem avunculus, quemadmodum scis.* M. ipse Cato, Uticensis, Serviliæ matris tuæ frater, ut Cicero, de Fin. lib. III, et Plut. in Bruto scribit. Dicit *scis*, ut sororis scilicet filius, ipsius in Cypro comes, et tandem gener, ut Plut. ostendit. Sic de Fin. lib. III : « Erat, ut scis, in Catone inexhausta aviditas legendi ». Corr.

6. *Id est, ex vetere academia philosophorum.* Istud totum esse alienum, neque adeo ipsius Tullii autumat Lambinus; injuste : distinguit enim veteres Peripateticos, qui iidem Socratici, a novis, ut semper. Gulielm. — Si quis hæc servari velit, sic interpungat : « qui eorum, i. e. ex vet. academia philosophorum ». Ego « i. e. ex vet. acad. » uncis inclusi : nam hæc quidem sunt spuria, et e glossa, quia sunt plane alieno loco, deberentque esse post *copia*. Ern. — Schütz. eadem verba omnino delevit.

7. *Jovem sic aiunt philosophi, si gr. loq. loqui.* Ernest. dat « Jovem, aiunt philosophi si gr. loq. sic loqui ». Hæc lectio, inquit, in libros vulgatos venit a Rivio, qui non dixit unde haberet. Sed verum puto. In ed. Med. Ald. Junt. est *sicut aiunt.* Melanchthon delevit *sicut*, et in fine scripsit *sic loqui*. Hinc videtur Rivius sumpsisse. Sed alii fecere, « sic, ut aiunt philos. ... loqui », quæ deinde recepta lectio fuit. Ern.

tavisse Platonem studiose, audivisse etiam Demosthenes dicitur; idque apparet ex genere et granditate verborum : dicit etiam in quadam epistola[8] hoc ipse de sese. Sed et hujus oratio in philosophiam translata, pugnacior, ut ita dicam, videtur[9], et illorum in judicia, pacatior.

XXXII. (XXXII.) Nunc reliquorum oratorum ætates, si placet, et gradus persequamur. — Nobis vero, inquit Atticus, et vehementer quidem, ut pro Bruto etiam respondeam. — Curio fuit igitur ejusdem ætatis fere, sane illustris orator, cujus de ingenio ex orationibus ejus existimari potest. Sunt enim et aliæ, et pro Ser. Fulvio de incestu[1], nobilis oratio. Nobis quidem pueris, omnium optima putabatur, quæ vix jam comparet in hac turba novorum voluminum.

— Præclare, inquit Brutus, teneo, qui istam turbam voluminum effecerit. Et ego, inquam, intelligo, Brute, quem dicas; certe enim et boni aliquid attulimus juventuti, magnificentius, quam fuerat, genus dicendi, et ornatius; et nocuimus fortasse, quod veteres orationes post nostras, non a me quidem (meis enim illas antepono), sed a plerisque legi sunt desitæ. — Enumera[2], inquit, me in plerisque : quam-

8. *In quadam epistola*. In his, quæ exstant, nihil tale reperitur. Et de tota re dubitat Corradus, an tale quid in epistolis scripserit Demosthenes, aut Cicero recte, quæ dixerat, perceperit. Rationes sunt a silentio Plutarchi, Laertii et Gellii. Ern.

9. *Pugnacior, ut ita dicam, videtur*. Debet esse *videatur* : nam Cicero dicit, non, quid jam videatur : nec enim erant illa genera dicendi recepta, nec Demosthenis in philosophiam, nec philosophorum in judicia; sed quid futurum sit, si recipiantur : in quo necessarium est *videatur*. Ernest.

XXXII. 1. *De incestu*. Cœlius commentator putat agi h. l. de crimine Vestalium trium Æmiliæ, Marciæ et Liciniæ, amissæ pudicitiæ rearum : a collegio pontificum sola Æmilia est damnata. Sed quum quæstio extraordinaria a populo esset constituta, cui præerat Cassius, de quo mentio fit c. 25, prius judicium est abolitum, omnesque damnatæ sunt.

2. *Enumera me*. Prima in *enumera* potuit a finali præcedentis adhærescere. Ab ed. Ven. Med. abest *me*. An

quam video mihi multa legenda jam te auctore, quæ antea contemnebam.

— Atqui hæc, inquam, de incestu laudata oratio, puerilis est locis multis : de amore, de tormentis, de rumore, loci sane inanes ; verumtamen, nondum tritis nostrorum hominum auribus, nec erudita civitate, tolerabiles. Scripsit etiam alia nonnulla, et multa dixit, et illustria [3], et in numero patronorum fuit : ut eum mirer, quum et vita suppeditavisset, et splendor ei non defuisset, consulem non fuisse.

XXXIII. (XXXIII.) Sed ecce in manibus vir, et præstantissimo ingenio, et flagranti studio, et doctus a puero, C. Gracchus. Noli enim putare, quemquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse. — Et ille, Sic prorsus, inquit, existimo ; atque istum de superioribus pæne solum lego. — Immo plane, inquam, Brute, legas censeo. Damnum enim illius immaturo interitu res romanæ latinæque literæ fecerunt. Utinam non tam fratri pietatem, quam patriæ, præstare voluisset! quam ille facile tali ingenio, diutius si vixisset, vel paternam [1] esset, vel avitam gloriam consequutus! Eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem. Grandis est verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis : manus extrema non accessit operibus ejus [2]; præclare inchoata multa, perfecta non plane. Legendus, inquam, est hic orator, Brute, si quisquam alius, juventuti : non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest.

fuit « me numera in plerisque », quod est efficacius et venustius, meo quidem sensu. Ern. — Sch. dedit *Annumera*, cum Gu. 1.

3. *Et multa... et illustria, et in numero patronorum fuit*. Sch. dedit : « et multum dixit, et illustrium in numero patronorum fuit : ut, etc. »

XXXIII. 1. *Paternam*. Filius erat Sempronii Gracchi de quo mentio fit cap. 20. — *Avitam*. Nepos erat prioris Africani.

2. *Operibus ejus*. Schutz. delet *ejus* cum Gu. 1.

(XXXIV.) Huic successit ætati C. Galba[3], Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et jurisperiti gener. Laudabant hunc patres nostri, favebant etiam propter patris memoriam; sed cecidit in cursu. Nam rogatione Mamilia[4], Jugurthinæ conjurationis invidia, quum pro sese ipse dixisset, oppressus est. Exstat ejus peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam edisceremus[5]. Hic, qui in collegio sacerdotum esset, primus post Romam conditam judicio publico est condemnatus.

XXXIV. P. Scipio[1], qui est in consulatu mortuus, non multum ille quidem, nec sæpe dicebat, sed et latine loquendo cuivis erat par, et omnes sale facetiisque superabat. Ejus collega L. Bestia[2] bonis initiis orsus tribunatus (nam P. Popillium vi C. Gracchi expulsum sua rogatione restituit), vir et acer, et non

3. *C. Galba.* C. Sulpicius Galba, de quo nil scriptum invenio, præter hoc ipsum, quod hoc loco scribit Cicero. Corr.

4. *Rogatione Mamilia.* Sic rescripsi sine hæsitatione hic et paulo post pro vulgato *Manilia.* Vid. Sallust. Jug. 13, cap. 40, et ibi Cort. ubi par confusio in libris est. Ern. — *Rogatione.* Uti quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent, itemque, qui de pace aut bello cum hostibus pactiones fecissent, ut scribit Sallustius. Corr.

5. *Edisceremus.* Sic pro *disceremus* dedimus, ex edd. Ven. Med. Ald. Junt. quamquam *disceremus* idem significare potest. Nam Legg. II, 23, Cicero dicit, leges XII Tabb. « didicisse ut carmen ». Sed libros vett. sequutus sum: et nescio quomodo hic melius est, meo sensu; cui semper in hoc verbo adhæsi. Ern.

XXXIV. 1. *P. Scipio.* P. Cornelius Scipio Nasica, P. illius qui Tiberii Gracchi conatus perditos vindicavit, filius, ut de Offic. lib. I, dicitur: qui cum L. Calpurnio Bestia consul fuit anno 643. Corr.

2. *Ejus collega L. Bestia bonis initiis orsus*, etc. L. Calpurnius Bestia, qui consul bellum cum Jugurtha gerere jussus, pacem cum eo injussu populi et senatus fecit, ut Livius, lib. LXIV, scripsit, quod ipse quoque, ut Sallustius ostendit, pecunia fuisset a rege corruptus: qui postea, ut ex lib. II de Orat. cognoscitur, a C. Memmio fuit accusatus. Fuit autem consul cum P. Cornelio Scipione Nasica, anno U. C. 643. Corr.

indisertus, tristes exitus habuit[3] consulatus. Nam invidiosa lege Mamilia [quæstio[4]] C. Galbam sacerdotem, et quatuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque præstantissimum L. Opimium[5], Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani judices[6] sustulerunt. Hujus dissimilis in tribunatu, reliquaque omni vita, civis improbus C. Licinius Nerva[7] non indisertus fuit. C. Fimbria[8] temporibus iisdem fere, sed longius ætate provectus, habitus est

3. *Tristes exitus habuit.* Schützius dat cum Gn. 1 : « tristes habuit exitus consulatus ».

4. *Invidiosa lege Mamilia quæstio.* Lambinus sustulit vocem *quæstio*, quæ tamen in Pal. et Cujac. retinebatque Gulielmius, et expressit P. Man. GAUT. — *Quæstio* mihi delenda videtur : nam nominativus, unde omnia pendent, est *judices*. Unum remedium est, si post *sacerdotum* intelligas *sustulit* ex ultimo *sustulerunt* : quod esse valde durum, omnes vident. Adscriptum fuit in margine, aut supra lineas *quæstio* : inde in textum venit. Interea uncis inclusi. ERN. — Sch. dedit cum Bipontinis, « invidiosa lege Mamilia quæstione ». Schneider. epist. ad Langer. pag. 28, legendum putat *de quæstione*.

5. *L. Opimium.* Qui prætor et consul maximis remp. periculis liberavit, ut in orat. in Pisonem dicitur. Nam prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit, ut scripserunt Liv. lib. LX, et Ascon. in orat. in Pisonem. Consul vero L. Opimius cum Q. Fabio Maximo, anno U. C. 633, C. Gracchum interfecit. Hic est Opimius, a quo celeberrimum Opimiani vini nomen est; de quo Cicero infra meminit, Paterculus lib. II; Plin. lib. XIV, cap. 4. Credimus Opimiorum cognomen Pansam fuisse, quod Liv. lib. XL, Opimium Pansam quæstorem agnoscat. CORR.

6. *Gracchani judices.* Tum judices in senatorio ordine sumebantur : C. Gracchus anno 630 judicia ad equestrem ordinem transtulit, qua potestate equites etiam post defunctum Gracchum patricio ordini restiterunt. Vid. Plut. in vita Gracchorum.

7. *C. Licinius Nerva.* Credimus hunc esse, quem Varro, de Re Rust. lib. II, c. 4, scribit in Macedonia prætorem fuisse. Nerva porro fuit cognomen Liciniorum, Cocceiorum, et Siliorum, ductum a *nervis*, id est, a robore, ut quidam scribunt. CORR.

8. *C. Fimbria.* C. Flavius Fimbria. In consulibus enim, apud Paterculum, Frontinum, et alios ita legitur. Et Flavii quidam plebeii fuerunt, ut vel hic C. Flavius Fimbria ostendit, qui tribunatum plebis petiit, et repulsam tulit, sed postea consul, ut ait in orat. pro Plancio, factus est, et quidem anno U. C. 650. Quin Cicero in oratione pro Cluentio C. Flavium Pusionem inter robora populi romani tempore M. Drusi fuisse scribit. CORR.

sane, ut ita dicam, truculentus[9] patronus, asper, maledicus, genere toto paullo fervidior, atque commotior; diligentia tamen, et virtute animi, atque vita, bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus, nec rudis in jure civili, et quum virtute, tum etiam ipso orationis genere liber : cujus orationes pueri legebamus, quas jam reperire vix possumus.

Atque etiam ingenio, et sermone eleganti, valitudine incommoda, C. Sextius Calvinus[10] fuit; qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non sæpe faciebat. Itaque consilio ejus, quum volebant, homines utebantur; patrocinio, quum licebat. Iisdem temporibus M. Brutus[11], in quo magnum fuit, Brute, dedecus[12] generi vestro, qui, quum tanto nomine esset, patremque optimum virum habuisset et juris peritissimum, accusationem factitaverit, ut Athenis Lycurgus : is magistratus non petivit, sed

9. *Ut ita dicam, truculentus patronus.* Vavassori suspectus est locus, quod nulla ratio sit, quare addatur, « ut ita dicam ». Sed hoc leve est. Emollit tropum in *luculentus*, ut supra in *pugnacior*, cap. 31 extr. Vicissim Pigbio et Grutero paullo post « tolerabilis patronus », quia paullo ante nomen patroni occurrit. Ego hic nihil vitii esse credo : « bonus auctor in senatu; item tolerabilis patronus » : nam sic interpungendum. Sed in primo loco *patronus* delendum est, quod ex inepta glossa in textum venit : patronus qualis fuerit, post dicitur. Sed illa glossa in textum illata peperit, ut arbitror, *luculentus*. Quod de patrono commode dicitur, sed non de persona, ut cetera, *asper, maledicus*, etc. credoque Ciceronem scripsisse « habitus est sane, ut ita dicam, truculentus » : quod ceteris optime convenit, et quia proprie de sensibilibus dicitur, de habitu oris, propterea indigebat illa emollitione. Ern. — Sch. dat « truculentus accusator ».

10. *C. Sextius Calvinus.* De hoc nos adhuc nihil reperire potuimus, nisi forte putet aliquis, eum esse quem Cicero, de Orat. lib. II, luscum fuisse refert. Corr.

11. *M. Brutus.* Int. *fuit*, quod omisit paullo durius, sed ne bis poneretur. — Quem graphice describit Cicero, de Orat. lib. II, cap. 55. Paust.

12. *Dedecus generi vestro.* Rivius ait exstare in ed. romana *vulnus.* Pal. et Cujac. præferunt « fuit genus genere v. » quod quid sibi velit, ignoro: scio *onus* aliquando degenerasse in *genus* : id an hic locum habeat, viderint otiosiores. Gaut. — Lectionem *vulnus* Ernestio improbatam Schütz. recepit ut exquisitiorem.

fuit accusator vehemens, et molestus, ut facile cerneres naturale[13] quoddam stirpis bonum degeneravisse vitio depravatæ voluntatis. Atque eodem tempore accusator de plebe L. Cæsulenus[14] fuit, quem ego audivi jam senem, quum ab L. Sabellio multam lege Aquillia de injuria[15] petivisset. Non fecissem hominis pæne infimi mentionem, nisi judicarem, qui suspiciosius aut criminosius diceret, audivisse me neminem.

XXXV. Doctus etiam Græcis T. Albucius[1], vel potius, pæne Græcus : loquor, ut opinor; sed licet ex orationibus judicare. Fuit autem Athenis adolescens; perfectus Epicureus evaserat, minime aptum ad dicendum genus. (XXXV.) Jam Q. Catulus[2], non antiquo illo more, sed hoc nostro (nisi quid fieri potest perfectius) eruditus : multæ literæ, summa non vitæ solum, atque naturæ, sed orationis etiam comitas : incorrupta quædam Latini sermonis integritas; quæ perspici quum ex orationibus ejus potest, tum facil-

13. *Naturale.* Cujacii chartaceus, *natale.* Ern.

14. *L. Cæsulenus.* Opinor *Cæsidienus* scribendum esse; nam a Cæsio Cæsidius, ut a Jusio Jusidius, et inde Cæsidienus, ut a Nasidio Nasidienus, deductum est. Urs. — De quo nihil se reperisse Corradus dicit.

15. *Lege Aquillia de injuria.* Consentiunt libri in lectione *de justitia*, quam Ern. edidit, confessus tamen sibi placere correct. Lambini et Man. « de injuria » : *injuria* verum est : lex enim hujus Aquillii fuit « de damno injuria illato ».

XXXV. 1. *T. Albucius.* Eques romanus, admodum levis, et morum peregrinitate odiosus, Sardiniam prætor obtinuit, anno U. C. 649. Quum sibi non exspectato senatus judicio triumphum arrogasset homo vanissimus, ejus temeritas supplicatione denegata notata est. Paust. — Vid. Cic. Fin. I, 4.

2. *Jam Q. Catulus, non antiquo illo more*, etc. Q. Lutatius Catulus cum C. Mario anno U. C. 652 consul fuit, et cum eodem Mario de Cimbris triumphavit, ut scribit Plutarchus. Postea vero in civili bello victor Marius, necessariis Q. Catuli deprecantibus, non semel respondit : *moriatur*, ut Cicero, Tusc. V, refert. Vita igitur se ipse privavit, ut Valer. Max. lib. IX, cap. 12, scribit, recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo. De hac re videndus etiam Paterculus. Coaa.

lime ex eo libro, quem de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis, misit ad A. Furium poetam, familiarem suum : qui liber nihilo notior est, quam illi tres, de quibus ante dixi, Scauri libri.

— Tum Brutus, Mihi quidem nec iste notus est, nec illi; sed hæc mea[3] culpa est; numquam enim in manus inciderunt. Nunc autem et a te sumam, et conquiram ista posthac curiosius.

— Fuit igitur in Catulo sermo Latinus; quæ[4] laus dicendi non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est : nam de sono vocis, et suavitate appellandarum literarum, quoniam filium cognovisti[5], noli exspectare quid dicam. Quamquam filius quidem non fuit in oratorum numero, sed non deerat ei tamen in sententia dicenda quum prudentia, tum elegans quoddam et eruditum orationis genus. Nec habitus est tamen pater ipse Catulus princeps in numero patronorum; sed erat talis, ut, quum quosdam[6] audires, qui tum erant præstantes, videretur esse inferior;

3. *Sed hæc mea culpa est.* Rivius et Lamb. corrigunt *nec*, ut sit sententia : illi libri mihi non sunt noti, sed nec mea culpa est : numquam enim in manus inciderunt meas, quod illi sese ultro ad legendum offerre debuerunt, quod sine joco ita frigide dicitur, ut ne cum joco quidem satis probem, malimque libros veteres sequi, in quibus est scriptum : « sed hæc mea c. e. » Corrad. — Ernestius contra dicit vulgatum *hæc* non convenire sequentibus : « numquam enim in manus inciderunt » : quæ a culpa liberant Brutum, Riviumque verum vidisse. Sch. Rivium sequutus est, jam præeunte Aldo.

4. *Quæ laus dicendi.* Ed. Roman. apud Rivium *in dicendo* : quod sane placet : quamquam et vulgatum bene latinum est. Sic supra cap. 13 : « brevitas laus est in aliqua parte dicendi ». Ern. — Schütz dedit « quæ laus in dicendo ».

5. *Filium cognovisti.* Q. Lutatium Q. F. Catulum qui fuit consul cum M. Æmilio Lepido, anno U. C. 677, quo tempore M. Lepidus, quum acta Sullæ tentaret rescindere, bellum excitavit, et ab ipso Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia frustra bellum molitus, periit. Corr.

6. *Ut, quum quosdam audires.* Sch. dat « ut, si cum iis audires », sequutus correctionem Schneideri in ep. ad Langerum.

quum autem ipsum audires sine comparatioue, non modo contentus esses, sed melius non quæreres. Q. Metellus Numidicus[7], et ejus collega M.[8] Silanus, dicebant de republica quod esset illis viris et consulari dignitati satis. M. Aurelius Scaurus[9] non sæpe dicebat, sed polite; latine vero in primis est eleganter loquutus. Quæ laus eadem in A. Albino[10] bene loquendi fuit. Nam flamen Albinus etiam in numero est habitus disertorum. Q. etiam Cæpio[11], vir acer, et

7. *Q. Metellus Numidicus.* Q. Cæcilius Met. Num. quem Cicero Famil. lib. I, et in orat. pro Corn. Balbo L. filium vocat, qui consul cum M. Silano anno U. C. 645, quum duobus præliis Jugurtham fudisset, et universam Numidiam vastasset, triumphavit, et *Numidicus* est appellatus. Multa de eo passim Cicero, qui cum hoc uno potissimum se conferre solet, quod uterque in exsilium fuerit actus, et postea in civitatem restitutus, sed ita tamen, ut rem suam præferat. Hic Metellus adolescens Athenis Carneadem jam affectum senectute multos dies audivit, ut L. Crassus ejus familiaris de Orat. lib. III, testatur. Itaque ut docto doctus Archias illi jucundus erat, ut in orat. pro Archia scriptum videmus. Ob id hic a Cicerone et a Paterculo lib. II inter oratores numeratur. Corr.

8. *M. Silanus.* Hic est M. Junius Silanus, qui adversus Cimbros infeliciter pugnavit, ut Liv. lib. XXV, et Asc. in orat. pro Cornelio scribunt: quamvis Eutropius dicat Cimbros ab eo in Italia victos fuisse. Hic plures leges, quibus militiæ stipendia minuebantur, abrogavit, quod Ascon. ibid. refert. Corr.

9. *M. Aurelius Scaurus.* Is est M. Aurelius Scaurus, quo postulante, quod is Ephesi se quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quominus e fano Dianæ servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus Romam evocatus est, quod actor injuriæ illius fuisse argueretur : ut Verrin. III relatum est. Huic nominis deferendi in L. Flaccum potestas non est data, quod quæstor ejus fuisset. Corr.

10. *A. Albino.* Sp. Albini, ut nos putamus, fratre; qui quum esset in Africa legatus, proprætor ab eo relictus, infeliciter prælio adversus Jugurtham gesto conflixit, pacemque etiam multum ignominiosam adjecit, quam quidem minime esse servandam senatus censuit, ut Liv. lib. LXIV scriptum reliquit. Ob eam causam nos credimus eum post fratris consulatum annos decem jacuisse, ac tandem cum M. Antonio consulem anno U. C. 655 factum fuisse; cujus consulatus Cicero in orat. post reditum ad Quirit. Plin. lib. VIII, cap. 7, et Gell. lib. IV, cap. 7, meminerunt; nisi forte quis alium Albinum fuisse putet. Corr.

11. *Q. etiam Cæpio.* Q. Servilius Cæpio cum C. Atilio Serrano consul anno U. C. 648 fuit, et ut scribit Cassiodor. judicia equitibus et senato-

fortis, cui fortuna belli, crimini; invidia populi, calamitati fuit.

XXXVI. Tum etiam C. et L. Memmii[1] fuerunt oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi : itaque in judicium capitis multos vocaverunt, pro reis non sæpe dixerunt. Sp. Thorius[2] satis valuit in populari genere dicendi, is, qui agrum publicum, vitiosa et inutili lege, vectigali levavit. M. Marcellus, Æsernini pater[3], non ille quidem in patronis, sed et[4] in promptis tamen et non inexercitatis ad dicendum,

ribus communicavit : quam rem Cicero, de Inv. lib. 1, significavit. Hic proconsul, vel, ut est apud Gellium, consul, capta urbe Gallorum, cui nomen est Tolosæ, centum M. ponderis auri, et argenti CX. M. a templo Apollinis sustulit : quod quum ad Massiliam amicam pop. romano urbem, cum præsidiis misisset, interfectis clam (sicut quidam contestantur), quibus ea custodienda et pervehenda commiserat, cuncta per scelus furatus fuisse narratur. Unde etiam magna quæstio post Romæ est acta, ut apud Orosium, lib. V, c. 15, legimus. Vid. Gell. lib. III, cap. 9, et Strab. lib. IV. Corr.

XXXVI. 1. *C. et L. Memmii.* Memmii a Mnestheo Trojano dicti, ut poeta, lib. V, 127, sic ostendit : « Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi » : qui plebei fuerunt, ut tribunatus ostendunt, et Cicero, ep. ad Att. l. IV, 16, testatur. Memmii tamen a Lucretio, lib. I, *clara propago* vocatur. Corr. — C. Memmius Gallus, trib. plebis anno U. C. 643, Jugurtham reum pro concione fecit. Vide hujus orationem apud Sall. Jug. cap. 31. Anno 653, in sexto Marii consulatu, a Saturnino occisus est in comitiis consularibus. L. Memmius tribunus plebis fuit quatuor annos post C. Memmii tribunatum. Vide App. Bell. Civ. I; Cic. ad quart. Catil. Epit. Liv. 69.

2. *Sp. Thorius.* Tribunus plebis, anno 647. De lege Thoria vid. de Orat. lib. I, c. 36.

3. *M. Marcellus, Æsernini pater.* M. Claudius Marcellus. Fuerunt vero duæ familiæ Claudiæ : ea, quæ Marcellorum appellata est, plebeia : quæ Pulchrorum, patricia, ut Asconius in orat. pro Scauro, et Sueton. in Tiberio docent. Hic videtur esse Marcellus, de quo L. Crassus, de Orat. lib. 1, loquitur. Quia deditus erat eloquentiæ studiis, hic illum Cicero inter oratores ponit : quamquam dubitari potest, quum ante L. Crassum collocet. Ille enim L. Crasso multo erat junior. Quare fortasse sit ille Marcellus, qui cum L. Crasso ipse gessit inimicitias; et in quem testimonium dixit, ut orat. pro Font. refertur. Filius ejus forte Æserninus est appellatus, quod patrem cum Æsernia captum liberarit, ut ex Livii lib. LXXIII conjicere licet. Corr.

4. *Sed et in promptis.* Schötzius delet *et* cum ed. Omnib. Idem ante *pa-*

fuit; ut filius ejus, P. Lentulus [5]. L. etiam [6] Cotta, prætorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria, quum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur [7] atque imitabatur antiquitatem.

(XXXVI.) Atque ego et in hoc ipso Cotta, et in aliis pluribus, intelligo, me non ita disertos homines et retulisse in oratorum numerum, et relaturum. Est enim propositum colligere eos, qui hoc munere in civitate functi sint, ut tenerent oratorum locum : quorum quidem quæ fuerit ascensio [8], et quam in omnibus rebus difficilis optimi perfectio atque absolutio, ex eo, quod dicam, existimari potest. Quam multi enim jam oratores commemorati sunt, et quam diu in eorum enumeratione versamur, quum tamen spisse [9], atque vix, ut dudum ad Demosthenem et Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumque pervenimus? Nam ego sic existimo, hos oratores fuisse maximos, et in his primum cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam.

XXXVII. (XXXVII.) Omnia veniebant Antonio in

tronis, quod præcedit, addit *magnis*.

5. *Ut filius ejus, P. Lentulus.* Dubitari posse video quo pacto, quum et Marcellus esset ipse, et Marcelli Æserníni pater esset, nunc etiam P. Lentulum filium habere dicatur; quum Claudia et Cornelia gentes sint diversæ. Sed hic aliqua fuerit adoptio necesse est, ut vel hic P. Lentulus, quum esset prius Claudius Marcellus, ut Claudii Marcelli filius, ab aliquo Cornelio Lentulo fuerit adoptatus, et ita P. Cornelius Lentulus appellatus: vel certe M. ipse Marcellus pater, postquam jam Marcellum Æserninum habuerat filium, in Corneliam familiam sit adscitus, et Cn. Cornelius Lentulus Clodianus sit appellatus, qui fuerit consul anno U. C. 657, cujus postea filius hic P. Lentulus fuerit. Corr.

6. *L. Cotta.* L. Aurelius Cotta, quæstor anno 654, octavo post anno prætor. Pavst. — Illius, ut puto filius, qui anno 610 fuit consul. Corr.

7. *Prosequebatur.* Sch. *persequebatur*, ut Gu. 2. *Subsequebatur* Gu. 1.

8. *Ascensio.* Sic ex MS Rivio, firmatque Pal. noster. Vulgo erat *assensio*. Grut.

9. *Spisse.* Id est, per turbam oratorum mediocrium.

mentem[1]; eaque suo quæque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, ut ab imperatore equites, pedites, levis armatura, sic ab illo in maxime opportunis orationis partibus collocabantur. Erat memoria summa, nulla meditationis suspicio; imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur; sed ita erat paratus, ut judices, illo dicente, nonnumquam viderentur non satis parati ad cavendum fuisse. Verba ipsa, non illa quidem elegantissimo sermone; itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen est admodum inquinate loquutus; sed illa[2], quæ[3] proprie

XXXVII. 1. *A. in ment.* M. Antonius, quum esset prætor, vel potius consul designatus, quo anno Saturninus est interfectus, extra urbem cum præsidio fuit (orat. pro C. Rabirio). Anno sequenti, id est, 655, cum A. Posthumio Albino consul fuit (Orat. post reditum ad Quir.) Deinde proconsul in Ciliciam est profectus (de Orat. lib. I et II, ubi etiam censor fuisse dicitur): fuit etiam legatus, ut infra dicitur. Hunc Cicero de Orat. lib. II, putat nullius rei, quæ quidem esset in his artibus, de quibus aliquid existimare ipse posset, rudem aut ignarum fuisse: sed quia nolebat ipse videri didicisse, opinio fuit, illum omnino omnis eruditionis expertem, atque ignarum fuisse, usque adeo, ut ne tabulas quidem conficere existimaretur, ut de Orat. lib. eodem II, scribitur: quæ fuit opinio falsa, Verr. 1, quamvis Asconius alium Antonium significari male putet. Ipse M. Antonius, de Orat. lib. I, se literas græcas sero ac leviter attigisse testatur. Eas vero sic attigit, ut quum, de Orat. lib. II, historicos græcos nominasset, ac scienter et proprie de unoquoque dixisset, ita Cæsar exclamarit, ubi sunt, qui Antonium græce negant scire? Jus certe civile affirmat ipse, neque se umquam didicisse, neque tamen in his causis, quas in jure posset defendere, umquam istam scientiam desiderasse. Nihil se arbitratur ad judicia causasque amicorum, præter fidem et ingenium, afferre oportere (Div.) et quascumque causas erat acturus, eas diligenter penitusque volebat cognoscere, id quod omnibus faciendum ipse de Orat. lib. II, præcipit. Cicero, Tusc. V, scribit Cinnam jussisse caput M. Antonii præcidi, quum Plutarchus et Appianus affirment id jussu Marii factum fuisse; sed Val. Max. lib. VIII, cap. 9, demonstrat utrumque verum fuisse; caput certe M. Antonii abscisum suis manibus Marius inter epulas per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu tenuit, quod Valer. Max. lib. IX, cap. 2; Liv. LXXX; Flor. lib. III, cap. 21, et Lucan. lib. II scripserunt. Libellum unum reliquit, in quo dixit illud, quod refertur in Oratore, ac de Orat. lib. I et II: « Disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem ». Corr.

2. *Sed illa.* Subaudi *laude caruit.*

3. *Quæ proprie.* Lambin. exhibet *quæ propria.*

laus oratoris est in verbis. Nam ipsum latine loqui, est illud quidem, ut paullo ante dixi, in magna laude ponendum; sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum: non enim tam præclarum est scire latine, quam turpe nescire; neque tam id mihi oratoris boni, quam civis romani proprium videtur. Sed tamen Antonius in verbis et eligendis (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis), et collocandis, et comprehensione[4] devinciendis, nihil non ad rationem, et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus. Quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps judicatus. Σχήματα enim quæ vocant Græci, ea maxime ornant oratorem[5]; eaque non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis.

XXXVIII. Sed quum hæc magna in Antonio, tum actio singularis: quæ si partienda est in gestum atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententiis congruens; manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis sententiisque[1] consentiens; vox permanens, verum subrauca natura. Sed hoc vitium huic uni in bonum convertebat. Habebat enim flebile quiddam in questionibus[2], aptumque quum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commovendam: ut verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt ei, qui quæsivisset, quid primum esset in dicendo, actionem; quid secundum, idem, et idem tertium, respondisse. Nulla

4. *Comprehensione*. Gu. 102, *compressione*. Sch.

5. *Oratorem*. Sch. *orationem*.

XXXVIII. 1. *Cum verbis sent*. Sch. corrigit « cum rebus sent. » Si scire velis quæ fuerit apud antiquos actio oratoria, lege Quint. lib. XI, c. 3.

2. *Questionibus*. Alii, ut Lambin. *conquestionibus*; alii, ut Gothof. *quæstionibus*. Sch.

res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt[3].

(xxxviii.) Huic alii parem esse dicebant, alii anteponebant L. Crassum[4]. Illud quidem certe omnes ita judicabant, neminem esse, qui, horum alterutro patrono, cujusquam ingenium requireret. Equidem, quamquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius. Erat summa gravitas; erat cum gravitate junctus facetiarum et urbanitatis oratorius, non scurrilis, lepos; latine loquendi accurata, et sine molestia diligens elegantia; in disserendo mira explicatio; quum de jure civili, quum de æquo et bono disputaretur, argumentorum et similitudinum copia.

XXXIX. (xxxix.) Nam, ut Antonius conjectura movenda, aut sedanda suspicione aut excitanda[1], incredibilem vim habebat: sic in interpretando, in definiendo, in explicanda æquitate, nihil erat Crasso copiosius; idque quum sæpe alias, tum apud centumviros in M'. Curii causa[2] cognitum est. Ita enim multa tum contra scriptum pro æquo et bono dixit, ut hominem acutissimum, Q. Scævolam, et in jure, in quo illa causa vertebatur[3], paratissimum[4], obrueret argumentorum exemplorumque copia. Atque ita tum ab

3. *Oratores videri ... quales ipsi se videri volunt.* An *velint*, id est, optent? Ern.

4. *Alii anteponebant L. Crassum.* De quo vide commentarium de Orat. lib. 1, cap. 7.

XXXIX. 1. *Aut excitanda.* Scribe *et excit.* Nam distinctio est inter conjecturam et suspicionem: in suspicione sunt duo sedare et excitare, quæ conjunguntur. Ern. — Iisdem rationibus Sch. dedit *et in sedanda*, pro *aut sed.*

2. *In M'. Curii causa.* Vide commentarium de Orat. lib. 1, cap. 9, et infra cap. 52.

3. *Vertebatur.* MS Reg. ed. Ven. *versabatur*, melius, certe usitatius. Ern.

4. *Paratissimum.* Quædam edd. habent « peritissimum, obrueret argumentorum, etc. » Sch.

his patronis æqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, quum uterque ex contraria parte jus civile defenderet, ut eloquentium jurisperitissimus Crassus, jurisperitorum eloquentissimus Scævola[5] putaretur: qui quidem quum peracutus esset ad excogitandum, quid in jure, aut in æquo verum aut esset, aut non esset, tum verbis erat ad rem cum summa brevitate mirabiliter aptus. Quare sit nobis[6] orator in hoc interpretandi, explanandique, et disserendi genere mirabilis, sic ut simile nihil viderim; in augendo, in ornando, in refellendo magis existimator metuendus, quam admirandus orator. Verum ad Crassum revertamur.

XL. — (XL.) Tum Brutus, Etsi satis, inquit, mihi videbar habere cognitum Scævolam ex iis rebus, quas audiebam sæpe ex Rutilio, quo utebatur[1], propter familiaritatem Scævolæ nostri[2], tamen ista mihi ejus dicendi tanta laus nota non erat. Itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum, tamque excellens ingenium fuisse in nostra republica. — Hic ego, Noli, inquam, Brute, existimare, his duobus quidquam fuisse in nostra civitate præstantius; nam, ut paullo ante dixi, consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse; sic in reliquis rebus ita dissimiles erant inter sese, statuere ut tamen non posses, utrius te malles similiorem. Crassus erat elegantium

5. *Scævola*. Scævola pontifex Q. Mucii Scævolæ auguris erat consobrinus, de quo vid. cap 26. Obiit anno 671 occisus a Damasippo sicario, jussu Marii.

6. *Quare sit nobis*. Sch. « quare fuit nobis ».

XL. 1. *Quo utebatur*, etc. Dubius locus, quem varie interpungunt. Arnold. conjicit, « qua utebatur pater familiaritate, sc. nostri ».

2. *Scævolæ nostri*. Aliter *Scævolæ* omisso *nostri*. Hoc ait : Scævola pontifex utebatur Rutilio, propter familiaritatem, quam habebat cum altero Scævola, quicumque is fuerit; quamquam locus non caret mendi suspicione. Corr.

parcissimus, Scævola parcorum elegantissimus. Crassus in summa comitate habebat etiam severitatis satis; Scævolæ multa in severitate non deerat tamen comitas. Licet omnia hoc modo[3]; sed vereor, ne fingi videantur hæc, ut dicantur a me quodam modo[4] : res se tamen sic habet. Quum omnis virtus sit, ut vestra, Brute, vetus academia dixit, mediocritas, uterque horum medium quiddam volebat sequi; sed ita cadebat, ut alter ex alterius laude partem, uterque autem suam totam haberet. (XLI.) — Tum Brutus, Quum ex tua oratione mihi videor, inquit, bene Crassum et Scævolam cognovisse, tum de te et de Ser. Sulpicio[5] cogitans, esse quamdam vobis cum illis similitudinem judico. — Quonam, inquam, istuc modo? — Quia mihi et tu videris, inquit, tantum juris civilis scire voluisse, quantum satis esset oratori; et Servius eloquentiæ tantum assumpsisse, ut jus civile facile possit tueri; ætatesque vestræ, ut illorum, nihil, aut non fere multum differunt[6].

3. *Licet omnia hoc modo.* Int. de ipsis eorumque virtutibus sic dicere. Ern.

4. *Ut dicantur a me quodam modo.* Sic divisim *quodam modo* scribendum facile patet, estque: ut concinnitatem captem, et ejus laudem petam per illa σχήματα parium paribus relatorum. Sed MS Cujac. habet etiam «ut dicatur, etc.» quod aptum h. l. non videtur. Ern. — Emendatum in Pal. manu aliena «quodammodo ut dicantur a me». Grut.

5. *De Ser. Sulpicio.* Ser. Sulpicius Rufus consul fuit anno U. C. 702. In bello civili Cæsaris partes sequutus est, fuitque Achaiæ provinciæ præfectus post Pharsalicam pugnam. Obiit anno 710, eodem quo Cicero occisus est. Duæ hujus exstant ad Ciceronem epistolæ in quarto ep. Fam. libro: in prima solatur Ciceronem Tulliæ morte afflictum; in altera nuntiat mortem Marcelli, collegæ sui, suique et Ciceronis amici. Vide Gravinam de Ortu Juris, num. LXV.

6. *Nihil, aut non fere multum differunt.* Nam Cicero, quod scribit ipse, suo, id est, quadragesimo tertio ætatis suæ anno consul fuit: et Ser. Sulpicius consulatum petiit, ut suo anno consul esset, id est, anno, qui Ciceronis consulatum sequutus est: sed repulsam tulit, ut in orat. pro Murena videmus. Itaque Cicero videtur anno dumtaxat major fuisse, si modo Ser. Sulpicius anno suo prætor fuerat. Corr.

XLI. — Et ego, De me, inquam, dicere nihil est necesse; de Servio autem et tu probe dicis, et ego dicam, quod sentio. Non enim facile quem[1] dixerim plus studii, quam illum, et ad dicendum, et ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam et in iisdem exercitationibus, ineunte ætate, fuimus; et postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior; et, inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio an par principibus esse potuisset; sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium, non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps. — Hic Brutus, Ain' tu? inquit; etiamne Q. Scævolæ Servium nostrum anteponis? — Sic enim, inquam, Brute, existimo, juris civilis magnum usum et apud Scævolam, et apud multos fuisse; artem, in hoc uno: quod numquam effecisset ipsius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando; ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa judicarentur, et quæ, quibus positis[2], essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam[3] quasi lucem, ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur.

XLII. (XLII.) — Dialecticam mihi videris, inquit, dicere[1]. — Recte, inquam, intelligis; sed adjunxit

XLI. 1. *Quem*. Lambinus habet *quemquam*.

2. *Positis*. *Propositis* Gu. 1, 2, ut ed. Gothofr. et al. Sch.

3. *Maximam*. Alii male interpungunt post *maximam*: Schützius sine causa legit *magistram*. J. V. L.

XLII. 1. *Videris, inquit, dicere*. « Videris dicere, inquit » Schützius, cum Gu. 1, 2.

etiam et literarum scientiam, et loquendi elegantiam, quæ ex scriptis ejus, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest: quumque discendi[2] causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo[3], C. Aquillio Gallo[4]; Galli, hominis acuti et exercitati, promptam et paratam in agendo et in respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit; Balbi, docti et eruditi hominis, in utraque re consideratam tarditatem vicit, expediendis conficiendisque rebus: sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utrique defuit. Itaque, ut Crassus mihi videtur sapientius fecisse, quam Scævola (hic enim causas studiose recipiebat, in quibus a Crasso superabatur; ille se consuli nolebat[5], ne qua in re

2. *Quumque discendi.* « Quumque juris discendi » Schützius.

3. *L. Lucilio Balbo.* Credimus L. Lucilium, quem Fam. lib. III, commendat, hujus filium: Q. vero Lucilium Balbum, qui in libris de Natur. Deor. loquitur, fratrem fuisse: atque Lucilios, post Lucilium poetam, qui dicitur alumnus Auruneæ a Juvenale, Sat. I, Romæ esse cœpisse: quidquid alii scribant. Corr.

4. *C. Aquillio Gallo.* Quum C. Aquillius Gallus fuerit Ciceronis collega in prætura, et ob id etiam Ciceronis et Sulpicii æqualis, quæri potest, an idem Sulpicii præceptor esse putuerit: an potius pater Sulpicii præceptor, et filius Ciceronis collega: quod ut simile vero videatur, nihil tamen affirmemus, præsertim quum Pomponius ostendat Sulpicium jam grandem juri operam dare cœpisse, ita ut etiam filium audire potuerit. Et filium dicimus, quoniam supra, ubi de lege Aquillia mentio facta est, ostendimus duos Aquillios fuisse, quamvis recentiores scriptores uni omnia tribuant. Aquillii porro patricii videntur fuisse, quando C. Aquillius a Livio lib. II, consul dicitur, multo antequam plebeii consules fierent, quamvis Ulpianus, lib. IX, t. 2, Digestor. scribat legem Aquilliam ab Aquillio tribuno plebis fuisse latam. Nam si Aquillius trib. plebis fuit, certe plebeius fuit. Dicemus igitur, quod sæpe diximus, duplicem gentem fuisse, vel Ulpianum esse deceptum. Corr.

5. *Ille se consuli nolebat.* Aliter *solebat*, ut Victor. aliter *volebat*, ut Man. et Lamb. sed *nolebat* rectum est. Nolebat certe Crassus de jure respondere, ne, quum in orandis causis superior esset, si de jure respondisset, aliqua in re videri posset Scævola ipso, qui disciplina juris civilis omnium esset eruditissimus, inferior. Malebat igitur Crassus in arte dicendi primus, quam in jure civili secundus esse: ut Ser. Sulpicius contra maluit in secunda primus, quam in prima secundus esse, ut supra dixit.

inferior esset, quam Scævola); sic Servius sapientissime. Quum enim duæ[6] civiles artes ac forenses plurimum et laudis haberent et gratiæ; perfecit, ut altera præstaret omnibus, ex altera tantum assumeret, quantum esset, et ad tuendum jus civile, et ad obtinendam consularem dignitatem, satis.

— Tum Brutus, Ita prorsus, inquit, et antea putabam; audivi enim nuper[7] eum studiose et frequenter Sami[8], quum ex eo jus nostrum pontificium, qua ex parte cum jure civili conjunctum esset, vellem cognoscere; et nunc meum judicium multo magis confirmo testimonio et judicio tuo. Simul illud gaudeo, quod et æqualitas vestra, et pares honorum[9] gradus, et artium studiorumque quasi finitima vicinitas, tantum abest ab obtrectatione invidiaque[10], quæ solet lacerare plerosque, uti ea non modo non exulcerare vestram gratiam, sed etiam conciliare videatur. Quali enim te erga illum perspicio, tali illum in te voluntate judicioque cognovi. Itaque doleo et illius consilio, et tua

6. *Quum enim duæ.* In Gu. 1, 2, ante *quum* virgula tantum interpungitur, abestque vox *enim.*

7. *Audivi enim nuper.* Etsi videtur pæne ἀδύνατον de tempore hoc ipso divinare, nos tamen conjicimus annum fuisse, quo Cæsar consul IV fuit, et bellum in Hispania cum Pompeii filiis gessit: quo quidem anno Tullia Ciceronis decessit, et Brutus ac Ser. Sulpicius in Asia fuerunt. Et quidem Brutus ita, ut literas inde consolatorias ad Ciceronem scripserit: Ser. vero Sulpicius scripsit, quum ex Asia rediisset, ut ex ejus literis cognosces. Fieri igitur potuit, ut vel simul ex Asia decedentes Samum venerint, vel alter decedens, alter in Asiam proficiscens, Sami obvii sint facti, et ita sint colloquuti. Sic etiam Marcellum Mitylenis Brutus vidit. Corr.

8. *Sami.* Sc. quum Sulpicius esset proconsul Achaiæ, et eum Sami reperisset Brutus, ut opinor. Ern.

9. *Pares honorum gradus.* Nam fuit uterque quæstor, ædilis, prætor, consul. De magistratibus Ser. Sulpicii vid. orat. pro Mur. et Fam. Corr.

10. *Ab obtrectatione, invidiaque, quæ solet.* Sic ex ed. Roman. laudat Rivius, voluitque edere Gruterus, pro vulgato « invidiæ, quæ s. » sed operæ non paruere. Sed sic habet etiam ed. Med. quædam etiam « obtr. et invidia », quod sequitur Corradus. Ern.

voce populum romanum carere tam diu : quod quum per se dolendum est, tum multo magis consideranti, ad quos ista, non translata sint, sed nescio quo pacto devenerint[11]. — Hic Atticus, Dixeram, inquit, a principio, de republica ut sileremus; itaque faciamus: nam si isto modo volumus singulas res desiderare, non modo querendi[12], sed ne lugendi quidem finem reperiemus.

XLIII. (XLIII.) — Pergamus ergo, inquam, ad reliqua, et institutum ordinem persequamur. Paratus igitur veniebat Crassus, exspectabatur, audiebatur; a principio statim (quod erat apud eum semper accuratum) exspectatione dignus videbatur; non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis; vehemens, et interdum irata, et plena justi doloris oratio; multæ et cum gravitate facetiæ; quodque difficile est, idem et perornatus, et perbrevis. Jam in altercando invenit parem neminem; versatus est in omni fere genere causarum; mature in locum principum[1] oratorum venit. Accusavit C. Carbonem[2], eloquentissimum hominem, admodum adolescens; summam ingenii non laudem modo, sed etiam admirationem est consequu-

11. *Non translata sint, sed... devenerint.* Nempe res dicuntur honeste *transferri*, ut testamento, hæreditate, etc. *devenire* etiam per injuriam, malas artes. — *Ista.* Int. de republica. Interpunxi autem post *ista*. ERN.

12. *Nam si... desiderare... quærendi. Desiderare* eleganter pro *considerare*, in re, quæ ad jacturam pertinet : nam alias possis conjicere legendum *considerare*, ut ante est. Sed pro *quærendi* scripsi *querendi* ex edd. Med. Ald. idque ante conjectura assequutus eram : nam *desiderare* et *queri*, respondent superioribus *considerare* et *dolere*. Est sine dubio e vitio operarum ortum, non animadverso. ERN. — Heusingerus vero lectionem quærendi defendit sic, ut sit i. q. « cum dolore desiderandi ». SCH.

XLIII. 1. *Principum oratorum.* Inclinabat Gulielmius in scripturam Cujaciani codicis, *principium*, quod et a manu prima in Palatino. GRUT.

2. *C. Carbonem.* Vide notas in V Carbo, cap. 27.

tus. Defendit postea Liciniam virginem[3], quum annos XXVII natus esset : in ea ipsa causa fuit eloquentissimus, orationisque ejus scriptas quasdam partes reliquit. Voluit adolescens, in colonia Narbonensi, causæ popularis aliquid attingere, eamque coloniam[4], ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior[5], ut ita dicam, quam illa ætas ferebat, oratio. Multæ deinde causæ; sed ita tacitus tribunatus, ut, nisi in eo magistratu cœnavisset apud præconem Granium[6], idque nobis bis[7] narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.

3. *Liciniam virginem*. Ut propinquam : nam Crassus erat Licinius; certe summo loco natam, ac sanctissimo sacerdotio præditam, ut in orat. pro Domo dicitur, de incestu vero accusatam. L. enim Veturius eques romanus Æmiliam virginem Vestalem furtivo stupro polluit. Duas præterea virgines Vestales eadem Æmilia ad participationem incesti sollicitatas contubernalibus sui corruptoris exposuit ac tradidit. Videant tamen eruditi, an is fuerit T. Betutius. Iudicium per servum est factum. Historia legitur apud Paullum Orosium, lib. V, c. 15. Tunc igitur L. Crassus, ut hic ait Cicero, Liciniam defendit. Itaque Æmilia condemnata est, sed Licinia et Marcia sunt absolutæ, postea tamen cum pluribus condemnatæ, ut refert Asconius. Corr.

4. *Coloniam*. Civium romanorum, ut in orat. pro Fonteio leges. *Decumanorum*, inquit Plinius, lib. III, cap. 4, quod, ut quidam volunt, milites decimæ legionis in eam coloniam sint deducti. Alii tamen putant a Cæsare dictatore milites Marciæ legionis in eam coloniam missos, et ob id Narbonem *Martium* a scriptoribus appellari : nec vident a Cicerone Martium dici in orat. pro Fonteio, quæ dicta fuit multos annos antequam Cæsar dictator fieret. Nec me movet, quod in Tiberio scribit Sueton. Tiberii patrem ad eam coloniam deducendam missum fuisse. Sic enim interpretor. Prius a L. Crasso deducta est colonia, et Narbo Marcius forte a Q. Marcio, qui tunc erat consul, appellata : deinde a Cæsare missis novis colonis quasi instaurata. Corr.

5. *Senior... oratio*. Eleganter, pro quæ a seniore homine, quam tum Crassus erat, scripta videtur. Ern.

6. *Granium*. Quo nemo fuit dicacior, ut de orat. lib. II, describitur. Is L. Crassi et M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis sæpe perstrinxit impune, ut in Orat. pro Plancio scribitur : quamvis illorum esset familiaris, ut hic cognoscitur, et de Orat. lib. II, dicitur. Is est Granius, de quo multa Lucilius, ut ait infra, scripsit. Corr.

7. *Idque nobis bis*. Pal. et Cujac. addunt *bis*, quod ait non exstare in codice vetusto Rivius : ideoque exclusit Lambinus, item Man. aliique, quos item sequimur, quia et eodem inclinavit Gulielmius. Grut. — *Bis*, quod abest ab ed. Rom. teste Rivio,

— Ita prorsus, inquit Brutus; sed ne de Scævolæ quidem tribunatu quidquam audivisse videor, et eum collegam Crassi credo fuisse. — Omnibus quidem aliis, inquam, in magistratibus[8], sed tribunus anno post fuit, eoque in rostris sedente suasit Serviliam legem[9] Crassus. Nam censuram sine Scævola gessit; eum enim magistratum nemo umquam Scævolarum petivit. Sed hæc Crassi quum edita oratio est, quam te sæpe legisse certo scio, quatuor et triginta tum habebat annos, totidemque annis mihi ætate præstabat. His enim consulibus eam legem suasit, quibus nati sumus, quum ipse esset Q. Cæpione consule natus, et C. Lælio, triennio ipso minor, quam Antonius : quod idcirco posui, ut, dicendi latine prima maturitas in qua ætate exstitisset, posset notari; et intelligeretur jam in summum pæne esse perductam, ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a jure civili, ab historia fuisset instructior.

XLIV. (XLIV.) — Erit, inquit M. Brutus, aut jam est iste, quem exspectas[1]. — Nescio, inquam. Sed est

est in edd. Ven. Med. Ald. Junt. Utrum temere ultima in *nobis* repetita sit, an absorpserit *bis* in illa, incertum est, nec refert utrum verum sit. Ean. — Schützius *bis* delevit. In Gu. 2 : « idque narravisset bis nobis Lucilius ».

8. *In magistr. In* abest edd. Ven. Med. Ean.

9. *Serviliam legem*. Ea lege judicia senatoribus committebantur, quæ antea equitum erant. Crassus, quum hanc legem tueretur, non ea parte stare videbatur, qua steterat, quum de colonia Narbonensi ageretur. Nempe coloniæ semper populo erant gratissimæ, quum terræ colendæ pauperibus civibus distribuerentur : contra lege Servilia patricia potestas augebatur. Ideo ille Brutus, de quo cap. 34, mentio est, duas Crassi orationes parum sibi constanter opposuit : quem quomodo Crassus joco refutaverit, vide pro Cluent. 51, et de Orat. II, 5.

XLIV. 1. *Erit, inq. M. B. aut jam est i. q. exspectas*. Schützius dat, Heusingeri emendationem secutus : « Erit? inquit... an jam est i. q. exspectas? » — *Aut jam*. Quasi correctio : et hæc particula videtur ostendere, legendum esse sine interrogatione, quod affirmet, non quærat, et affirmans eum significat esse Ciceronem; ut M. Antonius, de Orat. I, eodem pæne modo, ita quasi divinat : « Qui eloquens dici possit, aut hic est jam Cras-

etiam L. Crassi in consulatu, pro Q. Cæpione, defensione juncta[2], non brevis, ut laudatio, ut oratio autem, brevis. Postrema censoris oratio, qua anno duodequinquagesimo usus est. In his omnibus inest quidam sine ullo fuco veritatis color; quin etiam comprehensio, et ambitus ille verborum (si sic periodum appellari placet) erat apud illum contractus et brevis; et in membra quædam, quæ κῶλα Græci vocant, dispertiebat orationem lubentius.

— Hoc loco Brutus, Quandoquidem tu istos oratores, inquit, tantopere laudas; vellem aliquid Antonio, præter illum de ratione dicendi sane exilem libellum, plura Crasso libuisset scribere: quum enim omnibus memoriam sui, tum etiam disciplinam dicendi nobis reliquissent. Nam Scævolæ dicendi elegantiam[3] satis ex iis[4] orationibus, quas reliquit, habemus cognitam. — Et ego, Mihi quidem a pueritia quasi

sus; aut si quis pari fuerit ingenio, etc.» Per me tamen licet, ut quivis cum interrogatione legat, præsertim quum Cicero, quasi rogatus, respondeat. Corr.

2. *L. Crassi in consulatu, pro Q. Cæpione, defensione juncta*, etc. Causam Cæpionis in L. Crassi consulatum incidisse bene docet, et id cum aliorum auctorum locis conciliat Corradus ad h. l. sed cetera sunt difficiliora. Sensum arbitror esse hunc: quum partes Cæpionis defendendi a pluribus tractatæ sint, non ab uno; non est brevis illa oratio: quia habet partes laudandi Cæpionis: si autem esse deberet oratio totius causæ, defensionem et laudationem præstitura, justo brevior foret. Ern. — Hæc erat forte laudatio hujus generis, de quo vid. Orat. lib. II, cap. 11, quasi testimonium amici.

3. *Scævolæ dicendi elegantiam satis ex iis orationibus, quas*, etc. P. Scævolæ filius fuit, quod etsi difficile cognoscitur, tu tamen ita colliges: P. Licinius Crassus P. Scævolæ frater fuit. Porro Scævola pontifex hujus P. Scævolæ fratris filius fuit, ut L. Crassus de Orat. lib. I, dicit. Quare dubium non est, quin is significetur, de Off. lib. III, illis verbis: «Q. Scævola, P. filius, quum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare, et addidit centum millia». Hic est, quem Fimbria vulneravit, quem postea Damasippus interfecit, velut faventem Sullæ partibus, et quidem ante simulacrum Vestæ, Carbone III et Mario filio consulibus. Corr.

4. *Ex iis orationibus. Iis* abest a Gu. 1, 2.

magistra fuit, inquam, illa in legem Cæpionis oratio : in qua et auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur, et invidia concitatur in judicum et in accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter tum dicendum fuit. Multa in illa oratione graviter, multa leniter, multa aspere, multa facete dicta sunt : plura etiam dicta, quam scripta, quod ex quibusdam capitibus expositis, nec explicatis intelligi potest. Ipsa illa censoria[5] contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum, et orationis commentarium paullo plenius; nulla est enim altercatio clamoribus umquam habita majoribus. Et vero fuit in hoc et popularis dictio excellens : Antonii genus dicendi multo aptius judiciis, quam concionibus.

XLV. (xlv.) Hoc loco ipsum Domitium[1] non relinquo : nam etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono[2], satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo

5. *Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam*, etc. Cicero de Orat. II, 56, dicit plenam hanc fuisse orationem jocis et cavillationibus. Suetonius, Ner. 2, illud refert dictum: Crassus alludens ad nomen *Ænobarbi*, quod erat Domitio, dicebat : « Non esse mirandum, quod æneam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum ». Nempe *os ferreum* dicebatur illius qui non erubescebat. Cat. Carm. XLII, 16 : ... ruborem Ferreo canis exprimamus ore ».

XLV. 1. *Domitium*. C. Domitium Ænobarbum, qui tribunus plebis Caio Mario III L. Aurelio Oreste consulibus legem tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet, quod Paterculus, lib. II, refert. Pontificibus enim offensior, quod alium potius quam se in patria sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transtulit, ut Suetonius in Nerone testatur. In consulatu vero, quem gessit cum C. Cassio Longino, anno U. C. 658, Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam invectus est, turba militum quasi inter solemnia triumphi prosequente; quod Suetonius in Nerone refert. Tanta in eo fuit gravitas, tanta auctoritas, ut quod esset ab eo objectum L. Crasso in censura collegæ lepore magis elevandum, quam contentione frangendum videretur, ut de Orat. lib. II, dicitur. Coan.

2. *Tamen pono*. Facile sit conjicere *puto*. Sed *pono* idem est, quod *statuo*; in quo nemo hæreat. Ern. — Schutz. suspicatur Ciceronem scripsisse : « Nam etsi non in oratorum numero pono,

et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur. Quod idem de C. Cœlio dixerim, industriam in eo summam fuisse, summasque virtutes, eloquentiæ tantum, quod esset in rebus privatis, amicis ejus, in republica, ipsius dignitati satis. Eodem tempore M. Herennius[3] in mediocribus oratoribus, latine et diligenter loquentibus, numeratus est : qui tamen summa nobilitate hominem, cognatione, sodalitate, collegio, summa etiam eloquentia, L. Philippum, in consulatus petitione superavit. Eodem tempore C. Clodius[4], etsi propter summam nobilitatem, et singularem potentiam, magnus erat, tamen etiam eloquentiæ quamdam mediocritatem afferebat.

Ejusdem fere temporis fuit eques romanus C. Titius[5], qui meo judicio, eo pervenisse videtur, quo potuit fere Latinus orator sine Græcis literis, et sine multo usu pervenire. Hujus orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pæne Attico stylo scriptæ esse videantur. Easdem argutias in tragœdias, satis quidem ille[6] acute, sed parum tragice transtulit. Quem studebat imitari L. Afranius[7] poeta, homo perargutus, in fabulis qui-

tamen puto satis in eo fuisse industriæ atque ingenii ».

3. *M. Herennius*. Decursis ceterorum magistratuum gradibus, ad consulatum homo novus pervenit, anno U. C. 661. Prust.

4. *C. Clodius*. C. Claudius Ap. F. Pulcher qui magnificentissime ædilitate, de Orat. lib. II, functus esse dicitur. Hinc Verr. IV sic ait : « C. Claudius, cujus ædilitatem magnificentissimam scimus fuisse ». Prætor in Sicilia fuit, et leges Halesinis dedit, Verr. II. Deinde cum M. Perpenna, anno U. C. 652, consul fuit.

5. *C. Titius*. De quo scriptum nihil nos præterea vidimus. Corr. — Viro docto ac diligenti non venit in mentem Macrobius, Saturn. lib. II, c. 12. Muret.

6. *Satis quidem ille acute*. Schütz. dat cum Guelf. 1, 2, « satis ille quidem acute, sed parum tragice transtulit ».

7. *Afranius*. Quem Horatius Menandro comparat. Quintilianus dicit eum inter eos, qui fabulas togatas composuerunt, eminuisse ; sed eum ut castitatis non observantem in fabulis, vituperat.

dem etiam, ut scitis, disertus. Fuit etiam Q. Rubrius Varro[8], qui a senatu hostis cum C. Mario judicatus est, acer et vehemens accusator. In eo genere sane probabilis, doctus autem Græcis literis, propinquus noster[9], factus ad dicendum, M. Gratidius[10], M. Antonii perfamiliaris, cujus præfectus quum esset in Cilicia, est interfectus; qui accusavit C. Fimbriam, M. Marii Gratidiani pater[11].

XLVI. (XLVII.) Atque etiam apud socios et Latinos oratores habiti sunt Q. Vettius Vettianus[1], e Marsis, quem ipse cognovi, prudens vir, et in dicendo brevis; Q. et D. Valerii Sorani[2], vicini et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti et Græcis literis et Latinis; C. Rusticellus[3] Bononiensis,

8. *Q. Rubrius Varro.* Tribunus plebis anno 663, hostis postea a senatu cum Mario et aliis undecim senatoribus judicatus est. PAUST.

9. *Propinquus noster.* Avus enim noster Marii Gratidii sororem in matrimonio habuit, de Legg. lib. III.

10. *M. Gratidius.* M. Marius Gratidius, cujus videtur is vel filius, vel propinquus fuisse, qui fuit Q. fratris legatus, ut Epist. ad Q. Fratr. I, 1, et in orat. pro Flacco legitur: quem Cicero magni faciebat. Fam. VII, 1, 2, 3, 4.

11. *M. Marii Gratidiani pater.* Edd. Ven. Med. Ald. Junt. *patrem*, quod Corradus in Comment. explicat sic ut Cicero voluerit vetus hominis nomen retinere, ut in Attico fecerit, quem *T. Pomponium Atticum* vocat, quum *Q. Cæcilium Pomponianum Atticum* deberet dicere; sicut hunc *Marium Gratidium Flavianum*. Sane si *pater* verum est, nimis longe distractum est a nomine proprio Gratidius: nec intelligo quare hoc memoretur Bruto, M. Gratidium esse M. Marii Grat. patrem, quod ille non ignorabat. ERN. Schützius dedit *patrem* cum Guelf. 1, 2. Heusingerus transponenda putabat verba: « M. Gratidius, M. Marii Gratidiani pater, M. Antonii perfamiliaris ... qui acc. C. Fimbriam ». Hominem eumdem esse putat Corradus, qui de Orat. I, et de Offic. III, dicitur cum Sergio Aurata de venditis ædibus litigasse, quem postea Sergius Catilina vel ob id fortasse, quod cum suo propinquo litigasset, vel quod Marianus esset interfecit, ut Q. frater in libello de petit. cons. Asconius in orat. contra Cat. et alii testantur.

XLVI. 1. *Q. Vettius Vettianus.* De quo quidem nihil nos invenimus. CORR.

2. *Q. et D. Valerii Sorani.* Q. Valerium Soranum togatorum ætatis suæ literatissimum refert apud Ciceronem L. Crassus. Fuit item, ut auctor est Plutarchus in Pompeio, philosophus insignis. De violenta ejus morte consentiunt historici, de modo et causa dissentiunt. Illi porro Valerii Sorani dicuntur a Sora Latii urbe et colonia, quæ etiamnum vetus nomen retinet. PAUST.

3. *Q. Rusticellus Bononiensis. Ru-*

is quidem et exercitatus, et natura volubilis. Omnium autem eloquentissimus extra hanc urbem T. Betucius Barrus[4] Asculanus, cujus sunt aliquot orationes Asculi habitæ : illa Romæ contra Cæpionem, nobilis sane, cui orationi Cæpionis ore respondit Ælius[5], qui scriptitavit orationes multas[6], orator ipse numquam fuit. Apud majores autem nostros video disertissimum habitum ex Latio L. Papirium Fregellanum[7], Tib. Gracchi, P. F. fere ætate : ejus etiam oratio est pro Fregellanis, coloniisque Latinis, habita in senatu.

—Tum Brutus, Quid tu igitur, inquit, tribuis istis externis quasi oratoribus? — Quid censes, inquam, nisi idem, quod urbanis, præter unum, quod non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio? Et Brutus, Qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? — Nescio, inquam; tantum esse quemdam scio. Id tu, Brute, jam intelliges, quum in Galliam veneris. Audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ; sed hæc mutari, dediscique possunt; illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit[8] quiddam et resonat urbanius. Nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. Ego memini T. Tincam[9] Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio præcone dicacitate certare. — Eon', inquit Brutus, de quo multa

sticelius corrigendum est, ex auctoritate numismatis ærei, quod est apud me cum inscriptione « C. Rusticelius Cordus IIvir ». Urain.

4. *T. Betucius Barrus.* Is fortasse quem maledicum et mordacem significat Horatius, lib. VII, et Porphyrion ejus interpres, Sat. VI, scribit incestum cum Æmilia vestali fecisse.

5. *Cui orationi Cæpionis ore respondit Ælius, qui scriptitavit.* Scilicet oratione, quam recitavit Cæpio, scripserat ipse. Vide infra cap. 56. Ern.

6. *Orationes multas.* MS Reg. *orationes multis*, quod prætulerim; etsi et illud latinum est, et eodem redit; sed id nemo mutaverit errore. Ern.

7. *L. Papirium Fregellanum.* De quo scriptum nihil legimus. Corr.

8. *Recinit.* Schützius dat ex conjectura Schneideri *retinnit.* Gu. 1, 2, et multi MSS Regg. a J. V. L. collati *retinuit*, unde nata conj. *retinnit.*

9. *T. Tincam Placentinum.* Al. *Ti-*

Lucilius? — Isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego jam non mirer, illud Theophrasto[10] accidisse, quod dicitur, quum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet; et respondisset illa, atque addidisset, « Hospes, non pote minoris »; tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, quum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Omnino, sicut opinor[11], in nostris est quidam urbanorum, sicut illic Atticorum, sonus. Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur[12].

XLVII. (XLVII.) Duobus igitur summis, Crasso et Antonio, L. Philippus[1] proximus accedebat, sed longo intervallo[2] tamen proximus. Itaque eum, etsi nemo intercedebat[3], qui se illi anteferret, neque secundum

neam. De quo Quintilian. lib. I, 5.

10. *Theophrasto*. Quintil. lib. VIII, cap. 1, eamdem rem de Theophrasto narrat, additque mulierem interrogatam, quo signo eum hospitem agnosceret, respondisse, quod nimium attice loqueretur. Theophrastus erat Lesbius.

11. *Omnino, sicut opinor, in nostris*. Rivianum erat « omnino sic (ut opinor) in nostris », qui Rivius bene veterem lectionem *omnium* mutavit in *omnino*: non vero pariter « sic (ut opinor) ». Non bene sonat « sic, ut op. sicut ». Restitui *sicut opinor*; deinde *illic*, id est, Athenis quod respondet τῷ *in nostris* ex ed. Ven. Med. MSS. Cujac. pro vulgato *ille*. Ern.

12. *Id est, ad nostros revertamur*. Aut hoc e glossa accessisse, aut certe legendum videtur « et ad nostros revertamur ». Sch.

XLVII. 1. *L. Philippus*. L. Marcius Philippus, qui gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima, de Offic. II. Primum in consulatus petitione a M'. Herennio fuit superatus: deinde tamen consul est factus cum Sexto Julio Cæsare, anno U. C. 663. Hujus Philippi exstat oratio apud Sallust. in qua censet, ut Appius Claudius interrex cum Q. Catulo proconsule et ceteri, quibus imperium est, urbi præsidio sint: operam dent, ne quid resp. detrimenti capiat. Cuss. — Contra hunc Philippum habita est ea, quam divinam Cicero dicit, Crassi oratio, quæ hujus inclyti oratoris quasi fuit cycnea vox. De qua vide princip. lib. III de Orat.

2. *Sed longo intervallo tamen proximus. Sed* videtur esse alienum loco. Scribe « longo intervallo, sed tamen prox. » aut sine interpunctione post *intervallo*; et sic feci, ne in verbis aliquid mutarem sine libris citra necessitatem. Ern.

3. *Nemo int*. Int. medius inter ipsum

tamen, neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam jam primus acceperit; nec in oratoribus, qui tantum absit a primo, vix ut in eodem curriculo esse videatur. Sed tamen erant ea in Philippo, quæ, qui sine comparatione illorum spectaret, satis magna diceret: summa libertas in oratione, multæ facetiæ; satis creber in reperiendis, solutus[4] in explicandis sententiis; erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus.

Horum ætati prope conjunctus L. Gellius[5] non tam vendibilis orator, quam ut nescires, quid ei deesset. Nec enim erat indoctus, nec tardus ad excogitandum, nec romanarum rerum immemor, et verbis solutus satis; sed in magnos oratores inciderat ejus ætas: multam tamen operam amicis, et utilem præbuit; atque ita diu vixit, ut multarum ætatum oratoribus implicaretur, multum etiam in causis versaretur. Iisdem fere temporibus D. Brutus[6], is, qui consul cum Mamerco fuit, homo et Græcis doctus literis et Latinis. Dicebat etiam L. Scipio[7] non imperite, Cnæusque

et Crassus Antoninmque erat. Ernest.

4. *Solutus*, qoi facile copiam verborum reperit.

5. *L. Gellius*. L. Gellius Publicola, qui omnibus honoribus ad censuram usque defunctus est, ut Val. Maxim. lib. V, cap. 9, refert. Nam prætor fuit, et ex prætura proconsul in Græciam venit, ut de Legg. lib. I, est scriptum. Consul item fuit cum Cn. Cornelio Lentulo, anno U. C. 682, et Chrysum accerrime pugnantem prælio oppressit, ut ait Oros. lib. V, cap. 24. Sed ipse a Spartaco victus est acie, ut Livius, lib. XCVI, scripsit. Nos igitur credimus Verr. II sic legi oportere: « Cn. Lentulus et L. Gellius consules », non autem « Cn. Lentulus et Lucullus », ut nunc legitur. Bello piratico Gellius idem Pompeii fuit legatus, ut Florus, lib. III, cap. 6, et Appianus in Mithridatico scribunt.

6. *D. Brutus*. Qui Julianus in consulibus appellatur. Fuit consul anno 678. Corr.

7. *L. Scipio*. L. Cornelius Scipio Asiaticus, ut in consulibus legitur, quem tamen alii Nasicam vocant, quod

Pompeius [8], Sex. F. aliquem numerum obtinebat. Nam Sex. frater ejus præstantissimum ingenium contulerat ad summam juris civilis, et ad perfectam geometriæ et rerum stoicarum scientiam. Item in jure [9], et ante hos M. Brutus [10], et paullo post eum C. [11] Bilienus, homo per se magnus [12], prope simili ratione summus evaserat [13] : qui consul factus esset, nisi in Marianos consulatus, et in eas petitionis angustias incidisset. Cn. autem Octavii [14] eloquentia, quæ fuerat ante consulatum ignorata, in consulatu multis concionibus est vehementer probata. Sed ab eis, qui tantum in dicen-

in Dione Græco, lib. XL, Scipionem Pompeii socerum Nasicæ filium dici videant, quem hunc esse arbitrantur. Corr.

8. *Cnæus Pompeius*. Cn. Pompeius, Strabo, qui prætor a Picentibus victus non ita multo post eosdem fudit, Liv. auctor. lib. LXXIV, et Orosius, lib. V, cap. 18. Consul cum L. Porcio Catone, anno U. C. 665, Marsos acie fudit, quo tempore Cicero in exercitu fuit, Philippica XII, et multi nobiles legati, in orat. pro Fonteio : et Vestinos in deditionem accepit, ut Liv. lib. LXXIV et sequenti retulit. Tunc, ut opinor, etiam Transpadanas colonias deduxit, ut Asconius est testis. Quum bellum, quod Cinna et Marius inferebant Urbi, opprimi inter initia potuisset, ejusdem fraude confirmatum est, qui utramque partem fovendo Cinnæ vires dedit, nec, nisi profligatis optimatium rebus, auxilium tulit, ut ait Livius, lib. LXXIX. Hic tandem fulgure, ut scribit Appianus, est extinctus : cujus cadaver e lecto detraxit, et projecit populus, qui illum oderat tantum, quantum postea filium dilexit. Plutarchus videatur in Pompeio. Corr.

9. *Item in jure*. In ed. Med. inter *item* et *in jure* est spatium vacuum, tamquam lacunæ indicium. Ern.

10. *M. Brutus*. Credimus hunc esse patrem Bruti accusatoris, de quo supra. Corr.

11. *C. Bilienus*. *Billienus* MSS nostri : mavult tamen Pighius noster *Bellienus*, lib. XIII Annalium Roman. Grut.

12. *Homo per se magnus*. Quid est « homo per se magnus » ? Corradus respondet : sua virtute, etsi caruit consulatus honoribus, etc. Audio : sed non satisfacit, hoc quidem in loco. Ernest.

13. *Prope simili ratione summus evaserat*. Schütz. transponit : « simili ratione prope summus evaserat ».

14. *Cn. Octavii*. Hunc nos putamus filium fuisse illius Cn. Octavii, qui, de Orat. lib. I, consularis appellatur. Consul armis ex urbe collegam suum L. Cinnam expulit, in orat. III in Catilin. qui quidem Cinna non ita multo post reversus, illi præcidi caput jussit, Tusc. V, et exponi pro Rostris, ut Florus, lib. III, cap. 21, scribit. Corradus. — Vide Epitomen Liv. 79, 80.

tium numero, non in oratorum fuerunt, jam ad oratores revertamur. — Censeo, inquit Atticus : eloquentes enim videbare, non sedulos velle conquirere.

XLVIII. — (XLVIII.) Festivitate igitur et facetiis, inquam, C. Julius [1], L. F. et superioribus et æqualibus suis omnibus præstitit, oratorque fuit minime ille quidem vehemens, sed nemo umquam urbanitate, nemo lepore, nemo suavitate conditior. Sunt ejus aliquot orationes, ex quibus, sicut ex ejusdem tragœdiis, lenitas ejus sine nervis perspici potest. Ejus æqualis P. Cethegus [2], cui de republica satis suppeditabat oratio; totam enim tenebat eam, penitusque cognorat : itaque in senatu consularium auctoritatem assequebatur; sed in causis publicis nihil, in privatis satis veterator videbatur.

Erat in privatis causis Q. Lucretius Vespillo [3], et acutus, et jurisperitus. Nam Aphilia [4] concionibus aptior [5], quam judiciis. Prudens etiam T. Annius Velina [6], et in ejus generis causis orator sane tolerabilis. In eodem

XLVIII. 1. *C. Julius*. C. Julius Cæsar Strabo, ut Paterculo et Suetonio vocatur; qui rogatus a Sardis T. Albucium accusavit, Div. et de Off. II, et orationem pro Sardis, ut ait Suet. in Cæsare, reliquit. Ædilis curulis, L. Cæsare, P. Rutilio coss. fuit, et ædilitius quidem occisus est : sed tantum in civitate potuit, ut causa belli civilis contentio ejus cum Sulpicio tribuno plebis fuerit. Nam sperabat, et id agebat hic Cæsar, ut omissa prætura consul fieret : cui quum primis temporibus jure Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum et arma processit, ut ait Asconius : eam petitionem extraordinariam infra Cicero vocat. Ob hæc illi postea Cinna præcidi caput jussit, quod Rostris cum capite Antonii affixum est. Hunc J. Cæsarem Cicero inducit loquentem in libb. de Orat.

2. *P. Cethegus*. P. Cornelius Cathagus, prætor anno Urb. cond. 681. Paust.

3. *Q. Lucretius Vespillo*. Quis hic fuerit, ignoramus : illud scire videmur, Lucretios patricios fuisse, quum tot Lucretii consules legantur ante, quam plebeii crearentur. Corr.

4. *Aphilia*. Lamb. Grut. *Ofella*, ut Pal. et Cujac. Gulielmus putat substituendum *Ofilius*, de quo Pomponius jurisconsultus. Legunt alii *Afella*, de quo Epit. Liv. lib. LXXXVIII. Paust.

5. *Concionibus aptior*. Al. « aptior concionibus ».

6. *T. Annius Velina*. Ex tribu Velina. Velia Romæ collis editior. Corr.

genere causarum multum erat T. Juventius [7], nimis ille quidem lentus in dicendo, et pæne frigidus; sed et callidus, et in capiendo adversario versutus, et præterea nec indoctus, et magna cum juris civilis intelligentia. Cujus auditor P. Orbius [8], meus fere æqualis, in dicendo non nimis exercitatus, in jure autem civili non inferior, quam magister, fuit. Nam T. Aufidius [9], qui vixit ad summam senectutem, volebat esse similis horum, eratque et bonus vir, et innocens, sed dicebat parum. Nec sane plus frater ejus M. Virgilius, qui tribunus plebis L. Sullæ imperatori diem dixit. Ejus collega P. Magius [10], in dicendo paullo tamen copiosior. Sed omnium oratorum, sive rabularum, qui et plane indocti, aut [11] inurbani, aut rustici etiam fuerunt, quos quidem ego cognoverim, solutissimum in dicendo et acutissimum judico, nostri ordinis Q. Sertorium [12], equestris C. Gorgonium [13]. Fuit etiam facilis, et expeditus ad dicendum, et vitæ splendore multo, et ingenio sane probabili, T. Junius [14], L. F. tribunitius, quo accusante P. Sextius [15], prætor designatus, da-

7. *T. Juventius.* Invenire adhuc historiam non potuimus: illud in orat. pro Plancio invenimus, Juventiam gentem ex municipio Tusculano oriundam consularem fuisse, sed tamen plebeiam, quando Juventius Laterensis ibi dicitur petere tribunatum plebis cœpisse. Corr.

8. *P. Orbius.* Proconsul Asiam sortitus obtinuit anno Urb. cond. 691. Ernest.

9. *T. Aufidius.* Frater M. Virgilii, sed tantum ex eadem matre, quæ, ut censet Pighius, Aufidium et Virgilium maritos habuerat, et ex utrisque filios. Quæstor fuit anno 670, ac septimo post anno ædilis plebis. Ernest.

10. *P. Magius.* P. Magius Chilo in tribunatu Virgilii collega anno 667.

11. *Qui et plane indocti, aut inurbani.* Schütz. cum Hensingero et Gu. 1 emendat, « qui aut plane indocti, et inurbani ».

12. *Sertorium.* Dux ille inclytus, cujus vitam scripsit Plutarchus.

13. *C. Gorgonium.* Hominem prorsus nobis ignotum. Corr.

14. *T. Junius.* Tribunus plebis anno U. C. 652.

15. *P. Sextius.* Existimabamus olim hunc esse P. Sextium, pro quo Ciceronis exstat oratio: nunc vero aliter sentimus, et P. Sextium, quem Cicero defendit, non posse significari, e temporum ratione colliges. Possit igitur hic videri vel pater P. Sextii, præser-

mnatus est ambitus: is processisset bonoribus longius, nisi semper infirma atque etiam ægra valitudine fuisset.

XLIX. (XLIX.) Aque ego præclare intelligo, me in eorum commemoratione versari, qui nec habiti sint oratores, neque fuerint, prætermirique a me aliquot ex veteribus, commemoratione aut laude dignos: sed hoc quidem ignoratione; quid enim est superioris ætatis, quod scribi possit de iis, de quibus nulla monumenta loquuntur, nec aliorum, nec ipsorum? De iis autem, quos ipsi vidimus, neminem fere prætermittimus eorum, quos aliquando dicentes vidimus. Volo enim sciri, in tanta et tam vetere republica, maximis præmiis eloquentiæ propositis, omnes cupisse dicere, non plurimos[1] ausos esse, potuisse paucos. Ego tamen ita de unoquoque dicam, ut intelligi possit, quem existimem clamatorem[2], quem oratorem fuisse. Iisdem fere temporibus, ætate inferiores paullo, quam Julius, sed æquales propemodum fuerunt C. Cotta[3], P. Sulpicius, Q. Varius, Cn. Pomponius, C. Curio, L. Fufius, M. Drusus[4], P. Antistius; nec ulla ætate uberior oratorum fœtus fuit. Ex his Cotta et Sulpicius quum meo judicio, tum omnium, facile primas tulerunt.

— Hic Atticus, Quomodo istuc dicis, inquit, quum

tim quum P. dicatur, ut filius patris prænomen, quasi de more referat: nisi Cicero P. Sextium L. filium vocet, Fam. lib. V, epist. 6. Quæ res facit, ut ego nunc demum putem hunc, de quo nunc loquitur, vel illum esse, vel potius patrem illius P. Sextii esse, ad quem Famil. lib. V, epist. 17, scribit. Corr.

XLIX. 1. *Non plurimos*, ut infra cap. 78, «quam non multi ausi sint dicere». Sch.

2. *Clamatorem*. Gothof. conj. *declamatorem*. Sch.

3. *C. Cotta*, *P. Sulpicius*. Quos in libris de Oratore loquentes inducit; ubi de illis dictum est.

4. *M. Drusus*, *P. Antistius*. Sic ex ed. Rom. rescribi voluit Rivius, quum esset «M. Drusus patricius», inde ab edd. Ven. Med. Asc. Aldi, etc. eique, ut in aliis obtemperatum est. Gronovius tamen e vestigiis MSS malebat *P. Aristius*, quod nihil esset infra de Antistio. Atqui est cap. 63. Ern. — Victoriana, «M. Drusus Palistius»; *Patistius* exstat in Cujac. *Batistius* in Pal. Gaut.

tuo judicio, tum omnium? Semperne in oratore probando, aut improbando, vulgi judicium cum intelligentium judicio congruit? An alii probantur a multitudine; alii autem ab iis, qui intelligunt? — Recte requiris, inquam, Attice; sed audies ex me fortasse, quod non omnes probent. An tu, inquit, id[5] laboras, si huic modo Bruto probaturus[6] es? — Plane, inquam, Attice, disputationem hanc de oratore probando, aut improbando[7], multo malim tibi et Bruto placere; eloquentiam autem meam populo probari velim. Etenim necesse est, qui ita dicat, ut a multitudine probetur, eumdem doctis probari. Nam, quid in dicendo rectum sit, aut pravum, ego judicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam judicare; qualis vero sit orator, ex eo, quod is dicendo efficiet, poterit intelligi. Tria sunt enim, ut quidem ego sentio, quæ sint[8] efficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque efficiatur, aut quibus vitiis orator aut non assequatur hæc, aut etiam in his labatur et cadat, artifex aliquis judicabit. Efficiatur autem ab oratore, necne, ut ii, qui audiant[9], ita afficiantur, ut orator velit, vulgi assensu et populari approbatione judicari solet. Itaque numquam de bono oratore, aut non bono, doctis hominibus cum populo dissensio fuit.

L. (L.) An censes, dum illi viguerunt, quos ante

5. *An tu... id laboras*. Ed. Ven. Med. *laborasse*. Junt. Ald. *adlaborasse h.* unde manus docta in margine exempli mei fecit *adlaboras si*. Ern.

6. *Probaturus*. Lamb. « te probaturus », minus bene. Sch.

7. *De oratore probando, aut improbando*. Hoc Schützius, ut ineptum glossema, delevit.

8. *Quæ sint*. *Quæ sunt* Gu. 1, 2. Sch.

9. *Qui audiant*. Vulgo *audiunt*: male, quum et mox sit, *ut orator velit*, non *vult*; etiam alibi hæc confusio notata est. Ernest. — Schützius servat « ut ii, qui audiunt » cum Gu. 1, 2, ut sine causa ab Ernestio mutatum.

dixi, non eosdem gradus oratorum vulgi judicio et doctorum fuisse? De populo si quem ita rogavisses: quis est in hac civitate eloquentissimus? in Antonio et Crasso aut dubitaret, aut hunc alius, illum alius diceret. Nemone Philippum[1], tam suavem oratorem, tam gravem, tam facetum, his anteferret, quem nosmet ipsi, qui hæc arte aliqua volumus[2] expendere, proximum illis fuisse diximus? Nemo profecto. Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum, « Mihi cane et musis »: ego huic Bruto dicenti, ut solet, apud multitudinem, « Mihi cane et populo, mi Brute », dixerim; ut, qui audient[3], quid efficiatur; ego, etiam cur id efficiatur, intelligam.

Credit iis, quæ dicuntur, qui audit oratorem; vera putat, assentitur, probat; fidem facit oratio. Tu artifex[4], quid quæris amplius? Delectatur audiens multitudo, et ducitur oratione, et quasi voluptate quadam perfunditur. Quid habes, quod disputes? Gaudet, dolet, ridet, plorat, favet, odit, contemnit, invidet; ad misericordiam[5] inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur[6], sperat, timet: hæc per-

L. 1. *Nemone Philippum.* Gruterus præfert lectionem MS Pal. « Nemo ut Philippum », quod est vulgato sane elegantius: sed utraque lectio forte conjungenda « nemon' ut Philippum ». Horatius, Serm. I, 1, 108: « nemon' ut avarus se probet ». Ern.

2. *Qui hæc arte volumus expendere.* Qui judicium ferimus de oratoribus et de loco quo digni sunt, perspectis artis alicujus regulis.

3. *Ut, qui audient.* Ernest. *audiant* frustra corrigentem Sch. et J. V. L. reprehendunt.

4. *Tu artifex.* Scilic. tu qui non es unus e populo, sed doctus in arte oratoria.

5. *Invidet; ad misericordiam*, etc. Fortasse legendum « favet, invidet; diligit, odit; admiratur, contemnit; ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum; irascitur, miratur, sperat, etc. » Conf. Orat. cap. 38. Sch.

6. *Miratur.* Schützius corrigit *mitigatur*, quia alibi Cic. de Orat. II, 44, et Orat. cap. 38, *irasci* et *mitigari* sibi opponuntur.

inde accidunt, ut eorum, qui adsunt, mentes verbis, et sententiis, et actione tractantur. Quid est, quod exspectetur docti alicujus sententia? Quod enim probat multitudo, hoc idem doctis probandum est.

Denique hoc specimen est popularis judicii, in quo numquam fuit populo cum doctis intelligentibusque dissensio. Quum multi essent oratores iu vario genere dicendi, quis umquam ex his excellere judicatus est vulgi judicio, qui non idem a doctis probaretur? Quando autem dubium fuisset apud patres nostros, eligendi cui patroni daretur optio, quin aut Antonium optaret, aut Crassum? Aderant multi alii[7]: tamen, utrum de his potius, dubitasset aliquis; quin alterum, nemo. Quid? adolescentibus nobis, quum esset Cotta et Hortensius[8], num quis, cui quidem eligendi potestas esset, quemquam his anteponebat?

LI. (LI.) — Tum Brutus, Quid tu, inquit, quæris alios? de te ipso nonne, quid optarent rei, quid ipse Hortensius judicaret, videbamus? qui, quum partiretur tecum causas (sæpe enim interfui), perorandi locum, ubi plurimum pollet oratio, semper tibi relinquebat. — Faciebat ille quidem, inquam; et mihi, benivolentia, credo, ductus, tribuebat omnia. Sed ego, quæ de me populi sit opinio, nescio; de reliquis hoc affirmo, qui vulgi opinione disertissimi habiti sint, eosdem intelligentium quoque judicio fuisse probatissimos. Nec enim posset idem Demosthenes

7. *Aderant multi alii.* Non dubito Ciceronem scripsisse «at erant multi alii», ut sit objicientis: tum responsio: *tamen*, etc. Tum pro *quin*, quod sequitur, legendum est *an*. Ordo est: dubitasset aliquis, utrum de his scil. legeret: «nemo, an alterum», scil. legeret, non de his duobus. Librarii decepti sunt verbo *dubitasset*, ut putarent *quin* esse debere. Ernest. — Schütz. edidit «At erant multi alii: tamen, etc.»

8. *Quum esset Cotta et Hortensius.* Ferri potest *esset*; sed tamen verum esse credo *essent*: nam Cicero non sic solet. Ern.

dicere, quod dixisse Antimachum [1], Clarium poetam, ferunt, qui quum convocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod novistis, volumen suum, et eum legentem omnes, præter Platonem, reliquissent, « Legam, inquit, nihilo minus; Plato enim mihi unus instar est omnium millium [2] ». Et recte : poema enim reconditum, paucorum approbatione [3]; oratio popularis, ad sensum vulgi debet moveri. At, si eumdem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, quum esset relictus a ceteris, verbum facere non posset. Quid? tu, Brute, posses [4], si te, ut Curionem quondam, concio reliquisset?

— Ego vero, inquit ille, ut me tibi indicem, in eis etiam causis, in quibus omnis res nobis cum judicibus est, non cum populo, tamen, si a corona relictus sim, non queam dicere. — Ita se, inquam, res habet : ut, si tibiæ inflatæ non referant sonum, abjiciendas eas sibi tibicen putet; sic oratori populi aures tamquam tibiæ sunt; eæ si inflatum non recipiunt, aut [5] si

LI. 1. *Antimachum.* Antimachus Thebaida composuerat in viginti et quatuor libros distributam, atque elegiam quamdam Lyde appellatam, quæ plurimi apud Veteres fiebat. Plutarchus, in vita Lysandri, dicit ab eo Antimacho carminibus laudatum fuisse Lysandrum.

2. *Instar est omnium millium.* Sic quosdam legere indicat Aldus Nepos, placebatque Gulielmio, dictum ut Græcis μυρία πάντα. Vulgata *omnium me illum*, quod et in Pal. et Cujac. Lambinus hic mire nugatur. Turnebus malebat *omnium illorum :* Rivius *omnium : merito ille*. Grut. — Schützius delevit *omnium*, quod friget.

3. *Paucorum approbatione; oratio popularis, ad sensum vulgi debet moveri.* Isto modo Palatinus, nec abit Cujac. quam quod in *approbationem*. Corradus emendabat « paucorum adprobationem, oratio pop. ad sensum vulgi debet movere », quod Ernestius edidit testatus edd. Med. Ven. exhibere *assensum :* idem dedit Schütz. Rivius quoque olim, nisi quod ultimo loco reponeret *mereri*, quod Ernest. damnabat.

4. *Quid? tu, Brute, posses, si te.* Pal. et Cujac. *nisi te :* rescribit Gulielmius, « possesne, si te ». Grut. — Schützius Gul. sequutus est. Gu. 1, 2 habent « posses, nisi te, ut Curionem quondam, concio, etc. » quod etiam ed. Ven.

5. *Aut si auditor omnino tamquam equus non facit.* Id sine omni gratia

auditor omnino tamquam equus non facit, agitandi finis faciendus est.

LII. (LII.) Hoc tamen interest, quod vulgus interdum non probandum oratorem probat[1]; sed probat sine comparatione : quum a mediocri, aut etiam a malo delectatur, eo est contentus; esse melius non sentit; illud, quod est, qualecumque est, probat. Tenet enim aures vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo; nec res ulla plus apud animos hominum, quam ordo et ornatus orationis valet. (LII.) Quare quis ex populo, quum Q. Scævolam pro M. Coponio dicentem audiret in ea causa[2], de qua ante dixi, quidquam politius, aut elegantius, aut omnino melius aut exspectaret, aut posse fieri putaret? Quum in hoc probare vellet, M'. Curium, quum ita heres institutus esset, si pupillus ante mortuus esset, quam in suam tutelam venisset, pupillo non nato heredem esse non posse; quid ille non dixit de testamentorum jure, de antiquis formulis? quid? quemadmodum scribi oportuisset, si etiam filio non nato heres institueretur; quam captiosum esset[3] populo, quod scriptum esset, negligi, et opinione quæri voluntates, et interpreta-

lepureque dictum videtur : sed et varie explicatur. Ego ne quem reprehendam, qui satis ipse pecco, ut censores fatigare debeam, quam in aliis censendis me occupare; puto *facere* verbum esse circense : quod ex eo apparet, quia *factiones*, quæ a faciendo nomen adeptæ sunt, in circo quatuor erant : et in lusu pilæ *factores* etiam Plautus dicit. Equum igitur puto non *facere*, qui aurigæ non paret : nec curriculo corripit spatium, nec adjuvat in partem ad victoriam : sed segnis et ignavus est, nec sentit stimulos, nec aurigam audit. TURN. in Advers. XIV, 22.—Schützius hæc verba ut spuria delevit.

LII. 1. *Probat; sed probat sine comparatione : quum*. Sic interpunxi. Vulgo, « probat, sed probat sine comparatione, quum ». ERN.

2. *In ea causa, de qua*. Nempe de famosa illa causa Curiana, de qua mox dicit. ERN.

3. *Quam captiosum esset*. Sic dedi pro *esse;* quia hoc membrum simile esse debet præcedenti : « quemadmodum scribi oportuisset », nisi quis malit et *oportuisse ;* sed illud melius. ERNEST.

tione disertorum scripta simplicium hominum pervertere? Quam ille multa de auctoritate patris sui, qui semper jus illud esse defenderat? quam omnino multa de conservando jure civili? quæ quidem omnia quum perite, et scienter, tum ita breviter, et presse, et satis ornate, et pereleganter diceret; quis esset in populo, qui aut exspectaret, aut fieri posse quidquam melius putaret?

LIII. (LIII.) At vero, ut contra Crassus ab adolescente delicato[1], qui in litore ambulans scalmum reperisset, ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est; similiter Scævolam[2] ex uno scalmo captionis centumvirale judicium hereditatis effecisse: hoc in illo initio[3] consequutus, multis ejusdem generis sententiis delectavit, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem a severitate traduxit; quod est unum ex tribus, quæ dixi ab oratore effici debere. Deinde hoc voluisse eum, qui testamentum fecisset, hoc sensisse, quoquo modo filius non esset, qui in suam tutelam veniret[4], sive non natus, sive ante mortuus, Curius heres ut esset: ita scribere plerosque, et id valere, et valuisse semper. Hæc et multa ejusmodi dicens, fidem faciebat; quod est ex tribus ora-

LIII. 1. *Delicato*. Ernest. interpretatur « libidini luxuique dedito ». Sed *delicatus* valet etiam « concinnus, elegans, intelligens deliciarum ». Istius generis homines quietis sunt amantes. Cic. de Nat. Deor. I, 27 : « Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat ». Gallice, *un jeune homme désœuvré*.

2. *Similiter Scævolam... animosque omnium*. Schützius nimia, ut solet, audacis : « similiter Scævolam ex uno scalmo captionis hereditatem effecisse: hoc ille initio consequutisque multis ejusdem generis sententiis delectavit centumvirale judicium, animosque omnium, qui aderant, in hilaritatem ». J. V. L.

3. *Hoc in illo initio consequutus*. Videtur melius *in* deleri. Quum hoc consequutus esset, effecisset, illo initio faceto, etiam reliqua oratione effecit. Ern.

4. *Veniret*. Ernest. ex edd. Venet. Med. Vict. reposuit *venisset*, verum tamen est *veniret*, quod habet etiam Gu. 1, 2. Sch. — Cui J. V. L. assentitur.

toris officiis alterum. Deinde æquum bonum, testamentorum sententias voluntatesque tutatus est; quanta esset in verbis captio, quum in ceteris rebus, tum in testamentis, si negligerentur voluntates; quantam sibi potentiam Scævola assumeret, si nemo auderet testamentum facere postea, nisi de illius sententia. Hæc quum graviter[5], tum ab exemplis copiose, tum varie, tum etiam ridicule et facete explicans, eam admirationem assentionemque commovit, dixisse ut contra nemo videretur. Hoc erat oratoris officium partitione tertium, genere maximum. Hic ille de populo judex, qui separatim alterum admiratus esset, idem, audito altero, judicium suum contemneret; at vero intelligens et doctus, audiens Scævolam, sentiret esse quoddam uberius dicendi genus et ornatius. Ab utroque autem, causa perorata, si quæreretur, uter præstaret orator, numquam profecto sapientis judicium a judicio vulgi discreparet.

LIV. (LIV.) Qui præstat igitur intelligens imperito? Magna re et difficili; si quidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur amittaturve dicendo illud, quidquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Præstat etiam illo doctus auditor indocto, quod sæpe, quum oratores duo, aut plures populi judicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit; nam illud, quod populo non probatur, ne intelligenti quidem auditori probari potest. Ut enim ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet; sic ex animorum motu cernitur, quid tractandis his perficiat orator. Itaque intelligens dicendi existimator, non assidens, et attente audiens, sed uno adspectu, et præteriens, de oratore

5. *Hæc quum graviter.* Sch. « hæc tum graviter ».

sæpe judicat. Videt oscitantem judicem, loquentem cum altero, nonnumquam etiam circulantem[1], mittentem ad horas[2], quæsitorem[3], ut dimittat, rogantem; intelligit, oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis judicum admovere orationem, tamquam fidibus manum. Idem si præteriens adspexerit erectos intuentes[4] judices, ut aut doceri de re, idque etiam vultu probare videantur; aut, ut avem cantu aliquo, sic illos viderit oratione quasi suspensos teneri; aut, id quod maxime opus est, misericordia, odio, motu animi aliquo perturbatos esse vehementius: ea si præteriens, ut dixi, adspexerit, si nihil audierit, tamen oratorem versari in illo judicio, et opus[5] oratorium fieri, aut perfectum jam esse, profecto intelliget.

LV. (LV.) Quum hæc disseruissem, uterque assensus est, et ego tamquam de integro ordiens, Quando igitur, inquam, a Cotta et Sulpicio hæc omnis fluxit oratio, quum hos maxime judicio illorum hominum et illius ætatis dixissem probatos, revertar[1] ad eos ipsos; tum reliquos, ut institui, deinceps persequar.

Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quærimus) duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium; etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in

LIV. 1. *Cum altero, nonnumquam etiam circulantem.* Ernest. de hoc loco inquit: judex circulans est, qui in ipso judicio surgit, et cum hominibus consistit, et circulos facit, colloquitur. Videndus Petrus Victorius, Var. Lect. lib. VIII, cap. 13.

2. *Mittentem ad horas.* Int. servum ad clepsydras judiciarias, ut videat, et referat an tempus datum ad dicendum mox exiturum sit, quod est tædii et impatientiæ signum. Sed dubium videtur an *hora* sic dicatur, quod ego nondum reperi. An forte scripsit Cicero *ad forum?* Ern.

3. *Quæsitorem*, qui judicio vel quæstioni præest.

4. *Erectos intuentes.* Sc. oratorem. Sed forte melius « intentos jud. » nam sic simpliciter dici *intuentes*, durum est. Ern. — Schütsius Ernest. probat, si addatur copula *erectos et intentos.*

5. *Opus oratorium fieri.* Fieri id, quod oratorem facere convenit, et ab eo exspectatur. Ern.

LV. 1. *Revertar.* Al. cod. *revertor.*

bonis omnia, quæ summa sunt, jure laudantur. Sed cavenda est presso illi oratori inopia et jejunitas; amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inveniebat igitur acute Cotta[2], dicebat pure ac solute; et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in ejus oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum; illudque maximum, quod, quum contentione orationis flectere animos judicum vix posset, nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati.

Fuit enim Sulpicius[3] vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis, et, ut ita dicam, tragicus orator : vox quum[4] magna, tum suavis, et splendida; gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur; incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari; Cotta malebat Antonium; sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.

2. *Cotta*. C. Aurelius Cotta, natus anno Urb. 629, patruum habebat Rutilium illum virtute præditum, cujus causam defendit in ea re quæ narratur, cap. 30. Crimine belli Socialis excitati accusatus, quum judices haberet equites sibi senatorum patrono adversos, volens in exsilium ivit. A Sulla revocatus, consul fuit an. 678. Unus est ex illis quos Cicero inducit loquentes in libris de Oratore; idemque inducitur in ultima earum concionum quæ restant in fragmentis historiæ Sallustianæ.

3. *Sulpicius*. P. Sulpicius Rufus, natus anno Urbis 629, primum senatus partes amplexus, obnixus est ut Sulla consul fieret. Mox autem ad Marium sese vertit, turbulentissimusque omnium tribunorum factus est. Sibi deditam habebat trium millium armatorum turbam, nec in publicum procedebat, nisi stipatus sexcentis equitibus, ad omnia paratis. Quum effecisset ut Sulla Mithridatico bello præfectus imperio privaretur, ab eodem Sulla, Roma capta, expulsus est cum Mario et novem aliis senatoribus. Ipse Sulpicius a servo traditus, trucidatus est; ejus caput Rostris affixum.

4. *Quum magna*. Schutzius, « tum magna ».

LVI. — O magnam, inquit, artem! Brutus; siquidem istis, quum summi essent oratores, duæ res maximæ, altera alteri defuit. — (LVI.) Atque in his oratoribus illud animadvertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et uterque[1] æqualibus suis plurimum præstitit. Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque; et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria[2] adhibere, alteri frenos.

Sulpicii orationes quæ feruntur, eas post mortem ejus scripsisse P. Canutius putatur, æqualis meus, homo extra nostrum ordinem, meo judicio, disertissimus. Ipsius Sulpicii nulla oratio est; sæpeque ex eo audivi, quum se scribere neque consuesse, neque posse diceret. Cottæ pro se[3], lege Varia, quæ inscribitur, eam L. Ælius scripsit[4] Cottæ rogatu. Fuit is omnino vir egregius, et eques romanus cum primis honestus, idemque eruditissimus et græcis literis, et latinis, antiquitatisque nostræ et in inventis rebus, et in actis, scriptorumque veterum literate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo, auctamque per sese, vir ingenio præstans, omnique doctrina, pluribus et illustrioribus literis explicavit. Sed idem Ælius stoicus esse voluit, orator autem nec studuit umquam, nec fuit; scribebat tamen orationes, quas

LVI. 1. *Et uterque*. Lambin. « at uterque ».

2. *Calcaria*. Guelf. 1 exhibet *calcar*. Sch.

3. *Pro se, lege Varia, quæ insc.* Sic interpungendum. Est abruptius, pro : quæ inscr. pro se dicta, quum lege Varia reus esset. Ern. — Lamb. delet *se*.

4. *L. Ælius scripsit*. Sic restitui ex edd. Ven. Med. Ald. Junt. Vict. etc. *scribit* est vitium typographicum, quod per negligentiam editorum in vulgatas irrepsit. Ern.

alii dicerent; ut Q. Metello[5] F. ut Q. Cæpioni, ut Q. Pompeio Rufo[6]: quamquam is etiam ipse scripsit eas, quibus pro se est usus, sed non sine Ælio. His enim scriptis[7] etiam ipse interfui, quum essem apud Ælium adolescens, eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror, summum ipsum oratorem minimeque ineptum, Ælianas leves oratiunculas voluisse existimari suas.

LVII. (LVII.) His duobus ejusdem ætatis annumerabatur nemo tertius; sed mihi placebat Pomponius[1] maxime, vel dicam, minime displicebat. Locus erat omnino in maximis causis, præter eos, de quibus supra dixi, nemini: propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat; horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere, aut ad Cæsarem[2]; Cotta [secundum Philippum et Cæsarem[3]] et Sulpicius expetebantur. Ita ab iis sex patro-

5. *Q. Metello*. Vix sciri posse certo credimus, quis hic Q. Metellus fuerit, quum tot eo tempore fuerint Metelli: quia tamen cum duobus consularibus numeratur, et videtur accusatus fuisse, sic ut L. Ælii oratione usus ad se defendendum dicatur, putamus hunc esse Q. Cæcilium Metellum Nepotem, Balearici filium, qui consul cum T. Didio, anno U. C. 656 fuit, et a C. Curione patre fuit accusatus, ut Asconius scribit. Corr.

6. *Q. Pompeio Rufo*, etc. Qui prætor urbanus paucis diebus antequam L. Crassus de oratore loqueretur, de Orat. lib. I, et postea consul cum L. Cornelio Sulla anno U. C. 566 fuit, ut Orat. I et II contra Rullum meminit: cujus etiam consulis filium, eumdemque Sullæ generum P. Sulpicius per emissarios factionis suæ interfecit, ut Liv. lib. LXXVII, et Patere. lib. II scribunt. Nec ita multo post Q. ipse Pompeius adhuc consul ab exercitu Cn. Pompeii, Strabonis proconsulis seditione, sed quam dux excitaverat, interfectus est. Corr.

7. *His enim scriptis*. Lamb. *scribendis*. — Int. quum scriberentur. Ern.

LVII. 1. *Pomponius*. Jam de eo mentio facta est cap. 49, et fiet n. 62 et 90. Vide de Orat. III, 13.

2. *Cæsarem*. C. Julium Cæsarem, de quo supra cap. 48.

3. *Secundum Philippum et Cæsarem*. Hæc in libris aberant quæ inseruit Lambinus, quum viderent viri docti hic aliquid deesse. Hæc verba facile potuerunt a librario omitti propter similitudinem clausulæ, ut non semel factum in libris animadversum est. Posui in texto, ut sensus integer es-

nis causæ illustres agebantur: neque tam multa, quam nostra ætate, judicia fiebant; neque hoc, quod nunc fit, ut causæ singulæ defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius. Respondemus iis, quos non audivimus; in quo primum sæpe aliter est dictum, aliter ad nos relatum[4]: deinde magni interest coram videre me, quemadmodum adversarius de quaque re asseveret, maxime autem quemadmodum quæque res audiatur. Sed nihil vitiosius, quam, quum unum corpus debeat esse defensionis, nasci de integro causam, quum sit ab altero perorata. Omnium enim causarum unum est naturale principium, una peroratio; reliquæ partes, quasi membra, suo quæque loco locata, suam et vim et dignitatem tenent. Quum autem difficile sit, in longa oratione non aliquando aliquid ita dicere, ut sibi ipse non conveniat[5]; quanto difficilius cavere, ne quid dicas, quod non conveniat ejus orationi, qui ante te dixerit? Sed quia et labor multo major est, totam causam, quam partem dicere, et quia plures ineuntur gratiæ, si uno tempore dicas pro pluribus, idcirco hanc consuetudinem lubenter adscivimus[6].

set legentibus; sed inclusi uncis ut a ceteris distinguerentur. Ern. — Sch. hæc delevit, idem fecit Lall.

4. *Aliter ad nos relatum*. Quia oratio adversarii oratori qui respondere debebat sæpe per alios tantum nota erat: ipse huic non adfuerat.

5. *Ut sibi ipse non conveniat*. Int. orator: alias legendum *ipsa* sc. oratio; quamquam nec hoc satis placet, nec illud; videturque legendum « ut tibi ipse non convenias »: nam sequitur « quanto diff. c. ne quid dicas », et post « si uno tempore dicas ». Credo facile probaturum quemque hanc correctionem. Ern. — Lambin. « ut sibi ipsum non conveniat ». Heusingerus vulgatam defendit.

6. *Idc. hanc consuetudinem l. a.* Videtur olim quatuor fuisse accusatores et defensores in causis, qui sibi orationem totam partiebantur. Primus Scaurus sex habuit defensores, Ciceronem, Hortensium, P. Clodium Pulchrum, M. Marcellum, M. Calidium, et M. Messalam. Post civilia bella visus est aliquando reus unus duodecim simul causidicos producere: quorum numerus lege Julia, quæ videtur sub Augusto lata, fuit circumscriptus: et conjicere licet, ex Pisonis causa, cui crimen necati Germanici objiciebatur,

LVIII. (LVIII.) Erant tamen, quibus videretur illius ætatis tertius Curio[1], quia splendidioribus fortasse verbis utebatur, et quia latine non pessime loquebatur, usu, credo, aliquo domestico; nam literarum admodum nihil sciebat. Sed magni interest, quos quisque audiat quotidie domi, quibuscum loquatur a puero, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur[2]. Legimus epistolas Corneliæ, matris Gracchorum : apparet, filios non tam in gremio educatos, quam in sermone matris. Auditus est nobis Læliæ, C. F. sæpe sermo : ergo illam patris elegantia tinctam vidimus, et filias ejus Mucias ambas[3], qua-

quatuor permissos fuisse accusatores, tres vero solum defensores in causis maximi momenti. Vide Beaufort. Rep. Rom. lib. V, cap. 5; Ascon. in orat. pro Scauro; Tacit. Annal. III, 11 et 13.

LVIII. 1. *Curio*. C. Scribonius Curio, Curionis oratoris filius, tribunus plebis fuit, L. Cæsare, P. Rutilio coss. videtur prætor in Asia fuisse : certe ibi quum esset, illi Sulla imperavit, ut Nicomedem et Ariobarzanem in Cappadociam deduceret, ut Appianus in Mithridatico refert. Ejus etiam opera in capiendis Athenis usum Sullam fuisse testis est Plutarchus. Deinde cum Cn. Octavio, anno U. C. 678, consul fuit, ut Plinius ostendit, lib. II, cap. 35. Proconsul postea Dardanos in Thracia domuit, ut Frontinus, lib. IV, cap. 5, refert, ubi tamen *M. Curio* pro *C. Curione* male legitur. Videndus etiam Marcellin. lib. XXIX, ex quo cognoscimus in eo fuisse prudentiam, quam Cicero in orat. pro lege Manilia commendat. Fuit etiam pontifex, ut in orat. de Responsis apparet : cujus locum tum filius videtur petiisse, quum Cicero, Fam. lib. II, scripserit ad eum, se de sacerdotio laborasse; etsi scio auguratum posse significari. Hic Ciceronis amicissimus fuit, ita ut ejus consulatum ἀποθέωσιν, ut ad Attic. lib. I, leges, appellaret. Cicero tamen illum sæpe mordebat. Decessit non ita multo ante quam Cicero in Ciliciam proficisceretur, ut ex Famil. lib. II, cognoscimus : quum vir optimus fuisset, ut Valer. Max. lib. IX, cap. 1, ostendit. Corr.

2. *Loquantur*. Eadem fere præcepta vid. Quint. V, 1.

3. *Et filias ej. Mucias ambas*. Hæc omnia in masculina mutari vult Gulielmius e cap. 72. Sed huic loco filiæ magis et solæ conveniunt, nempe propter verba, « quarum sermo mihi notus fuit » : nam de filiis si sermo esset, non opus fuisset addi hoc : de filiabus, opus erat, quas vulgo homines non audiebant loquentes, more romano; similiter loquitur de neptibus; nec vero repugnant ea, quæ cap. 72 dicuntur, ubi de Muciorum et Læliorum familiis in genere sermo est, quod et ad filios et ad filias pertinere potest. Ern. — M. Mucii Scævolæ

rum sermo mihi fuit notus; et neptes Licinias[4], quas nos quidem ambas, hanc vero Scipionis etiam tu, Brute, credo, aliquando audisti loquentem. — Ego vero, ac lubenter quidem, inquit Brutus; et eo lubentius, quod L. Crassi erat filia. — Quid Crassum, inquam, illum censes, istius Liciniæ filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus?[5] — Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit. Et vero hic Scipio[6], collega meus, mihi saue bene et loqui videtur, et dicere. — Recte, inquam, judicas, Brute. Etenim istius genus est ex ipsius sapientiæ stirpe generatum. Nam et de duobus avis jam diximus, Scipione et Crasso; et de tribus proavis, Q. Metello, cujus quatuor filii, P. Scipione, qui ex dominatu Tib. Gracchi privatus in libertatem rempublicam vindicavit, Q. Scævola augure, qui peritissimus juris, idemque percomis[7] est habitus. Jam duorum abavorum quam est illustre no-

auguris et Læliæ filias, et *Mucias* a patre de more nominatas, quarum altera L. Crasso nupsit, de Orat. lib. I, altera C. Mario, ut nos putamus. Certe Plutarchus Mucium Marii πενθερὸν vocat. Ob id fortasse Marius L. Crassi affinis a Cicerone, de Orat. lib. I, et in orat. pro Corn. Balbo vocatur. Scimus quidem quod idem Plutarch. in Cæsare scribit, Marium Juliam uxorem habuisse, sed duas habere potuit. Videtur etiam Marius filius L. Crassi filiam uxorem duxisse, unde Marius quidam, qui se M. filium esse dicebat, L. Crassum avum suum vocabat, ut ad Attic. leges, ep. 41, lib. XII. Corr.

4. *Licinias*. L. Licinii Crassi et Muciæ filias. Corr.

5. *Crassi testamento qui fuit adoptatus.* Illustrat Cujacius, Emend. et Observ. lib. VII, cap. 7. Gaut.

6. *Scipio*. Publius, ut putamus, vel Lucius, ut est apud Appianum, lib. II. Scipio, L. Scipionis et Liciniæ alter filius, qui et ipse adoptatus, Q. Metellus Q. F. Pius Scipio fuit appellatus: ut Famil. lib. VIII, ep. 8, legitur: qui quum fuisset consul cum Pompeio genero, et bellum cum Cæsare in Africa gessisset, se ipse tandem interfecit; quod etsi factum est antequam dialogus hic fieret, Brutus tamen de illo tamquam vivo loquitur: nisi forte prius hic dialogus fuerit cœptus, et postea absolutus: vel hic alius sit Scipio, cujus historiam nos invenire non potuerimus. Brutus autem illum vocat collegam suum; nam Brutus pontifex fuit. Corr.

7. *Idemque percomis*. Lectio Rivii *patronus* admitti nequit. Nam Scævola non fuit orator; comitas vero ejus laudatur Orat. I, 45. Sch.

men, P. Scipionis, qui bis consul fuit, qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissimi, C. Lælii[8]? — O generosam, inquit, stirpem, et tamquam in unam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illuminatam[9] sapientiam!

LIX. — Similiter igitur suspicor (ut conferamus parva magnis), Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone assuefactam domum; et eo magis hoc judico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis collegerat; non publicum jus, non privatum et civile cognoverat: quamquam id quidem fuit etiam in aliis, et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. Sed ii tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum; idque quum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat: in quacumque enim una plane claudicaret[1], orator esse non posset. Sed tamen alius in alia excellebat magis. Reperiebat, quid dici opus esset, et quomodo præparari[2], et quo loco locari, memoriaque

8. *C. Lælii*. De quo jam supra. Is pater fuit Læliæ, quæ nupsit Q. Scævolæ auguri: unde nata est Mucia L. Crassi uxor, et mater Liciniæ, ex qua natus est hic Scipio, cujus ipse Lælius ob id avus fuit. Corr.

9. *Illuminatam*. *Illuminatam* vitiose esse, in eo consentiunt. Quid rescribendum non facile dicas. Lambinus corrigebat *illiminatam*, quod durum utique est. An *illatam?* id sane et domui et arbori convenit; melius forte *illigatam*. Sed nihil decerno, nec mihi ipse satisfacio. Ern. — Sch. *illigatam* recepit, quia in insitione surculi *illigari* vel *colligari* solent. Cf. Columell. de Re Rust. V, 11.

LIX. 1. *Plane claudicaret*. MSS duo *clauderet*, quod est speciosum. Vid. Clav. in *claudere*. Horum verborum confusio et alibi in his libris rhetoricis notata est. Ern.

2. *Quomodo præparari*. Sic dedi pro *præparare*, quod extra hunc

ea comprehendebat Antonius; excellebat autem actione, erantque ei quædam ex his paria cum Crasso, quædam etiam superiora : at Crassi magis enitebat oratio. Nec vero Sulpicio, neque Cottæ dicere possumus, neque cuiquam bono oratori, rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. Itaque in Curione hoc verissime judicari potest, nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia; nam quum tardus in cogitando, tum in instruendo dissipatus fuit.

LX. Reliqua duo sunt, agere et meminisse : in utroque cachinnos irridentium commovebat. Motus erat is, quem et C. Julius in perpetuum notavit, quum ex eo, in utramque partem toto corpore vacillante, quæsivit, « quis loqueretur e lintre [1] »; et Cn. Sicinius [2], homo impurus, sed admodum ridiculus, neque aliud in eo oratoris simile quidquam. Is quum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset [3], sedente Cn. Octavio [4] collega, qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus, « Numquam, inquit, Octavi, collegæ tuo gratiam re-

contextum rectum esset, e grammatica ratione: hic, ubi statim sequitur, « et quo loco locari », non *locare*, et præcedit *dici*, nullo modo verum est, sed necessario corrigendum erat *præparari*: ne tiro quidem sic discrepet. Ern.

LX. 1. *Quis loquer. e lintre.* Nam qui vacillant in utramque partem loquentes, e lintre loqui videntur : quod linter, quum sit navicula, facile in utramque partem vacillat, si quis modo velit in eo stare et loqui. Corr.

2. *Cn. Sicinius.* Illum esse credimus, de quo Plut. in Crasso. Sicinii vero plebeii fuerunt. Nam Sicinius primus tribunus plebis fuit, ut Liv. lib. II, scribit; et hic Sicinius tribunus plebis hoc loco dicitur. Corr.

3. *Multa dixisset.* Schützius dat « multum se suo more ejectasset » de Schneideri sententia, conferrique jubet Quint. Inst. Or. XI, 3.

4. *Sedente Cn. Octavio collega.* Quintil. VI, 7, videatur legisse *assidente*. Sed *sedente* bene habet : nam dicenti seu stanti opponuntur semper *sedentes*. Vid. Clav. in h. v. Quid sit ante « produxisset consules », videant, quibus opus est, ibidem in *producere*.

feres; qui nisi se suo more jactavisset[5], hodie te istic muscæ comedissent ». Memoria autem ita fuit nulla, ut aliquoties, tria quum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret : qui in judicio privato vel maximo, quum ego pro Titinia Cottæ[6] peroravissem, ille contra me pro Ser. Nævio diceret, subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantionibus Titiniæ factum esse dicebat. Magna hæc immemoris ingenii signa; sed nihil turpius, quam quod etiam in scriptis oblivisceretur, quid paullo ante posuisset; ut in eo libro, ubi se, exeuntem e senatu, et cum Pansa nostro, et cum Curione filio, colloquentem facit [quum senatum Cæsar consul habuisset[7]], omnisque ille sermo ductus e percunctatione filii, quid in senatu esset actum. In quo multis[8] verbis quum inveheretur in Cæsarem Curio, disputatioque esset inter eos, ut est consuetudo dialogorum, quum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Cæsar consul habuisset, reprehendit[9] eas res, quas idem Cæsar anno post, et deinceps reliquis annis administravisset in Gallia.

LXI. (LIX.) — Tum Brutus admirans, Tantamne fuisse oblivionem, inquit, in scripto præsertim, ut ne legens quidem umquam senserit, quantum flagitii

5. *Qui nisi se suo more jactavisset.* Schützius dat solum : « qui nisi fuisset ».

6. *Titinia Cottæ.* Id est, uxore Cottæ.

7. *Quum... habuisset.* Hæc Schützius delevit, ut interpolata e sequentibus.

8. *In quo multis verbis.* Hæc periodus valde perplexa est, nec eam sine vitio puto. Verba quidem « quem senatum Cæsar consul habuisset » sunt spuria, repetita e superioribus, scilicet quia glossator adscripserat inter lineas aut in margine. Uncis inclusi. ERN.

9. *Reprehendit.* Jacobsius totum hunc locum ita constituendum arbitratur : « colloquentem facit : quum sermo esset institutus senatu misso, quem senatum Cæsar cos. habuisset, omnisque ille sermo ductus e percunctatione filii... dialogorum, reprehendit eas res ». SCH.

commisisset? — Quid autem, inquam, Brute, stultius, quam, si ea vituperare volebat, quæ vituperavit, non eo tempore instituere sermonem, quum illarum rerum jam tempora præteriissent? Sed ita totus errat, ut in eodem sermone dicat, in senatu[1] se, Cæsare consule, non accedere, sed id dicat ipso consule, exiens e senatu. Jam qui hac parte animi, quæ custos est ceterarum ingenii partium, tam debilis esset, ut ne in scripto quidem meminisset, quid paullo ante posuisset, huic, minime mirum est, ex tempore dicenti solitam effluere mentem. Itaque quum ei nec officium deesset, et flagraret studio dicendi, perpaucæ ad eum causæ deferebantur. Orator autem, vivis ejus æqualibus, proximus optimis numerabatur, propter verborum bonitatem, ut ante dixi, et expeditam ac profluentem quodam modo celeritatem. Itaque ejus orationes adspiciendas tamen censeo; sunt illæ quidem languidiores, verumtamen possunt augere et quasi alere id bonum, quod in illo mediocriter fuisse concedimus; quod habet tantam vim, ut solum, sine aliis, in Curione speciem oratoris alicujus effecerit. Sed ad instituta redeamus.

LXII. (LX.) In eodem igitur numero ejusdem ætatis C. Carbo[1] fuit, illius eloquentissimi viri filius, non satis acutus orator; sed tamen orator numeratus est.

LXI. 1. *In senatu se, C. c. non accedere, sed id d.* Primum sine dubio scribendum *in senatum*. Post et puto *et* pro *sed* legendum: propter verba: in eodem sermone. Ern.

LXII. 1. *C. Carbo.* Hunc inserit hoc loco, quum supra de illo cum aliis non proposuerit: sed facit, ut opinor, ne meditatus in dialogo dicere videatur. Hic tribunus plebis fuit, ut est in Oratore: de quo etiam Valer. Max. lib. III, cap. 7. Haud equidem certo scio, an ille sit, quem Damasippus interfecit, ut legimus apud Ciceronem, Famil. ep. 21, lib. IX. Corr. — Hic Carbo cognomine Arvina occisus est cum Scævola pontifice jussu Marii filii anno U. C. 671. Distinguendus ab eo Carbone, qui consul fuit cum juvene Mario, eodemque anno occisus est a Pompeio in Sicilia. J. V. L.

Erat in verbis gravitas, et facile dicebat, et auctoritatem naturalem quamdam[2] habebat oratio. Acutior Q. Varius[3] rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus; fortis vero actor, et vehemens, et verbis nec inops, nec abjectus, et quem plane oratorem dicere auderes. Cn. Pomponius[4] lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus. Multum ab iis[5] aberat L. Fufius[6]; tamen ex accusatione M'.[7] Aquillii diligentiæ fructum ceperat. Nam M. Drusum[8], tuum

2. *Naturalem quamdam*. *Quamdam naturalem* Guelf. 1.

3. *Q. Varius*. Q. Varius Sucronensis a Quintil. lib. V, cap. 12, et ab auctore libelli de Viris illustribus appellatus, ab oppido Hispaniæ. De Vario Crassus de Orat. libro I, ita loquitur : « Quis vestrum æqualem meum, Q. Varium, etc. » Nec me movet, quod Crassus suum vocet æqualem, et hic Cicero Cottæ et Sulpicio faciat æqualem ; quoniam potuit aliquanto minor natu Crasso, et aliquanto major Cotta et Sulpiciu ita esse, ut et Crasso et his duobus æqualis appellari posset ; nisi, quod ego minus probo, credat aliquis alterum fuisse. Hic « summu cruciatu supplicioque periit », ut legimus de Nat. Deor. lib. III, cap. 33. Val. Maxim. quoque lib. IX, cap. 2, hominem seditiosissimum et abjectissimum vocat, qui etiam videndus est lib. VIII, cap. 6. Corr.

4. *Cn. Pomponius*. Quæstor, tribunus plebis, ac denique prætor anno 657. Paust.

5. *Ab iis*. *Ab his* Sebötzius ex Gu. 1, 2.

6. *L. Fufius*. Quem furere dicit Antonius, de Orat. lib. II, cap. 22, ad nomen ejus respiciens. Paust.

7. *M'. Aquillii*. Fuit M'. Aquillius consul cum C. Mario, anno U. C. 553, unde Marii collegam de Orat. lib. II, vocat. Illum Romani multis avaritiæ criminibus, testimoniisque convictum, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, liberaverunt, ut ait in orat. pro Flacco. Corrad. —Vid. Cic. de suppliciis, cap. 1, et Offic. II, 14.

8. *M. Drusum*. M. Livium Drusum, M. Drusi et Corneliæ, ut in Consol. ad Marciam Seneca refert, filium, qui pupillus adhuc quum esset et prætextatus, judicibus reos commendabat, et se sic interponebat, ut quædam judicia ab illo rapta constet. Unde solebat dicere, sibi uni, nec puero quidem, ferias umquam contigisse : quod Seneca in lib. de Brev. vitæ scribit. Ob id Cic. de Off. lib. I, dixit, in eo adolescente gravitatem singularem fuisse. Hic quæstor in Asia nullis insignibus uti voluit, ne quid ipso esset insignius. Morbo comitiali elleboro in Anticyra insula constat esse liberatum, ut Plinius, lib. XXV, c. 5, et Gellius, lib. XVII, cap. 15, retulerunt. Inter hunc et Cæpionem ex annulo in auctione venali inimicitiæ cœperunt; unde origo socialis belli et exitia rerum, ut ait Plin. lib. XXV, cap. 5, et Gell. l. c. In atrio domus suæ cultello est percussus, quod scribunt Paterculus, lib. II; Liv. lib. LXX; Appianus, lib. I; Oros. lib. V, cap. 18, et Cicero

magnum avunculum[9], gravem oratorem, ita dumtaxat quum de republica diceret; L. autem[10] Lucullum etiam acutum, patremque tuum, Brute, juris quoque, et publici, et privati sane peritum; M.[11] Lucullum, M. Octavium[12], Cn. F. (qui tantum auctoritate, dicendoque valuit, ut legem Semproniam[13] frumentariam populi frequentis[14] suffragiis abrogaverit), Cn. Octavium, M. F. M. Catonem[15] patrem, Q. etiam Catulum[16] filium, abducamus ex acie, id est, a[17] judiciis, et in præsidiis reipublicæ, cui facile satisfacere possint, collocemus.

Eodem Q. Cæpionem[18] referrem, nisi nimis eque-

ipse orat. pro Milone. Corr. — Epit. Liv. 71; Florus, III, 17; Appianus, Bell. Civ. I, 35.

9. *Magnum avunculum.* Maternæ aviæ fratrem, ut grammatici docent, et tu ita colliges: M. Livius Drusus, qui senatus est patronus appellatus, habuit filios M. Livium Drusum, de quo loquimur, et Liviam, quæ mater fuit Catonis. Ita Drusus pater, Catonis fuit avus maternus; Drusus vero filius, ejusdem Catonis avunculus fuit, ut Liviæ matris frater, ut a Cicerone in orat. pro Milone, a Val. Maxim. lib. III, c. 1, et a Plutarch. vocatur. Eadem porro Livia, mortuo priore marito, nupsit Q. Servilio Cæpioni, unde nata est Servilia mater Bruti, quæ ex matre soror fuit Catonis. Et sic Cato, ut Serviliæ frater, Bruti fuit avunculus: Livia fuit avia materna, et M. Drusus, ejus frater, magnus avunculus. Corr.

10. *L. Lucullum.* Consul fuit anno 679, feliciter bellum cum Mithridate gessit usque in annum 687, quo imperium exercitus Pompeio tradidit.

11. *M. Lucullum.* Lucii Luculli fratrem, ut Plut. in Lucullo docet, quamvis Eutropius consobrinum vocet. Consul fuit anno Urb. cond. 680.

12. *M. Octavium.* Illum fortasse, quem Verrina I Ligurem vocat, et laudat: vel illum, quem cum C. Cotta consulem anno 679 esse, et Lucium vocari videmus. Ille certe Cn. F. in lapidibus Romanis appellatur. Corr.

13. *Legem Semproniam.* Lata fuit, anno 628, a Caio Graccho, qua cavebatur ut pauperibus frumentum a republica suppeditaretur eo pretio, ut modius pro $\frac{10}{12}$ assis constaret.

14. *Populi frequentis suff.* Alias legi *frequentibus* annotat Pighius in fastis suis ad ann. 633.

15. *M. Catonem.* M. Porcium Catonem, qui tribunus plebis fuit, et præturam petens, mortem obiit, ut Gellius, lib. XIII, cap. 19, scribit. Corr.

16. *Q. Catulum.* Viri consularis et triumphalis filium. Quæstor fuit, tribunus plebis, ædilis et prætor. Faust. — Consul fuit anno 675. Vid. Vell. Pat. II, 31. J. V. L.

17. *Id est, a judiciis.* Hoc glossatori acceptum ferendum esse, post P. Manutium judicavit Ruhnkenius ad Vell. Paterc. p. 144, et Seb. delevit.

18. *Q. Cæpionem.* Ne credas hunc

stri ordini deditus, a senatu dissedisset. Cn. Carbonem[19], M. Marium[20], et ex eodem genere complures minime dignos elegantis conventus auribus, aptissimos cognovi turbulentis concionibus : quo in genere (ut in iis perturbem ætatum ordinem) nuper L. Quintius[21] fuit; aptior autem[22] etiam Palicanus[23] auribus imperitorum. (LXI.) Et, quoniam hujus generis facta mentio est, seditiosorum omnium post Gracchos, L. Apuleius Saturninus[24] eloquentissimus visus est; ma-

eumdem esse ac illum Q. Servilium Cæpionem, qui consul fuerat anno U. C. 647. Hic est de quo agitur Cic. ad Herenn. I, 12. Wetzel putat eumdem esse atque illum Cæpionem de quo mentio fit supra cap. 46 et 56. Quæstor fuit anno 650, et fortiter Saturnini seditionibus obstitit. Obstitit etiam anno 662 iis legibus quibus Drusus jus judicandi senatoribus restituere conabatur. J. V. L.

19, *Cn. Carbonem.* Cn. Papirium Carbonem, qui Marianus fuit, etiam ante, quam consul fieret, ut Liv. LXXIX et seq. scripsit : deinde quum L. Cinna, et ipse Carbo a se ipsis consules per bienniom creati, bellum contra Sullam parassent, ac tandem Cinna ab exercitu suo interemptus esset, consulatum Carbo solus gessit, ut Liv. lib. LXXXIII, et Patercul. lib. II, præter alios ostendunt. Tandem illum consulem III cum Mario C. F. Sulla, exercitu ejus ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque cæso, Italia expulit, ut ait Liv. l. LXXXVIII, quem Pompeius in Sicilia captum occidit. Auctores laudo Livium, Valer. Max. Paterculum, Plut. et Appianum, qui res istas pluribus explicavit. Corr.

20. *M. Marium.* M. Marium Gratidianum, M. Marii Gratidiani filium, cujus caput abscissum per urbem sua mano Catilina tolit, et alia fecit quæ scribunt Cicero de Petit. consul. et alii. Hunc bis prætorem fuisse scribit Asconius. Quum vero prætor esset, collegas, tribunosque plebis eo modo decepit, quem Cicero, qui fuit affinis, de Off. lib. III, non probavit. Lis ei cum Sergio Aurata fuit ea, quam Cic. de Orat. lib. I, et Off. lib. II, ponit. Corr.

21. *Quintius.* Tribunus plebis ann. 680. Vid. Cic. pro Cluent. 27 et 40.

22. *Autem.* Hoc delet Schützius cum Gu. 1, 2.

23. *Palicanus.* M. Lollius Palicanus, qui et ipse tribunus plebis fuit, annis duobus post L. Quintium, L. Gellio et Cn. Lentulo coss. Val. Max. lib. III, cap. 8, testatur ita seditiosum fuisse, ut C. Piso consul illum suffragiis populi consulem creatum renuntiare noluerit, quod diceret non existimare se tantis tenebris offusam esse remp. ut huc indignitatis veniretur. Hunc Cicero, ad Att. ep. 1, lib. I, scripsit : « De Palicano non puto te exspectare, dum scribam », quod verisimile non esset illum, qui tam turpiter repulsus fuisset, iterum consulatum petiturum. Lollius ab Asconio dicitur, et ita gens Lollia plebeia cognoscitur. Corr.

24. *L. Apuleius Saturninus.* Tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit. Gracchanas enim leges

gis specie tamen, et motu, atque ipso amictu capiebat homines, quam aut dicendi copia, aut mediocritate prudentiæ. Longe autem post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia[25], sed peracutus et callidus, cum primisque ridiculus. Is ex summis et fortunæ, et vitæ sordibus, in prætura consul[26] factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset; nam et plebem tenebat, et equestrem ordinem beneficio legis[27] devinxerat. Is prætor, eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco consulibus, publice[28] est interfectus; homo simillimus Athe-

asserere non destitit, ut ait Flor. lib. III, c. 16. Nam legem Agrariam tulit, ut Liv. lib. LXIX scripsit, quam Plut. in Mario τὸν περὶ τῆς χώρας νόμον appellare videtur. Turbulentissimi hujus hominis res narrantur a Livio, Paterculo, Appiano, Floro, Orosio et aliis. Corr.

25. *C. Servilius Glaucia.* De quo loquuntur omnes historici, qui de L. Apuleio Saturnino scribunt. Is populum solebat monere, ut, quum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet: si esset «dictator, consul, prætor, magister equitum», ne laboraret: sciret nihil ad se pertinere: sin autem «quicumque post hanc legem», videret ne qua nova quæstione alligaretur. Hoc Cicero in orat. pro Rabirio Posthumo dicit. Corr.

26. *In prætura consul factus.* Per Saturnini factionem, ut tradit Florus, lib. III, 16. Nempe quum legibus caveretur, ut inter præturam et consulatum duo anni elaberentur, Glaucia tunc prætor consul fieri jure non poterat.

27. *Beneficio legis* Quam primus ipse Glaucia tulit, ut comperendinaretur reus, Verr. 1, quam legem *Glauciam* vocat Asconius, ob id fortasse, ne, si lex *Servilia*, ut debuit, diceretur, cum legibus aliis Serviliis confunderetur. Tulit certe legem ad judicia pertinentem, quæ tunc equites exercebant. Hinc Asconius ita scribit: «Q. Servilius Cæpio Scaurum ob legationis Asiaticæ invidiam, et adversus leges pecuniarum captarum, reum fecit repetundarum, lege, quam tulit Servilius Glaucia». In quibus quidem verbis Asconii, «legationis Africæ», de qua scribit Sallustius, videtur legendum. Corr. — *Legis.* Judiciariæ, qua judicia, quæ erant lege Q. Servilii Cæpionis cum senatu et equitibus communicata, sexto anno post solis equitibus restituta sunt. Schutz. — Aliam quoque tulit legem Glaucia, qua Latini fœderati qui senatorem accusaverant, si ille condemnatus fuisset, civitatis jure donabantur. Quæ lex invisa patriciis populo et equitibus placebat.

28. *Publice est int.* Vocem *publice* spuriam esse judico: nam esset e decreto senatus, quod in eo factum non est, Mariusque id fecit suo de consilio, contra fidem a senatu datam. Vid. Catil. III, 6. Adscripsit *publice* glossator, ut judicaret eum palam, in loco publico esse interfectum, imperitus scilicet latinitatis, quæ *publice*

niensis Hyperboli[29], cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt. Quos Sex. Titius[30] consequutus, homo loquax sane, et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu[31], ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset: ita cavendum est, ne quid in agendo dicendove facias, cujus imitatio rideatur.

LXIII. Sed ad paullo superiorem ætatem revecti sumus; nunc ad eam, de qua aliquantum loquuti sumus, revertamur. (LXII.) Conjunctus igitur Sulpicii ætati P. Antistius[1] fuit, rabula[2] sane probabilis, qui multos quum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Julii[3] illam consulatus petitionem extraordinariam[4], veram causam agens, est probatus; et eo magis, quod eamdem causam quum ageret ejus col-

sic non dicit. Ern. — Ernestii conjecturam J. V. L. reprehendit.

29. *Hyperboli.* Lucernarum faber improbus: quippe qui faciendis lucernis non ære solum, sed plumbo etiam uteretur, quo pluris eas, ut graviores, venderet, et sic emptores decipiebat: qui tamen μετὰ τὴν τοῦ Κλέωνος δυναστείαν διεδέξατο τὴν δημαγωγίαν, ut Aristophanis interpres in Nubib. et in Pace scribit. Fuit etiam στρατηγὸς Ἀθηναίων, ut idem interpres ait in Acharn. ἀπώλετο δὲ περὶ τὴν Σάμον, πολεμούντων αὐτῷ τῶν Σαμίων, ut interpres idem in Ranis refert. Corr.

30. *Sex. Titius.* Tribunus plebis anno 655, turbulentus ac seditiosus; vid. de Orat. II, 11; de Legg. II, 6.

31. *Solutus et mollis in gestu.* Nam « mollis in gestu » est nimis argutus: at *solutus* est negligens: quæ inter se pugnant. Scribendum aut *molestus* aut *argutus*. Ern.

LXIII. 1. *P. Antistius.* P. Antistius Labeo tribunus plebis cum collega P. Sulpicio Rufo acriter restitit C. Cæsari Straboni consulatum contra leges petenti. Triennio post prætor Pompeio quum filiam collocasset, quasi Sullæ partibus additus, a Damasippo in senatu interfectus est. Plutarch. in Pompeio. Pรust.

2. *Rabula.* Alii hunc verbum deducunt a *rabies*, alii a *ravus*, Vossius a ῥαζῶ, latrare, quod probabilius est. Forsan simpliciter originem trahit a ῥέω, *loqui*, sicut *fabula* a φημὶ, *fari*, *tabula* a τείνω (τάω), *extendere*, *stabulum* ab ἵστημι, *stare*, *pabulum* a πάω, *pascere*.

3. *C. Julii.* De quo supra cap. 48, qui ædilis fuerat anno 663. Consulatumque petebat, antequam præturam obtinuisset.

4. *Petitionem extraordinariam.* Sc. contra legem Villiam Annalem. Cf. Har. resp. cap. 20; Duker. ad Liv. epit. 56. Ern.

lega ille ipse Sulpicius, hic plura et acutiora dicebat. Itaque post tribunatum primo multæ ad eum causæ, deinde omnes, maxime quæcumque erant, deferebantur. Rem videbat acute, componebat diligenter, memoria valebat; verbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abjectis. Expedita autem erat et perfacile currens oratio. Et erat ejus quidem tamquam habitus non inurbanus; actio paullum quum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Hic temporibus floruit iis, quibus, inter profectionem reditumque L. Sullæ, sine jure fuit et sine ulla dignitate respublica[5]. Hoc etiam autem[6] magis probabatur, quod erat ab oratoribus quædam in foro solitudo. Sulpicius occiderat, Cotta aberat, et Curio; vivebat e reliquis patronis ejus ætatis nemo, præter Carbonem et Pomponium, quorum utrumque facile superabat.

LXIV. (LXIII.) Inferioris autem ætatis erat proximus L. Sisenna[1], doctus vir, et studiis optimis deditus, bene latine loquens, gnarus reipublicæ, non sine facetiis; sed neque laboris multi, nec satis versatus in causis; interjectusque inter duas ætates, Hortensii et

5. *Et sine ulla dignitate respublica.* Sulla in bellum Mithridaticum profectus est anno 666, rediitque anno 670, postquam Mithridati pacem dedecoram imposuisset. Interea Romæ debacchabatur factio Marii.

6. *Hoc etiam autem.* Schützius dat « hoc autem magis ». *Autem* abest Gu. 1, 2. Hoc Ernestio durum adeo videbatur, ut vel *autem*, vel *etiam* deleri vellet, in primis *autem*.

LXIV. 1. *L. Sisenna, doctus vir, et studiis optimis*, etc. Sisennam cognomen in Gabiniis apud Valer. Maxim. lib. VIII, cap. 1, et Dion. lib. XXXIX, et in Statiliis apud Paterculum lib. II, invenio, neque tamen scire certo possum, ex qua gente L. hic Sisenna fuerit, de quo Paterculus ita scribit : « historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis, sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est ». Videtur latine Sisenna id bellum scripsisse, ut patet ex lib. I et II de Div. Ovid. de Trist. lib. II, hoc addit : « Vertit Aristideu Sisenna, nec obfuit illi Historiæ turpes inseruisse jocos ». Corr. — Vide fragmenta Sisennæ in Sallustio Cortii.

Sulpicii, nec majorem consequi poterat, et minori necesse erat cedere. Hujus omnis facultas ex historia ipsius perspici potest: quæ quum facile omnes vincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis literis illustratum.

Nam Q. Hortensii admodum adolescentis ingenium, ut Phidiæ signum, simul adspectum et probatum est. Is, L. Crasso, Q. Scævola consulibus, primum in foro dixit, et apud hos ipsos quidem consules, et quum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, judicio discessit probatus. Undeviginti annos natus erat eo tempore. Est autem L. Paullo, C. Marcello consulibus mortuus: ex quo videmus, eum in patronorum numero annos quatuor et quadraginta fuisse. Hoc de oratore paullo post plura dicemus; hoc autem loco voluimus ætatem ejus[2] in disparem oratorum ætatem includere: quamquam id quidem omnibus usu venire necesse fuit, quibus paullo longior vita contigit, ut et cum multo majoribus natu, quam essent ipsi, et cum aliquanto minoribus compararentur. Ut Attius, iisdem ædilibus, ait, se et Pacuvium docuisse fabulam, quum ille octoginta, ipse triginta annos natus esset; sic Hortensius non cum suis æqualibus solum, sed et mea cum ætate, et cum tua, Brute, et cum aliquanto superiore conjungitur; siquidem et Crasso vivo dicere solebat, et magis jam etiam vigebat cum Antonio, et cum Philippo jam sene, pro Cn. Pompeii

2. *Ætatem ejus*. Ætas huic loco non bene convenit: non enim sermo est de ætate ejus. A Ven. Med. Ald. Junt. abest *ejus*, additum post, sensus explendi causa. An fuit: « voluimus eum in d. » et inde *ætatem* vitio scribarum factum per viciniam istius verbi? Ern. — Schützius delevit *ætatem ejus*, subaudito *eum oratorem*. Schneiderus conj. « voluimus juventutem ejus in disparem o. æt. includere ».

bonis dicente[3]: in illa causa adolescens quum esset, princeps fuit, et in eorum, quos in Sulpicii ætate posui, numerum facile pervenerat; et suos inter æquales M. Pisonem, M. Crassum, Cn. Lentulum, P. Lentulum Suram longe præstitit; et me adolescentem nactus octo annis minorem, quam erat ipse, multos annos in studio[4] ejusdem laudis exercuit; et tecum simul, sicut ego pro multis, sic ille pro Appio Claudio dixit, paullo ante mortem.

LXV. (LXIV.) Vides igitur, ut ad te oratorem, Brute, pervenerimus, tam multis inter nostrum tuumque initium dicendi interpositis oratoribus? Ex quibus, quoniam in hoc sermone nostro statui neminem eorum, qui viverent, nominare, ne vos curiosius éliceretis[1] ex me, quid de quoque judicarem, eos, qui jam sunt mortui, nominabo. — Tum Brutus, Non est, inquit, ista causa, quam dicis, quamobrem de iis, qui vivunt, nihil velis dicere. — Quænam igitur, inquam, est? — Vereri te, inquit, arbitror, ne per nos hic sermo tuus emanet, et ii tibi succenseant, quos præterieris. — Quid? vos, inquam, tacere non poteritis? — Nos quidem, inquit, facillime; sed tamen te arbitror, malle ipsum tacere[2], quam taciturnitatem nostram experiri. — Tum ego, Vere, inquam, tibi, Brute, dicam : non me existimavi in hoc sermone usque ad hanc ætatem esse venturum; sed ita traxit ordo æta-

3. *Dicente.* Schützius *dicens*; quod videtur commodius explicandæ sententiæ. J. V. L.

4. *Studio.* Rivius conjecit *stadio* frustra et non necessaria de causa. Et in stadio proprie non exercentur, sed exercitati decurrunt certantes de præmio. ERN. — Lambinus Rivium sequutus est, quem J. V. L. probat.

LXV. 1. *Eliceretis.* Est e correctione Rivii. Libri scripti et edd. *eligeretis*, male, et solita confusione literæ c. et g. de qua ad Tacitum vidimus. ERN. — Forte quis *eligeretis* defendat e Tusc. III, 34. J. V. L.

2. *Malle ipsum tacere.* In MSS Pal. Cujac. non reperitur *id*, quod vulgo ante *ipsum* additur : recte; nam non sermo est de re, quæ taceatur : itaque delevi. ERN. — Cui Schütz. assentitur.

tum orationem, ut jam ad minores etiam pervenerim. — Interpone igitur, inquit, si quos videtur; deinde redeamus ad te, et ad Hortensium. — Immo vero, inquam, ad Hortensium; de me alii dicent[3], si qui volent. — Minime vero, inquit : nam etsi me facile omni tuo sermone tenuisti, tamen is mihi longior videtur, quod propero audire de te; nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quæ quum omnibus, tum certe mihi notissimæ sunt, quam quod[4] gradus tuos, et quasi processus dicendi studeo cognoscere. —(LXV.) Geretur, inquam, tibi mos; quoniam me non ingenii prædicatorem esse vis, sed laboris mei. Verum interponam, ut placet, alios, et a M. Crasso[5], qui fuit æqualis Hortensii, exordiar.

LXVI. Is igitur mediocriter a doctrina instructus, angustius etiam a natura, labore et industria, et quod adhibebat ad obtinendas causas curam etiam et gratiam[1], in principibus patronis aliquot annos fuit. In hujus oratione sermo latinus erat, verba non abjecta, res compositæ diligenter; nullus flos tamen, neque

3. *Dicent.* Scribendum arbitror *dicant :* non dicit quid futurum sit; sed relinquit aliis de se dicere, quod est *dicant*, non *dicent*. Ern.

4. *Quam quod. Quod* haud dubitanter delendum : turbat enim constructionem. Pendent omnia a « studeo cognoscere »; nisi in primo « de virtutibus tuis », e præcedentibus malis repetere *audire :* certe in altero est, quam studeo cognoscere gradus, etc. itaque *quod* uncis inclusi. Ernest. — Potest tamen defendi sic, ut intelligatur : « quam propero, quod ». Sch.

5. *M. Crasso.* M. Licinius Crassus, Romanorum ditissimus, amplissimis magistratibus ipsoque consulatu iterum perfunctus, Syriam proconsul obtinuit anno 700, belloque adversus Parthos infeliciter gesto, amissa maxima exercitus parte, occisus est. Aurum liquidum in os cadaveris infuderunt barbari, ut cujus animus, inquit Florus, arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum et exsangue corpus ureretur. Faust. — Is fuit consul anno 662 atque iterum 698. Fuit cum Cæsare et Pompeio triumvir, atque occisus est anno 701, in illo infelici bello quod Parthis intulerat.

LXVI. 1. *Et gratiam.* Nempe quia gratia valebat apud multos, judices extra judicium et ante judicium docendo, monendo, rogando, etc. præparare, conciliare causæ, poterat. Ernest.

lumen ullum; animi magna, vocis parva contentio, omnia fere ut similiter atque uno modo dicerentur. Nam hujus æqualis et inimicus C. Fimbria[2] non ita diu jactare se potuit: qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. Cn. autem Lentulus[3] multo majorem opinionem dicendi actione faciebat, quam quanta in eo facultas erat: qui quum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, admirando irridebat, calebat in[4] agendo,

2. *C. Fimbria.* C. Flavius Fimbria, qui L. Valerii Flacci consulis legatus fuit, ut Livius, lib. LXXXII, scripsit, quum L. Valerium Flaccum in Bithynia apud Numidiam interfecisset, et imperium ad se transtulisset, Ilium, quod sibi portas clausisset, undecimo die cepit et evertit: et quum ob id gloriaretur, quod quam urbem Agamemnon decimo anno vix cepit, quum mille navium classem et universam Græciam secum haberet, eam ipse undecimo die cepisset, respondit quidam ex Iliensibus: « Non enim Hector aderat, qui pro civitate pugnaret ». Sed ille paullo post apud Thyatiram, quum ab exercitu Sullæ obsideretur, in templo Æsculapii sua et servi manu interfectus est, ut videbis apud Liv. lib. LXXXIII; Strab. lib. XIII; Plut. in Sulla; Appian. in Bell. Mithridat. Oros. lib. VI, cap. 2, et Paterc. lib. II. Addit autem Cicero: « Non ita diu jactare se potuit », quod scilicet « se interemit, adulescens, quæ ausus erat, fortiter exsequutus », ut ait Patercul. loco citato, et recte « ausus erat », quoniam fuit « homo longe audacissimus », ut ait Cicero in orat. pro Roscio Amerino. Vide Valer. Max. IX, 11. Coss.

3. *Cn. Lentulus.* Multa huic cum L. Gellio, de quo supra, sunt communia, quum et in censura, et in consulatu collegæ fuerint: illud est hujus proprium, quod male adversus Spartacum pugnavit, ut Liv. lib. XCVI, et Orosius, lib. V, cap. 24, scripserunt. Censor dicitur in Verr. V, in or. pro Flacco, et in orat. pro Domo. In eo vero summum consilium, et summam gravitatem fuisse, testatur in orat. pro lege Manilia. Is videtur esse, qui Philippo et Marcellino coss. decessit, ad Attic. lib. IV, epist. 6, quamvis aliter olim scripserimus. Temporibus Marianis abfuit. Corr.

4. *Admirando irridebat, calebat in agendo.* Quæ hic substituunt Corradus aut Lambinus, non firmantur MSS nostris; ideoque non abii a recepta lectione, quæ εἴρωνα indicare videtur, cujus hoc proprium, ut dum laudet et admirari se simulet, *irrideat.* Gaut.—*Adm. irridebat.* Hoc est sine dubio vitiosum: idque suboluit Cor-

ut ea, quæ deerant, non desiderarentur. Ita, tamquam Curio copia nonnulla verborum, nullo alio bono, tenuit oratorum locum; sic Cn. Lentulus ceterarum virtutum dicendi mediocritatem actione occultavit, in qua excellens fuit. Neque multo secus P. Lentulus[5], cujus et excogitandi et loquendi tarditatem tegebat formæ dignitas, corporis motus plenus et artis et venustatis, vocis et suavitas et magnitudo. Sic in hoc nihil præter actionem fuit; cetera etiam minora, quam in superiore.

LXVII. (LXVI.) M. Piso[1] quidquid habuit, habuit ex

rado; nam non habet sensum commodum at aptum. Quomodo corrigi debeat non pro certo dicam: nisi quod aliquid esse debet, quod ad dictionem pertineat. Corradus conjungit «sic... calebat», cetera in parenthesi accipit. Lambinus corr. «admirando, irridendo..., agendo denique latebat». Non displicet «admirando irridendo»: sed pro *calebat*, legam *valebat*, quod omnibus convenit. Ern. — Schütz. dat: «admirantes irretiebat, et sic calebat in agendo».

5. *P. Lentulus.* P. Cornelius Lentulus Sura, is qui cum L. Sergio Catilina conjuravit: quem putat Asconius P. Lentuli illius, quem Cicero, Div. principem senatus appellat, filium fuisse: quod tempora non pati videntur, ut hic Sura filius fuerit illius, quem Cicero loco citato, et de Orat. lib. I, P. Africano vel majorem natu, vel æqualem fuisse ostendit. M. Antonius certe, de Orat. lib. I, de illo sic loquitur, ut de homine, qui tot annis ante obiisset, ut hujus Lentuli pater vix esse potuerit. Quin si vir tantus hujus P. Lentuli pater fuisset, Cicero ei aliquando objecisset, ut avum in orat. III in Catilinam; cujus imaginem Sura non potius quam patris in annulo gestasset, si talem patrem habuisset. Videri potest igitur M. Marcelli filius. Quæstor Sullæ fuit, postea prætor, ac deinde consul cum Cn. Aufidio Oreste, anno ab U. C. 682. Sed quum vita ejus semper, ut ait Porcius Latro, in obeundis libidinibus versaretur, ac societate turpissimorum hominum notaretur, bis accusatus, et, ut ad Attic. lib. I, Cicero scribit, absolutus est: quod judices, ut auctor est Plutarchus in Cicerone, corrupisset. Non ita multo post tamen senatu motus est, et ut amissam dignitatem recuperaret, prætor iterum factus fuerat, quando cum Catilina conjuravit. Corr.

LXVII. 1. *M. Piso.* M. Pupius Piso Calpurnianus, sic appellatus a quibusdam, quod eum M. Pupius in orat. pro Domo dicatur adoptasse. Hic quæstor quum L. Pisoni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est (Verr. I). Hic idem in ædilitate offensiunculá (nam populus illi M. Seium prætulit) accepta, summos a populo honores, ut in orat. pro Plancio legimus, est adeptus. Nam proconsul in Hispania fuit, unde triumphavit, ut Cicero in orat. pro Flacco, et in Pison. significat. Illum,

disciplina, maximeque ex omnibus, qui ante fuerunt, græcis doctrinis eruditus fuit. Habuit a natura genus quoddam acuminis (quod etiam arte limaverat), quod erat in reprehendendis[2] verbis versutum et solers, sed sæpe stomachosum, nonnumquam frigidum, interdum etiam facetum. Is laborem, quasi cursum forensem, diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac stultitias, quæ devorandæ nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. Is quum satis floruisset adolescens, minor haberi est cœptus postea; deinde ex virginum[3] judicio magnam laudem est adeptus, et ex eo tempore quasi revocatus in cursum, tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem; postea, quantum detraxit ex studio, tantum amisit ex gloria. (LXVII.) P. Murena[4]

ad Attic. lib. 1, hominem perversum, vitiosum, inertem, somni plenum, imperitum appellat: quod forte facit iratus: alibi certe fere semper illum laudat. Corr. — Hic consul fuit anno U. C. 692, nec idem putandus est atque ille L. Piso, quo consule Cicero in exsilium pulsus est, vel ille C. Piso consul anno 680, de quo mentio erit cap. 68.

2. *Quod erat in rep.* Paullo durius est *quod*, quia idem verbum statim præcessit. Sed sunt similia loca apud Ciceronem relativi amantiorem, ut infra, cap. 91: «quibuscum exercebar ipsis libentibus; quorum princeps erat, etc.» Ceterum in hac lectione verba «quod etiam arte limaverat» sunt in parenthesi. Sed malim *quod* deleri. Ernest.

3. *Ex virginum judicio.* Post quarum absolutionem decimus annus fuit in Ciceronis consulatu, ut ait in orat. III in Catil. Accusatus enim fuit Catilina incesti, quod cum Fabia virgine vestali commisisse arguebatur: sed Catuli gratia fultus evasit, ut Orosius, lib. VI, cap. 3, scribit. Sed et Fabia ipsa causam incesti dixerat, quum ei Catilina objiceretur, eratque absoluta hæc Fabia, quia soror erat Terentiæ Ciceronis, ut ait Asconius. Virgines vero ipsas P. Cludius accusavit; et M. Cato defendit, ut Plut. in Catone scribit. In eo judicio M. hic Piso magnam laudem est adeptus, ut hic ait. Corr.

4. *P. Murena.* P. Licinius Murena, qui sublatus infra fuisse dicitur: cujus historiam quærent alii. Nos apud Macrob. Saturn. lib. III, invenimus, Varronem asseruisse, eodem modo Licinios appellatos Murenas, quo Sergius *Aurata* cognominatus: quod ei pisces, qui auratæ vocantur, carissimi fuerint. Hanc gentem plebeiam fuisse Cicero in orat. pro Murena testatur. Corr.

mediocri ingenio, sed magno studio rerum veterum, literarum et studiosus et non imperitus, multæ industriæ et magni laboris fuit. C. Censorinus[5] Græcis literis satis doctus, quod proposuerat, explicans expedite, non invenustus actor, sed iners, et inimicus fori. L. Turius[6] parvo ingenio, sed multo labore, quoquo modo poterat, sæpe dicebat. Itaque ei paucæ centuriæ ad consulatum defuerunt. C. Macer[7] auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. Hujus si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii everteret[8], majus nomen in patronis fuisset: non erat abundans, non inops tamen; non valde nitens, non plane horrida oratio; vox, gestus, et omnis actio sine lepore; at in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem majoremque cognoverim; sed eam, ut citius veteratoriam, quam oratoriam diceres. Hic etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in privatis illustriorem obtinebat locum.

LXVIII. (LXVIII.) C. deinde Piso[1], statarius, et ser-

5. *C. Censorinus.* Quæstor an. 714. Marianæ factioni addictus, Cn. Octavium consulem occidit; et ipse vicissim occisus est reverso Sulla, anno 672. PRUST.

6. *L. Turius.* De quo nihil, quod sciam, exstat. CORR.

7. *C. Macer.* C. Licinius Macer, de quo Cicero prætor incredibili ac singulari populi voluntate transegit. Damnatus est autem, κρινόμενος κλοπῆς, ut ait Plutarch. in Cicerone, id est, repetundarum, ut scribit Valer. Maxim. lib. IX, cap. 12. CORR. — Hic tentavit tribunitiam potestatem, multum a Sulla comminutam, instaurare: eique a Sallustio tribuitur vehementissima oratio, quam in hujus fragmentis reperias. Pater erat Macer Calvi oratoris, de quo vide infra c. 82.

8. *Everteret.* Ernest. corrigit *evertisset*, quasi postulante latinitate, sed in hoc reprehenditur a Schütz. et J. V. L.

LXVIII. 1. *C. Piso.* C. Calpurnius Piso, quo præture Cicero Q. Roscii comœdi causam defendit, quemque in causa Cæcinæ adversarium habuit. Is cum M'. Glabrione consul fuit, anno U. C. 687, et tum Pompeium voluit impedire, ne adversus piratas proficisceretur. Tunc etiam legem Calpurniam de ambitu tulit, in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque est ad-

monis[2] plenus orator, minime ille quidem tardus in excogitando, verumtamen vultu et simulatione multo etiam acutior, quam erat, videbatur. Nam ejus æqualem M'. Glabrionem[3], bene institutum avi Scævolæ diligentia, socors ipsius natura negligensque tardaverat. Etiam L. Torquatus[4], elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Meus autem æqualis Cn. Pompeius[5], vir ad omnia

jecta, ut scribit Asconius, et Cicero meminit in orat. pro Murena. Postea proconsul in Galliam profectus est, sed domum quum rediisset, repetundarum postulatus est, et a C. Julio Cæsare oppugnatus propter cujusdam Transpadani injustum supplicium; quare postea cum illo graves exercuit inimicitias, ita ut impellere Ciceronem tentarit, ut Cæsar inter conjuratos nominaretur, ut ait Sallustius. Piso, Cicerone consule defendente, quia consul fortis constansque fuerat, incolumis est reip. conservatus, ut leges in orat. pro Flacco. Nondum mihi satis constat, an is ille sit, quem Plutarchus ἄνδρα ἱστορικὸν vocat: quod mirum sit, quum Plutarchus testatur illum de Mario scripsisse, ne quis forte putet illum esse, quem supra diximus L. Pisonem vocatum fuisse, et multo ante vixisse. Corr.

2. *Sermonis plenus orator*. Cur *sermonis plenus?* Hoc quidem videtur a præceptis dicendi fuisse in vitio. An scripsit *leporis?* quod sequentibus bene convenit, ubi acutus fuisse dicitur, etsi minus, quam videbatur. Ceterum si intelligas leniter et sine motu, magis disserentis ac disputantis quam agentis modo dicentem, ferri videtur posse. Ernest. —Vulgatam lectionem bene defendit J. C. Theoph. Ernest. Lex. technol. Lat. rhet. p. 354.

3. *M'. Glabrionem*. M'. Acilium Glabrionem: et Acilium, non Attilium, ut in libris sæpe leges, scribere debemus, quoniam gens hujus Glabrionis Acilia fuit, et pater ab Asconio M'. Acilius appellatur, qui legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, in quam ne comperendinari quidem licebat reum, ut legitur Act. Verr. I. Hujus gens plebeia fuit, ut ostendit Livius, qui lib. XXXV scribit, P. Scipioni de plebe M'. Acilium Glabrionem collegam additum fuisse. Hoc vero M'. Glabrione prætore Cicero Verrem accusavit, ut Asconius scribit, et in ipsis Verrinis apparet. Hic et cum C. Pisone consul fuit, et, ut Plutarchus scribit, in Bithyniam profectus est. Corr.

4. *L. Torquatus*. L. Manlius Torquatus, et quidem patricius, ut in or. pro P. Sulla cognosces, quum Manliorum familia duplex esset, ut supra diximus. Hic Ciceronis et Attici condiscipulus, ut Nepos ait in Attico, fuit. Cum L. Aurelio Cotta consul est factus anno U. C. 689, quos Antonius, Catilina et alii in Capitolio kal. jan. ut scribit Sallustius, interficere paraverunt. Post consulatum videtur in Macedonia res ita magnas gessisse, ut Cicerone, jam tum consule, referente, absens imperator sit appellatus, ut in orat. in Pisonem dicitur. Corr.

5. *Cn. Pompeius*. Pompeius eodem anno, quo Cicero, natus est, U. C.

summa natus, majorem dicendi gloriam habuisset, nisi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. Erat oratione satis amplus, rem prudenter videbat; actio vero ejus habebat et in voce magnum splendorem, et in motu summam dignitatem. Noster item æqualis D. Silanus[6], vitricus tuus, studii ille quidem habuit non multum, sed acuminis et orationis satis. Q. Pompeius[7], A. F. qui Bithynicus dictus est, biennio, quam nos, fortasse[8] major, summo studio dicendi, multaque doctrina, incredibili labore atque industria; quod scire possum : fuit enim mecum et cum M. Pisone, quum amicitia, tum studiis exercitationibusque conjunctus. Hujus actio non satis commendabat orationem; in hac enim satis erat copiæ, in illa autem leporis parum. Erat ejus æqualis P. Antronius[9], voce peracuta atque magna, nec alia re ulla probabilis; et L. Octavius Reatinus[10], qui quum multas jam causas diceret, adolescens est mortuus : is tamen ad dicendum veniebat magis audacter,

647, C. Atilio Serrano et Q. Servilio Cæpione coss. obiit anno 705, Cæsare et P. Servilio coss.

6. *D. Silanus, vitricus tuus.* Bruti mater Servilia, quum esset vidua, ipsi Silano nupsit. Silanus autem consul designatus censuit eos, qui remp. delere conati fuerant, morte esse multandos. Lege orat. IV in Catilin. Fuit vero consul cum L. Murena, anno U. C. 692. Corr.

7. *Q. Pompeius.* De quo nullam mentionem, nisi in hoc dialogo, fieri vidimus, et apud Oros. lib. VI, c. 15, in Ægypto interfectum fuisse legimus. —*Auli filius.* Credimus eum esse istius filium, qui obiit in Capitolio, quum deos salutasset, ut Plinius, lib. VII, cap. 53, scribit. Corr.

8. *Fortasse.* Vide in Clav. *fortasse*, ne tenies *fere*. Ern.

9. *P. Antronius.* Qui se Ciceronis condiscipulum in pueritia, familiarem in adolescentia, collegam in quæstura commemorabat fuisse : qui consul designatus, quum accusaretur ambitus, judicium tollere se disturbare primo conflato voluit gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concursu, sed damnatus ita se gessit, ut Cicero in orat. pro L. Sulla scribit : ubi nobis illum hominem, ut paucis dicam, scelestissimum describit. Corr. — Hic in cap. 17 et 18 Sallustii nominatur, ut conscius primæ et alteræ conjurationis Catilinæ.

10. *L. Octavius Reatinus.* De quo nihil nos aliud invenimus. Corr.

quam parate. Et C. Stalenus[11], qui se ipse adoptaverat, et de Staleno Ælium fecerat, fervido quodam, et petulanti, et furioso genere dicendi : quod quia multis gratum erat et probabatur, adscendisset ad honores, nisi in facinore manifesto deprehensus, pœnas legibus et judicio dedisset.

LXIX. (LXIX.) Eodem tempore C. et L.[1] Cæpasii fratres fuerunt, qui multa opera, ignoti homines et repentini, quæstores celeriter facti sunt oppidano quodam et incondito genere dicendi[2]. Addamus huc etiam, ne quem vocalem præteriisse videamur, C. Cosconium[3] Calidianum, qui nullo[4] acumine, eam tamen verborum copiam, si quam habebat, præbebat

11. *Et C. Stalenus.* Sic rescripsi pro *Staienus*, quod nescio quare tamdiu sit toleratum, quum sit *Stalenus* in orat. pro Cluent. et alibi et propugnetur a Rivio ad h. l. Etsi quædam contra disputat P. Manutius ad illam orat. tamen constantia adhibenda in eodem scriptore. Ern. — C. Stalenus Pætus. Hoc enim sibi cognomen ex Æliorum imaginibus delegerat, ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ, quam generis uti cognomine videretur, ut ait in orat. pro Cluentio. Sed in orat. pro Sextio ita scribit : « Ex novem tribunis plebis, quos tunc habueram, unus, me absente, defluxit, qui cognomen sibi ex Æliorum imaginibus arripuit, quo magis nationis ejus esse quam generis videretur ». De eo pluribus agit Cic. in. orat. pro Cluent. et in Topicis. Corr. — Pighius corrigi volebat *Ælium* in *Pætum*, quod Schützius ait non opus esse.

LXIX. 1. *C. et L. Cæpasii.* Homines industrii, atque eo animo, ut quæcumque dicendi potestas esset data, in honore atque beneficio ponerent ; ut in orat. pro Cluentio loquitur : ubi ita de illis verba facit, ut eos irridere potius quam laudare videatur. Corr.— Est apud Sallustium inter conscios Catilinæ Cœparius quidam, qui quid commune cum his habuerit doctioribus quærendum relinquo.

2. *Oppidano..... genere dicendi.* Oratio est non urbana, nec elegans, nec nitida : sed velut vicana et municipalis, aut castellana : quod in oppidis, vicis, castellis, municipiis non tam integre incorrupteque, quam in urbe loqui solerent. Sed et *homo repentinus* ibidem dicitur homo novus, qui subito repenteque in hominum cognitionem, famam, commendationemque pervenit. Turn. Advers. XIV, cap. 22.

3. *C. Cosconium.* Qui in orat. pro Sulla videtur prætor fuisse, consule Cicerone ; quum tamen eodem Cicerone prætore fortasse extra ordinem in Illyrico proconsul fuisset : nisi fuit alter, præsertim quum *Cneus*, non *Caius*, ab Eutropio, lib. VI, ille dicatur. Hic certe in orat. pro Cluentio *Caius* appellatur. Corr.

4. *Qui nullo acumine... clamore.*

populo cum multa concursatione magnoque clamore. Quod idem faciebat Q. Arrius[5], qui fuit M. Crassi quasi secundarum[6]. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum[7] obedire tempori, multorumque vel honori, vel periculo servire. His enim rebus, infimo loco natus, et honores, et pecuniam, et gratiam consequutus, etiam in patronorum, sine doctrina, sine ingenio, aliquem numerum pervenerat. Sed ut pugiles inexercitati, etiamsi pugnos et plagas, Olympiorum cupidi, ferre possunt, solem tamen sæpe ferre non possunt; sic ille, quum omni jam fortuna prospere functus labores etiam magnos excepisset, illius judicialis anni severitatem[8], quasi solem, non tulit.

(LXX.) — Tum Atticus, tu quidem de fæce, inquit, hauris, idque jamdudum : sed tacebam; hoc vero non putabam, te usque ad Stalenos et Antronios esse ven-

Locus durior est, quod consequens videtur deesse. Nihil enim respondet verbis *eam tamen*. Planus fiat, si deleas *si* in verbis *si quam habebat*. Ern.

5. *Q. Arrius*. Is videtur esse, qui prætor Chrysum fugitivorum ducem cum viginti millibus hominum cecidit, ut Livius, lib. XCVII, scripsit; quique C. Verri successurus putabatur, ut Verrina II et IV dicitur. Is quum esset loco infimo natus, ut hic ait, post præturam diu jacuit : sed Cæsare et Bibulo coss. quum Pompeius, Crassus, et ipse Cæsar rempublicam tenerent, se consulem fieri posse speravit : verum destitutus ægre tulit sibi ereptum fuisse consulatum, ut ad Atticum, lib. II, epist. 5 et 6, videbis.

6. *M. Crassi quasi secundarum*. Sic e MSS dedit Lambinus, quem sequutus est J. Gronovius, nixus etiam observatione paterna super usu hujus formæ in Obs. Eccl. cap. ult. Sed Rivius monet in ed. Rom. esse *secum damus*. Ed. Med. inde fecit *secundarius*, quod ceteri sequuti sunt. *Secundarum* tamen jam habet ed. Ven. et inde Corradus, ut opinor. Ernest.— Gu. 1, 2, *secundarum*. Nempe similitudo ducta est ab actore secundarum partium. Sch.

7. *Multorum*. Hoc delendum censent Wakefieldus, Sylv. Crit. lib. III, p. 33, et ante eum Gruterus, quod abest Pal. probante Schneidero : abest autem Guelf. 2. Itaque delevi. Sch.

8. *Illius judicialis anni severitatem*. Intellige annum, quo a Pompeio legibus pluribus forma judiciorum immutata, et oratores brevi mora interposita, dicere jussi sunt : quod quum non possent minus exercitati, ii relinquere actiones coacti sunt : de qua re adeundus Ascon. ad Cic. et infra Noster, cap. 94. Ernest. — Vide Ciceronem, Fin. IV, 1, infra c. 94.

turum. — Non puto, inquam, existimare te, ambitione me labi, quippe de mortuis; sed ordinem sequens, in memoriam notam et æqualem necessario incurro. Volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos; verum, qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. Sed ad sermonem institutum revertamur.

LXX. T. Torquatus[1], T. F. et doctus vir ex Rhodia disciplina Molonis, et a natura ad dicendum satis solutus atque expeditus (cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu[2], consul factus esset), plus facultatis habuit ad dicendum, quam voluntatis. Itaque studio huic non satisfecit; officio vero nec in suorum necessariorum causis[3], nec in sententia senatoria defuit. Etiam M. Pontidius[4], municeps noster, multas privatas causas actitavit, celeriter sane verba volvens, nec hebes in causis, vel dicam, plus etiam quam non hebes, sed effervescens in dicendo stomacho sæpe iracundiaque vehementius; ut non cum adversario solum, sed etiam (quod mirabile esset) cum judice ipso, cujus delinitor esse debet orator, jurgio sæpe contenderet.

M. Messalla[5] minor natu, quam nos, nullo modo

LXX. 1. *T. Torquatus*. Alii quærent historiam. Corr.

2. *Sublato ambitu*. Pompeius, in tertio consulatu, severissimam legem tulerat de ambitu. Cf. Dio, XXXIX, 37; XL, 52.

3. *In suorum necessariorum causis*. Redundat *suorum*. Alibi, ut Arch. 6, dicit *pericula amicorum*, non *meorum*, sed additum est fortasse a Cicerone, ut membra æqualia faceret, ut aliis quoque locis factum observavimus. Si quis tamen malit delere, non valde repugnem: nam sæpe ista pronomina a glossatoribus, item librariis et correctoribus addita sunt. Ern.

4. *M. Pontidius*. Idem fortasse qui laudatur in Orat. II, 68. Corr.

5. *M. Messalla*. M. Valerius Messalla, quem Cicero consul constituit cum aliis, qui omnia judicum dicta præscriberent, quum tunc ille præturam peteret, ut in orat. pro P. Sulla testatur. Hic postea cum M. Pisone, anno U. C. 693, consul fuit, et quidem egregius, fortis, constans, dili-

inops, sed non nimis ornatus genere verborum; prudens, acutus, minime incautus, patronus in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multæ operæ, multarumque causarum. Duo etiam Metelli, Celer et Nepos[6], nihil in causis versati[7], nec sine ingenio, nec indocti, hoc erant populare dicendi genus assequuti. Cn. autem Lentulus Marcellinus[8], nec umquam indisertus, et in consulatu pereloquens visus est, non tardus sententiis, non inops verbis, voce canora, facetus satis. C.[9] Memmius,

gens, Ciceronis laudator, amator, imitator, ut ad Attic. lib. I describitur. Corr. — Cave ne hunc eumdem esse putes ac alterum Messallam, qui consul fuit anno 700, et de quo infra mentio est cap. 96.

6. *Duo Metelli, Celer et Nepos.* Duo fratres, aut potius patrueles, ut conjecit Corradus. *Q. Metellus Celer*, prætor urbanus, vir strenuus, egregiam Cicerone consule adversus Catilinæ copias operam reip. navavit. Triennio post consulatum adeptus est. Eum a Clodia uxore veneno sublatum esse in Cœliana Cicero deplorat. *Q. Cæcilius Metellus Nepos*, tribunus pleb. anno U. C. 692, graves eum Cicerone inimicitias exercuit: cui, quum abiret a consulatu, de rebus a se gestis disserere paranti silentium imposuit, quod indicta causa cives condemnasset accusans: quumque jurare tantummodo permitteret, Cicero juravit remp. sua unius opera esse salvam. Consul fuit hic Metellus anno 697. Prust.

7. *Nihil in causis versati.* Rivius conjecit *nonnihil*, idque probavit Lambinus, nempe propter verba « nec sine i. nec i. » Frustra. Dicit Cicero eos a causis agendis abstinuisse, solum concionatorium genus sequutos esse, quod in tribunatu usurpavit Nepos ad vexandum Ciceronem. Vide Epist. ad Div. V, 2. Ern. — Schützius tamen Rivii conjecturam prætulit.

8. *Cn. autem Lentulus Marcellinus.* Hunc nos a principio credimus Claudium Marcellum fuisse, sed ab aliquo Cornelio adoptatum, Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, non autem Cn. Cornelium Lentulum Clodianum, ut mos erat, appellatum, ut cognosci posset, utra ex familia fuisset, quum duæ familiæ Claudiæ essent; quarum quæ Marcellorum appellata est, plebeia; quæ Pulchrorum, patricia fuit. Cicero certe, Famil. et Div. lib. XV, Marcellos et Marcellinos ita conjungit, ut fuisse propinquos ostendat. Consulatum iniit cum L. Marcio Philippo, anno U. C. 698. Corr.

9. *C. Memmius.* C. Memmius Gemellus, Fam. lib. XIII, ep. 19. Tribunus plebis M. Lucullum accusavit, et diu prohibuit, ne L. Lucullus triumpharet, ut Plutarchus in Lucullo et Catone scribit: atque id ipsum triennio ante Ciceronis consulatum. Nam Cicero consul, ut ait Acad. Quæst. lib. II, currum Luculli in urbem introduxit. L. Pisone et A. Gabinio coss. prætor fuit, ut ad Quint. Frat. lib. I, epist. 2, cognoscimus. Post vero præturam Bithyniam provinciam sorti-

L. F. perfectus literis, sed Græcis; fastidiosus sane Latinarum; argutus orator, verbisque dulcis, sed fugiens non modo dicendi, verum etiam cogitandi laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quantum imminuit industriæ.

LXXI. (LXXI.) — Hoc loco Brutus, Quam vellem, inquit, de his etiam oratoribus, qui hodie sunt, tibi dicere luberet! Et, si de aliis minus, de duobus tamen, quos a te scio laudari solere, Cæsare[1] et Marcello[2], audirem non minus lubenter, quam audivi de iis, qui fuerunt. — Cur tandem? inquam, an exspectas, quid ego judicem de istis, qui tibi sunt æque noti ac mihi? — Mihi mehercule, inquit, Marcellus satis est notus; Cæsar autem parum : illum enim sæpe audivi; hic, quum ego judicare jam aliquid possem,

tus est; quo secum Val. Catullum poetam duxit; ut ipse Catullus ad Veranium et Fabullum scribens, testatur, quo loco illos Pisonis comites vocat. Inde reversus cum M. Scauro, M. Messalla, Cn. Domitio, consulatum petiit, et quidem Cæsaris auxilio fretus, cujus opibus et militia confirmabatur, et commendabatur, ut ad Att. lib. IV, et ad Q. Fratr. lib. III, videre licet. Ille tamen repulsam tulit, et ambitus a Q. Curtio fuit accusatus, et Pompeio consule III fuit condemnatus, ut Appian. lib. II, scribit, quamvis Ciceronis esset cliens, ut Fam. lib. XIII, epist. 10, refert Cicero, et ostendit illum patria exsulasse. Lucretius huic, ut poeta poetæ, et Epicureus Epicureo libros suos de Rerum Nat. scripsit. Nam C. Memmius poeta fuit, etiam lascivus, ut Plin. lib. V, ep. 3, et Ovid. de Trist. lib. II, affirmant. Corr.

LXXI. 1. *Cæsare*. C. Julio Cæsare dictatore. Corr.

2. *Marcello*. M. Claudio Marcello, quem Cicero in orat. I in Catil. Catilinæ quidem sodalem, sed virum tamen optimum et fortissimum vocat; de cujus magistratibus nihil pæne possumus affirmare, nisi illum ann. U. C. 703, cum Servio Sulpicio Rufo consulem fuisse. Post bellum civile, in quo Pompeium sequutus est, timens Cæsarem veterem suum inimicum Marcellus exsulabat; quo tempore Cæsar ejus acerbitatem accusavit, sed tamen repente præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. Quare, quum reliqui gratias Cæsari egissent, Cicero longa satis oratione, quæ nunc exstat, idem fecit, ut ait Fam. lib. IV, ubi sæpe monet illum, ut domum revertatur : quod quum ille jam facere cogitaret et vellet, a P. Magio Cilone, familiari suo, fuit interfectus, ut Famil. lib. IV; ad Att. lib. XIII, et apud Livium, lib. XCV, et apud alios etiam leges. Corr.

abfuit[3]. — Quid igitur de illo judicas[4], quem sæpe audisti? — Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? — Næ ego, inquam, si ita est, velim tibi eum placere quam maxime. — Atqui et ita est, inquit, et vehementer placet : nec vero sine causa; nam et didicit, et, omissis ceteris studiis, unum id egit, seseque quotidianis commentationibus acerrime exercuit. Itaque et lectis utitur verbis et frequentibus, et splendore vocis, et dignitate motus fit speciosum et illustre, quod dicitur; omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse virtutem oratoris putem : maximeque laudandus est, qui hoc tempore ipso, quum liceat[5], in hoc communi nostro, et quasi fatali malo, consoletur se quum conscientia optimæ mentis, tum etiam usurpatione et renovatione doctrinæ. Vidi enim Mitylenis nuper virum, atque, ut dixi[6], vidi plane virum. Itaque quum eum antea tui similem in dicendo viderim, tum vero nunc a doctissimo viro, tibique, ut intellexi, amicissimo, Cratippo, instructum omni copia, multo videbam similiorem. — Hic ego, Etsi, inquam, de optimi viri nobisque amicissimi laudibus lubenter audio, tamen incurro

3. *Abfuit.* Cæsar enim prætor in Hispaniam profectus est anno 692 : postea anno 695 profectus est in Galliam provinciam, in qua mansit decem annis; ita ut Brutus, qui natus erat an. 668, eum vix audire potuisset.

4. *Quid igitur de illo judicas.* Hic deest *inquam*. Sed supra jam talem locum notavimus, in quo id verbum omissum est. Ern.

5. *Quum liceat.* Viri docti in his verbis hæsere, nec potuere explicare. Itaque vel *esse* addi voluere, vel ipsum verbum *liceat* tentavere varie. Difficultas tollitur, si non ad proxime sequentia verba refertur, sed ad studia doctrinæ, quibus tractandis consolationem quærebat; quod ei solitario, et Athenis viventi licebat facere sine interpellatione. Ern. — Jam ante Corradum in his verbis hæsere viri docti. Alii substituebant *quum jaceat*; alii, *quantum liceat*; alii, *quoniam liceat*. Corradus addendum putabat *esse*. E quibus nihil placet præter illud *quantum liceat*, nisi malis *quoad liceat*. Sæpe enim Cicero significat, illorum malorum sensum non omnino vinci consolatione posse.

6. *Ut dixi.* Ne supervacuum aut tollendum videatur, refer ad ea, quæ ante diximus : *consoletur se*. Ern.

in memoriam communium miseriarum, quarum oblivionem quærens, hunc ipsum sermonem produxi longius. Sed de Cæsare cupio audire, quid tandem Atticus judicet.

LXXII. (LXXII.) — Et ille, Præclare, inquit, tibi constas, ut de iis, qui nunc sint, nihil velis ipse dicere : et hercle si sic ageres, ut de iis egisti, qui jam mortui sunt, neminem ut prætermitteres, næ tu in multos Autronios et Stalenos[1] incurreres. Quare sive hanc turbam effugere voluisti, sive veritus es, ne quis se aut præteritum, aut non satis laudatum queri posset[2]; de Cæsare tamen potuisti dicere, præsertim quum et tuum de illius ingenio notissimum judicium esset, nec illius de tuo obscurum. Sed tamen, Brute, inquit Atticus, de Cæsare et ipse ita judico, et de hoc hujus generis acerrimo æstimatore[3] sæpissime audio, illum omnium fere oratorum latine loqui elegantissime; nec id solum domestica consuetudine, ut dudum de Læliorum et Muciorum familiis audiebamus, sed, quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis literis, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentia est consequutus. Quin etiam, in maximis occupationibus, quum ad te ipsum (inquit in me intuens[4]) de ratione latine loquendi accuratissime scripserit, primoque in libro dixerit, verborum

LXXII. 1. *Stalenos.* Al. *Stoienos*, ut passim, quod forte præstat. J.V. L.

2. *Queri posset.* Correxeram olim vulgatum *possit*, quod esset contra latinitatem. Sic mox post «potuisti dicere», est, «præsertim quam... esset», non *sit*. Ecce, sic in MS Reg. reperit Alemannus. ERN. — Unus e MSS Regiis, *posset*. J. V. L.

3. *Æstimatore.* Lambin. Gu. 1, 2, *existimatore*, quod Schützius edidit. Hic scilicet Cicero innuitur.

4. *Inquit in me intuens.* Hæc interpositio ne hæsitationem afferat, quod videatur redundare : Atticus loquitur hic cum Bruto : quum aliquid diceret de Cicerone non nominatim, «ad te ipsum», ne referretur ad Bru-

delectum originem esse eloquentiæ; tribueritque, mi Brute, huic nostro, qui me de illo maluit, quam se dicere, laudem singularem (nam scripsit his verbis, quum hunc nomine esset affatus: « ac, si cogitata præclare eloqui possent[5], nonnulli studio et usu elaboraverunt, cujus te pæne principem copiæ atque inventorem, bene de nomine ac dignitate populi romani meritum esse existimare debemus »): hunc facilem et quotidianum novisse sermonem, nunc pro relicto est habendum[6].

LXXIII. (LXXIII.) — Tum Brutus, Amice, hercule, inquit, et magnifice te laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi romani nomine et dignitate. Quo enim uno vincebamur a victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. Hanc autem, inquit, gloriam, testimoniumque Cæsaris, tuæ quidem supplicationi non[1], sed triumphis multorum antepono. — Et recte quidem, inquam, Brute; modo sit hoc

tum, hoc interponendum erat. Ern.

5. *Eloqui possent*. Ernestius dat, « eloqui ut possent ». Addidi *ut*, inquit, de meo judicio, quod omnes, uti spero, agnoscent necessario additum fuisse, textum diligenter edituro. Mirandum est, tam doctos et acutos Ciceronis tractatores non vidisse, non correxisse. Ern. — Sed Ernest. refutatur ab Heusingero exemplo Cæsaris de Bell. Gall. I, 8, « sæpius noctu si perrumpere possent, conati ». Sch.

6. *Nunc pro relicto est habendum*. Locum hunc omnes vitiosum judicant, varieque tentant. Lamb. « non pro derelicto ». Alemannus nuper « nam pro derelicto est habendum? » Quod illo etiam melius. Ita sensus erit: non est existimandum, genus hoc sermonis esse negligendum, aut negligi. Ego nihil habeo, quod loco huic faciam. Ern. — Wetzel. « nunc pro evicto ». Male verba « nunc facilem... est habendum » vulgo a Cæsaris verbis sejungunt. Sch.

LXXIII. 1. *Tuæ quidem supplicationi non, sed*. Edd. pr. habent « non solent »: quod alienum et interpolatum esse, quivis sentiat. Rivius e MS antiquo protulit *non*, deleto *solum*: quod in edd. receptum. Sed *non* puto esse alieno loco, scribendumque: « non tuæ quidem supplicationi, sed tr. m. a. » quod est plane et structura et sensu elegans: mirifice enim blanditur Ciceroni. Ern. — Gu. 1, 2, *non solum*.

Cæsaris judicii, non benivolentiæ testimonium. Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quisquis est ille, si modo est aliquis, qui non illustravit modo, sed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi, qui Ligurum castella expugnaverunt; ex quibus multi sunt, ut scitis, triumphi. Verum quidem si audire volumus, omissis illis divinis consiliis, quibus sæpe constituta est imperatorum sapientia, salus civitatis aut belli aut domi; multo magis orator præstat minutis imperatoribus. At prodest plus imperator. Quis negat? sed tamen (non metuo, ne mihi acclametis : est autem, quod sentias, dicendi liber locus) malim mihi L. Crassi unam pro M'. Curio dictionem, quam castellanos triumphos duo[2]. At plus interfuit reipublicæ, castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M'. Curii. Credo. Sed Atheniensium quoque plus interfuit firma tecta in domiciliis habere, quam Minervæ signum ex ebore pulcherrimum; tamen ego me Phidiam esse mallem, quam vel optimum fabrum tignarium. Quare non, quantum quisque prosit, sed quanti quisque sit, ponderandum est; præsertim quum[3] pauci pingere egregie possint, aut fingere; operarii autem, aut bajuli deesse non possint.

LXXIV. Sed perge, Pomponi, de Cæsare, et redde, quæ restant. — (LXXIV.) Solum quidem, inquit ille, et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem[1] emendatam et latinam; cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiæ, sed quasi bonæ consuetudinis. Mitto C. Lælium, P. Scipionem; ætatis

2. *Duo*. Sic Gu. 1, 2. Vulgo, *duos*. Sch.

3. *Præsertim quum pauci... possint*. Hæc non pertinent ad sententiam generalem, quæ præcessit, sed ad superiora. Itaque suspicatus interdum sum, ea esse transposita, et ponenda post *fabrum tignarium*. Ern.

LXXIV. 1. *Locutionem*. Gu. 1, 2, *elocutionem*.

illius ista fuit laus, tamquam innocentiæ, sic latine loquendi : nec omnium tamen; nam illorum æquales, Cæcilium et Pacuvium, male loquutos videmus : sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica [2] infuscaverat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetustas fecit et Romæ, et in Græcia; confluxerunt enim et Athenas, et in hanc urbem multi inquinate loquentes ex diversis locis : quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda, tamquam obrussa, ratio [3], quæ mutari non potest; nec utendum pravissima consuetudinis regula. T. Flaminium, qui cum Q. Metello consul fuit, pueri vidimus; existimabatur bene [4] latine, sed literas nesciebat. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut a te paullo est ante dictum; sed tamen suavitas vocis, et lenis appellatio literarum, bene loquendi famam confecerat. Cotta, quia se [5] valde dilatandis literis a similitudine Græcæ locutionis abstraxerat, sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem, quasi inculta et silvestri via, ad eamdem laudem pervenerat. (LXXV.) Sisenna autem, quasi emendator sermo-

2. *Nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat.* Hæc non satis sana videntur, ne constructione quidem « qui vixerant, nec eos, etc. » non est Ciceronianum : vix tironis. Gulielmius corrigebat *os* per *eos*, non male : sed ita constructioni nondum consulitur. Scripserim : « nec os aliqua barbarie domestica infuscaverant ». Ernest. — Schütz. Ernestii conjecturam in textum intulit.

3. *Tamquam obrussa, ratio.* Ita emendat ex MS Nizolii Victorius, approbatque Turnebus, Adv. lib. XIV, cap. 22, nisi malimus, inquit, « cum obrussa », vulgatæ propius, in qua, « quam obtrusa », at Palat. et Cujac. « quantum obrussa ratio », quod video amplexatos Manutios. Grut.

4. *Existimabatur bene latine.* Int. aut adde *loqui*. Ern.

5. *Cotta, quia se.* Non hic ratio redditur, ut *quia* opus sit, sed discrimen a superiori explicatur : scribendumque puto *qui* : nisi si *que* delere malis in *sonabatque* : ut in illis ratio reddatur, quare sonuerit contrarium Catulo. Sed tum in ceteris difficultas oritur, *alia quidem*. Etiam *quadam* malim quam *quidem*. Ern. — Schütz dedit *quadam*, Heusingero quoque suadente.

nis usitati quum esse vellet, ne a C. Rusio[6] quidem accusatore deterreri potuit, quominus inusitatis verbis uteretur. — Quidnam istuc est? inquit Brutus; aut quis est iste C. Rusius? — Et ille, Fuit accusator, inquit, vetus, quo accusante Chritilium[7], Sisenna defendens, dixit, quædam ejus sputatilica esse crimina. Tum C. Rusius, « Circumvenior, inquit, judices, nisi subvenitis. Sisenna, quid dicas[8], nescio; metuo insidias; sputatilica, quid est hoc? sputa quid sit scio, tilica nescio ». Maximi risus; sed ille tamen familiaris meus recte loqui putabat esse, inusitate loqui.

LXXV. Cæsar autem, rationem adhibens, consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine[1] emendat. Itaque quum ad hanc elegantiam verborum latinorum (quæ, etiamsi orator non sis, et sis ingenuus civis[2] romanus, tamen necessaria est) adjungit illa oratoria ornamenta dicendi; tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Hanc quum habeat præcipuam laudem in communibus, non video, cui debeat cedere. Splendidam quamdam, minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, forma etiam magnifica et

6. *C. Rusio*. Haud aliter Pal. et Cujac. Manutii *Rufio*. Lambinus, *Ruscio*. Amicus noster Pighius verisimiliter admodum corrigebat *Eracio*, qui consulatur in Fastis laboriosissimis ad annum 613. GRUT. — Cum Pighio consentit Schneiderus, coll. Ciceronis fragmento ex orat. pro Vareno, quod est apud Quintil. VIII, 3, et plenius apud Priscianum. Sane idem esse potuit qui accusavit Roscium Amerinum. SCH.

7. *Chritilium*. Est ab editione Victorii: nam alias publicatum *Chirtilium*: primæ edd. *C. Rutilium*. Gulielmius inclinabat in *C. Hirtium*: nam Cujac. *Chirtilum*. Pal. tamen *Chirtilium* retinet. GAUTER. — Schützius dedit *C. Rutilium*.

8. *Sisenna, quid dicas?* Quia oratio dirigitur ad judices, credo Ciceronem scripsisse *dicat*: nam rationem reddere videtur, quare se circumveniri dixerit. ERN.

LXXV. 1. *Consuetudine*. Schützius reponit *locutione*, quia verbum alterum h. l. non est aptum.

2. *Et sis ingenuus civis*. Non satis bene latine hoc cum antecedentibus nectitur. An verum est *at* vel *sed*. SCH.

generosa quodam modo. — Tum Brutus, Orationes quidem ejus mihi vehementer probantur, complures autem legi. Atque etiam commentarios quosdam scripsit rerum suarum. — Valde quidem, inquam, probandos; nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto[3]. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent[4] illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius. Sed ad eos, si placet, qui vita excesserunt, revertamur.

LXXVI. (LXXVI.) C. Sicinius[1] igitur, Q. Pompeii illius, qui censor fuit, ex filia nepos, quæstorius mortuus est; probabilis orator, jam vero[2] etiam probatus, ex hac inopi ad ornandum, sed ad inveniendum expedita, Hermagoræ[3] disciplina : ea dat rationes certas et præcepta dicendi; quæ si minorem habent apparatum (sunt enim exilia), tamen habent ordinem, et quasdam errare in dicendo non patientes vias. Has ille tenens, et paratus ad causas veniens, verborum non egens, ipsa illa comparatione disciplinaque dicendi, jam in patronorum numerum pervenerat. Erat

3. *Tamquam veste, detracto*. Recepta lectio *detracta* : sed alterum requirit sententia, ut bene monuit Turnebus, d. cap. 22. Gaut. — Schütz. reposuit *detracta*. Hoc, inquit, MSS consensu tuentur, defenditque Jacob. Frid. Heusingerus teste filio in præf. ad Cic. Off. p. 46, et Jo. Mich. Heusingerus ad Nep. II, 7, 5, et Oudendorp. ad Sueton. Jul. 56, quibus nuper accessit Wolfius ad eumdem Suetonii locum. Quam Ciceronis metaphoram mutuatus est Fenelo in epist. de Eloquentia, his verbis : « Démosthène se sert de la parole comme un homme modeste de son habit pour se couvrir ».

4. *Volent illa calamistris*. Vulgatum erat *volunt*, quod Rivius correxit in *volent*, sequente Lambino, et nuper Ernestio et Schützio.

LXXVI. 1. *C. Sicinius*. Quæstor anno 677, alias ab eo, de quo mentio cap. 60.

2. *Jam vero*. Wetzel. post Lambinum *imo vero*.

3. *Hermagoræ*. Vide de Inventione, I, 6.

etiam vir doctus in primis C. Visellius Varro[4], consobrinus meus, qui fuit cum Sicinio ætate conjunctus. Is quum post curulem ædilitatem judex[5] quæstionis esset, est mortuus : in quo fateor vulgi judicium a judicio meo dissensisse; nam populo non erat satis vendibilis : præceps quædam, et quum idcirco obscura, quia peracuta, tum rapida, et celeritate cæcata[6] oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixerim, neque sententiis crebriorem. Præterea perfectus in literis, jurisque civilis jam a patre Aculeone traditam tenuit disciplinam.

Reliqui sunt, qui mortui sint[7], L. Torquatus[8], quem tu non tam cito rhetorem dixisses (etsi non deerat oratio), quam, ut Græci dicunt, πολιτικόν. Erant

4. *C. Visellius Varro.* In Asia tribunus militum fuit, C. Nerone prætore, quum Verres legatus esset Dolabellæ, ut Verr. I videre licet. Huic cum J. Cæsare magna fuit consuetudo, ut in orat de Provinc. consularibus ostenditur. Atque nisi cognosceretur hic ante mortuus, dicerem ipsum cum Cicerone in Ciliciam profectum fuisse, quum dicat Cicero, Famil. epist. 7, lib. III, se Varronem App. Claudio obviam misisse; nec M, Varronem illum doctum possit significare, qui tum Romæ fuit, ut ad Att. ep. 2, lib.V, cognosces : nec ita multo post ivit legatus in Hispaniam ulteriorem. Hunc Visellium Val. Max. lib. VIII, cap. 2, scribit gravi morbo correptum trecenta millia nummum ab Otacilia Laterensi, cum qua commercium libidinis habuerat, expensa ferri sibi passum fuisse, et ab Aquillio, quum postea convaluisset, absolutum. Corr. — Hic Visellius Varro filius erat Aculeonis, de quo infra mentio fit. Atqui Aculeo duxerat in matrimonium materteram Ciceronis.

5. *Iudex quæstionis.* Vid. pro Roscio Amer. 4.

6. *Tum rapida, et celeritate cæcata.* Sch. dat : « tum rapida celeritate cæcata oratio; sed neque verbis aptiorem cito alium dixeris, neque sententiis crebriorem ».

7. *Qui mortui sint.* Sch. dat cum Gu. 1, *qui m. sunt.*

8. *L. Torquatus.* L. Manlius L. F. Torquatus, qui adolescentulus cripuit P. Sullæ consulatum, et ad patrem suum retulit. De hoc Cicero in orat. pro P. Sulla ita scribit : « harum omnium rerum, quas ego in consulatu pro salute omnium suscepi et gessi, L.. ille Torquatus, quum esset meus contubernalis in consulatu, quum signifer esset juventutis, atque in prætura fuisset, auctor, adjutor particeps exstitit ». Corrad. — In bello civili Torquatus ille, Pompeii partes sequutus, Cæsari reddidit urbem Apolloniam, clementiamque victoris expertus, nihilominus arma contra Cæsarem cepit, atque occisus est, quum ex Africa in Hispaniam transire vellet.

in eo plurimæ literæ, nec eæ vulgares, sed interiores quædam et reconditæ; divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia; atque hæc omnia vitæ decorabat dignitas[9] et integritas. Me quidem admodum delectabat etiam Triarii[10], in illa ætate, plena literatæ senectutis oratio : quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore!

— Tum Brutus, Torquati et Triarii mentione commotus (utrumque enim eorum admodum dilexerat), Næ ego, inquit (ut omittam cetera, quæ sunt innumerabilia), de istis duobus quum cogito, doleo, nihil tuam perpetuam auctoritatem de pace valuisse! nam nec istos excellentes viros, nec multos alios præstantes cives respublica perdidisset. — Sileamus, inquam, Brute, de istis, ne[11] augeamus dolorem; nam et præteritorum recordatio est acerba, et acerbior exspectatio reliquorum. Itaque omittamus lugere, et tantum, quid quisque dicendo potuerit (quoniam id quærimus), prædicemus.

LXXVII. (LXXVII.) Sunt etiam ex iis, qui eodem bello occiderunt, M. Bibulus[1], qui et scriptitavit accu-

9. *Dignitas et integritas. Dignitas* est e mera conjectura Rivii, rectum tamen et aptum verbo *decorabat*. Edd. vett. omnes *gravitas*, quod a propinquo huc migraverat. Ern.

10. *Triarii*. C. Valerii Triarii, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulit, ut ait Asconius; unde nos suspicati sumus Verr. 1 ita esse legendum: « P. Lentulo, C. Triario quæstoribus urbanis ». Hic, ut auctor est Asconius, postea L. Luculli in Asia Pontoque legatus fuit; et ut Liv. lib. XCVIII, scribit, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit, et quidem apud Zielam, quæ nobilis clade Triarii ob id, opinor, a Plinio, lib. VI, cap. 3, dicitur; quam quidem cladem Plut. in Lucullo, et Appian. in Mithrid. pluribus describunt. Trarios vero e gente Valeria fuisse, ostendit etiam Valeria, quæ Triarii soror, Fam. ep. 7, l. VIII, vocatur. Corr. — Hic Triarius in bello civili Pompeianæ classi præfuit. Vid. Cæs. Bell. Civ. III, 5.

11. *Ne augeamus d.* Schütz. cum nonnullis codd. *nec aug. d.*

LXXVII. 1. *M. Bibulus.* M. Calpurnius Bibulus a Plutarcho in Cæ-

rate, quum præsertim non esset orator, et egit multa constanter; Appius Claudius[2], socer tuus, collega et familiaris meus; hic jam et satis studiosus, et valde quum[3] doctus, tum etiam exercitatus orator, et quum auguralis, tum omnis publici juris antiquitatisque nostræ bene peritus fuit. L. Domitius[4] nulla ille qui-

sare vocatur, quamquam Bibulus cognomen in gente Publicia frequentius, ut apud Liv. XXII et XXIII, et ap. Plut. in Marcello, reperiatur. Is igitur Bibulus, ut Cæsar, de Bell. Civ. lib. III, refert, iracundia summa fuit, inimicitiasque privatas habuit cum Cæsare ex ædilitate conceptas et prætura. Bibulus consul factus Cæsari collegæ ferenti legem agrariam cœpit adversari et obnuntiare; sed armis foro pulsus est. Ac postero die Bibulum in senatu conquestum, nec quoquam reperto, qui super tali consternatione referre aut censere auderet, qualia sæpe multa in levioribus turbis decreta erant, in eam Cæsar coegit desperationem, ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnuntiaret: in quibus Cæsarem inter conjuratos fuisse dicebat, eumque Bithynicam reginam vocabat, ut scribit Sueton. quæ quidem edicta vel ob id Cicero, ad Att. lib. II, *Archilochia* vocat. De rebus hujus Bibuli Plut. Dion. et Appian. plura scribunt. Coar. — Obiit morbo quum præesset navali exercitui, quem Pompeius contra Cæsarem instruxerat.

2. *Appius Claudius*. Appius Claudius Pulcher, ejus Appii, qui cum P. Servilio consul fuit, filius, ut in orat. de Responsis agnosces. Hic pauper cum duobus fratribus et duabus sororibus est relictus, ut Varro, de Re Rust. lib. III, c. 16, testis est. P. Clodium ejus fratrem fuisse cognosces ex orationibus pro Domo, et in Pisonem. Tandem cum L. Domitio consul fuit, ad quod usque tempus videtur durasse, quod inter eum et Ciceronem simultatis fuit. Tunc enim demum sunt reconciliati, vel paullo ante, ut Famil. lib. I, cognoscimus: atque ad ipsum per Cn. Pompeium, ut ad Brutum scripsit, quod Quintil. lib. IX, c. 3, refert: vel per Graius, ut ad Fratrem, ep. 10, lib. II, scribit: quem reditum in gratiam *illustrem* vocat Famil. lib. III, ep. 10. A Pompeio Achaiæ quum esset præfectus, eventum gravissimi motus explorare, ut ait Val. Max. lib. I, cap. 8, cupiens, Pythici oraculi fidem voluit experiri, quod Oros. lib. VI, cap. 15, scribit, et oraculum accepit, quod Lucanus, lib. V, sic explicat: « Effugis ingentes, tanti discriminis expers, Bellorum, Romane, minas, solusque quietem Euboici vasta lateris convalle tenebis ». Et sane ibi, ante Pharsalicum certamen, morbo consumptus, prædictum a deo locum pro sepultura possedit, ut Val. Max. l. l. scribit. Ob id fortasse Cicero postea, Tusc. I, scripsit Appium νεκρομαντία fecisse, et de Divin. lib. I, sortilegiis et ψυχομαντία uti solitum fuisse. Coar.

3. *Quum doctus*. Sch. *tum d.*

4. *L. Domitius*. L. Domitius Ænobarbus, qui filius fuit Cn. Domitii: eum supra diximus cum L. Crasso censorem fuisse. Hunc adolescentem clarissimum, ac principem juventutis, Verr. I, vocat; ubi scribit in eo tantum pudorem fuisse, ut Chelidonem

dem arte, sed latine tamen, et multa cum libertate dicebat. Duo præterea Lentuli consulares, quorum Publius[5] ille, nostrarum injuriarum ultor, auctor salutis, quidquid habuit, quantumcumque fuit, illud totum[6] ex disciplina : instrumenta naturæ deerant; sed tantus[7] animi splendor, et tanta magnitudo, ut sibi omnia, quæ clarorum virorum essent, non dubitaret adsciscere, eaque omni dignitate obtineret. L. autem Lentulus[8] satis erat fortis orator, si modo orator,

meretricem a se nominari vix sibi honestum esse arbitraretur. Dedit vero, quam contemneret populares insanias, jam ab adolescentia documenta maxima, ut ait Cicero in orat. pro Milone. Dion. lib. XLI, scribit eum admodum divitem fuisse, quod Sullanis temporibus sibi divitias ingentes comparasset; quod vereor ne sit falsum, quum Domitius illis temporibus admodum adolescens, et pæne puer esset; ita ut vix rem familiarem curare posset; nisi forte pater eo modo divitias filio comparavit. De morte ejus non una est apud veteres scriptores sententia; quum Suetonius et Lucanus in acie Pharsalica cecidisse dicant, quamvis aliter legas apud Appianum. Corr.

5. *Publius*. Cornelius Lentulus Spinther, ædilis curulis, Cicerone consule, omnium illius consiliorum particeps, periculorumque socius fuit, ut in orat. post Redit. ad Quirit. est scriptum. Cæsare et Bibulo coss. ipsius Cæsaris beneficio in collegium pontificum venit, et hinc Cicero in orat. de Resp. illum pontificem vocat, et in orat. pro Domo, cum illo, tamquam pontifice, loquitur. In Ciliciam proconsul profectus rem sic præclare gessit, ut imperator sit appellatus, ut ostendunt inscriptiones epistolarum Famil. lib. I, quas eo tempore Cicero scripsit, quum, ut ego ad Att. ex ep. 21, lib. V, conjicio, triumphavit; sed ob id tantum æris alieni videtur fecisse, ut Cicero in Cilicia proconsul audiverit, quod ad Att. ep. 1, lib. VI, scripsit, cum prædium Tusculanum proscripsisse. In bello civili Pompeio adhæsit; sed quid postea illi factum sit, nescimus: id scimus, Ciceronem multo post audivisse illum Rhodi esse, quod ad Att. ep. 13, lib. XI, scripsit. Corr.

6. *Illud totum*. Alias Cicero in hac forma dicit *id*. Sed illud etiam sic est infra, c. 79 extr. Ern.

7. *Sed tantus*. Lambinus, « sed tantus erat ».

8. *L. Lentulus*. Ne longum faciam, mittam conjecturas, quæ multæ sunt, cur ego credam hunc esse L. Cornelium Lentulum Flaminem Martialem, quem Asconius Nigrum vocat, quemque Cicero dicit in orat. in Vatin. Gabinii competitorem fuisse; quum multo plures sint, cur arbitrer, atque adeo affirmem, esse L. Cornelium Lentulum Cruscellum, qui Pisone et Gabinio coss. prætor fuit, ut ad Q. Fratrem, ep. 2, lib. I, et in orat. in Pisonem legitur. Ejus res reperiuntur passim apud Plutarchum, Appianum, Dionem, Valer. Max. et alios. Corr. — Is consul fuit anno 704, quo

sed cogitandi non ferebat laborem. Vox canora, verba non horrida sane, ut plena esset animi[9] et terroris oratio : quæreres in judiciis fortasse melius; in republica quod erat, esse judicares satis. Ne T. quidem Postumius[10] contemnendus in dicendo; de republica vero non minus vehemens orator, quam bellator fuit; effrenatus, et acer nimis, sed bene juris publici leges atque instituta cognoverat.

(LXXVIII.) — Hoc loco Atticus, Putarem te, inquit, ambitiosum esse, si, ut dixisti, ii, quos jamdiu colligis, viverent. Omnes enim commemoras, qui ausi aliquando sunt stantes loqui, ut mihi imprudens M. Servilium[11] præteriisse videare.

LXXVIII. — Non, inquam, ego istuc ignoro, Pomponi, multos fuisse, qui verbum numquam in publico fecissent, quum melius aliquanto possent, quam isti oratores, quos colligo, dicere; sed his commemorandis etiam illud assequor, ut intelligatis primum, ex omni numero quam non multi ausi sint dicere; deinde, ex iis ipsis quam pauci fuerint laude digni.

bellum civile exarsit. Cæsar Bell. Civ. I, 1 et 2, et Vell. Pat. II, 92, eum maxime dicunt omni conciliationi obstitisse. Cum Pompeio occisus est, quum in Ægyptum appelleret. Vid. Cæsar Bell. Civ. III, 104.

9. *Verba non horrida sane, ut plena esset animi et terroris oratio.* Sch. dat ex Purgoldi conjectura *fervoris*, dicitque fortasse etiam scribendum esse : « v. n. h. sane, plena animi et fervoris oratio ». Fuit qui persuadere vellet, aut mutandam esse vocem *terroris*, aut delendam negationem. At non cogitabat particulam *ut* eodem esse sensu intelligendam quo *etiamsi*, *quamvis*. Hoc ergo vult Cicero P. Lentuli verba fuisse non horrida, etiamsi plena esset terroris oratio. Posse autem sine horrore illo verborum et cum suavitate orationis terrorem consistere, docuit ipse supra cap. 11, ubi hæc de Pericle : « hujus suavitate maxime hilaratæ sunt Athenæ : hujus ubertatem et copiam admiratæ, ejusdem vim dicendi terroremque timuerunt ». Anonym.

10. *T. Postumius.* Is mihi videtur esse, de quo, belli civilis initio, nominatim senatus decrevit, ut statim in Siciliam iret, ut ad Attic. ep. 15, lib. VII, scribitur. Corr. — Is prætor fuit anno 696, quum Lentulus Spinther consul esset.

11. *Servilium.* M. Servilius Geminus tribunus plebis anno 699.

Itaque ne hos quidem[1] equites romanos, amicos nostros, qui nuper mortui sunt, P. Cominium Spoletinum, quo accusante defendi C. Cornelium[2]; in quo et compositum dicendi genus, et acre, et expeditum fuit: T. Attium Pisaurensem[3], cujus accusationi respondi pro A. Cluentio; qui et accurate dicebat, et satis copiose, eratque præterea doctus Hermagoræ præceptis; quibus etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastæ velitibus amentatæ[4], sic apta quædam, et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur[5]. Studio autem neminem, nec industria majore cognovi; quamquam ne ingenio quidem qui præstiterit, facile dixerim, C. Pisoni, genero meo[6]: nullum tempus illi umquam vacabat aut a forensi dictione, aut a commentatione domestica, aut a scribendo, aut a cogitando. Itaque tantos processus

LXXVIII. 1. *Itaque ne hos quidem eq. R.* Intell. prætereo, e superioribus, « Servilium præteriisse ». Similiter infra c. 79 pr. « nec vero M. Cœlium prætereundum arbitror ». Ern.

2. *C. Cornelium.* Qui Pompeii quæstor fuerat, dein tribunus plebis, quem Cicero prætor defendit, ut ipse in orat. in Vatinium, et alibi, sæpe testatur. Corr.

3. *T. Attium Pisaurensem.* Alii, *Accium*, ut passim. — Quem bonum adolescentem et disertum vocat in orat. pro Cluentio. Corr.

4. *Amentatæ. Amentum* vocatur e græco verbo ἅμμα (ἅπτω, ligare) lorum quoddam quod mediæ hastæ religabatur, ut eo sumpto vehementius hasta vibraretur. Eamdem adhibet metaphoram Cicero de Orat. I, 57. Aliquando amentum loco ipsius hastæ ponitur, ut Virgil. Æneid. IX, 665: « Intendunt acres arcus, amentaque torquent ».

5. *Traduntur. Studio autem... cognovi; quamquam... genero meo: nullum t.* Sic prope Schützius interpungit, nisi quod solam virgulam post *cognovi*, punctumque maximum post *genero meo* posuit: sic, inquit Sch. ed. Ald. Vict. Postea multi pessimam hanc verborum diremptionem invexere: « traduntur; studio autem... cognovi. Quamquam, etc. » quasi verba « studio... cognovi » ad Attium Pisaurensem, non ad Pisonem pertinerent.

6. *Genero meo.* Primo. Nam Cicero tribus viris, Pisoni, Crassipedi, et Dolabellæ Tulliam filiam collocavit, ut in quæstura diximus. Coss. L. Julio Cæsare et C. Marcio Figulo eam C. Pisoni despondit, anno antequam consul ipse fieret, ut ad Attic. lib. I, scribit. Sed tamen Piso eam non videtur duxisse, Famil. ep. 4, lib. XIV, et priusquam Cicero Romam rediret, vel paullo post reditum, decessisse. Corr.

efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur; eratque verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio : quumque argumenta excogitabantur ab eo multa, et firma ad probandum, tum concinnæ acutæque sententiæ; gestusque natura ita venustus, ut ars etiam, quæ non erat, et e disciplina motus quidam videretur accedere. Vereor, ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere; quod non ita est : alia enim de illo majora dici possunt; nam nec continentia, nec pietate, nec ullo genere virtutis quemquam ejusdem ætatis cum illo conferendum puto.

LXXIX. (LXXIX.) Nec vero M. Cœlium [1] prætereundum arbitror, quæcumque ejus in exitu vel fortuna, vel mens fuit : qui quamdiu auctoritati meæ paruit, talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam, a senatu, et a bonorum causa steterit constantius; quam ejus actionem, multum tamen et splendida, et grandis, et eadem in primis faceta et perurbana commendabat oratio. Graves ejus conciones aliquot fuerunt, acres accusationes tres, eæque omnes ex reipublicæ contentione susceptæ; defensiones, etsi illa erant in eo [2] meliora, quæ dixi, non contemnendæ tamen, saneque tolerabiles. Hic quum summa voluntate bonorum ædilis curulis factus esset, nescio quomodo discessu

LXXIX. 1. *M. Cœlium.* Significat M. Cœlium, M. F. Rufum, cujus vitæ magnam partem Cicero scribit in orat. quam pro illo dixit. Exstant quædam illius epistolæ. Fortuna ei fuit adversa : nam senatus decreto ab rep. remotus, a consule senatu prohibitus et de rostris, quum vellet concionari, deductus, Turios pervenit, ubi ab equitibus Gallis atque Hispanis, qui eo missi fuerant, interfectus fuit, ut Cæsar, de Bell. Civ. lib. III; Liv. lib. CXI, et Paterc. lib. II, scribunt. Quod ad mores attinet ejus, vide Senecam, de Ira, lib. III, cap. 8. Corr. —Hic est Cœlius, cujus causam Cicero oravit anno U. C. 697, quæ oratio inscribitur *pro Cœlio*.

2. *In eo.* Cod. Reg. 7703, *in illo*. J. V. L.

meo discessit a sese, ceciditque, posteaquam eos imitari cœpit, quos ipse perverterat.

(LXXX.) Sed de M. Calidio[3] dicamus aliquid, qui non fuit orator unus e multis; potius inter multos prope[4] singularis fuit : ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio; nihil tam tenerum, quam illius comprehensio verborum; nihil tam flexibile, nihil, quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æque in potestate fuerit : quæ[5] primum ita pura erat, ut nihil liquidius; ita libere fluebat, ut nusquam adhæresceret; nullum, nisi loco positum, et tamquam in « vermiculato emblemate », ut ait Lucilius, structum verbum videres. Nec vero ullum aut durum, aut insolens, aut humile, aut longius ductum; ac non propria verba rerum, sed pleraque translata; sic tamen, ut ea non irruisse in alienum locum, sed immigrasse in suum diceres : nec vero hæc soluta, nec diffluentia, sed adstricta numeris, non aperte, nec eodem modo semper, sed varie dissimulanterque conclusis. Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu[6] distin-

3. *M. Calidio.* M. Calidio Q. F. ut ait Asconius : Apollodori discipulo, ut scribit Eusebius. Is fuit ex ordine equestri : Cn. enim Calidius eques romanus, Verr. IV, nominatur, et Q. Calidius trib. plebis sua lege Metellum Numidicum restituit : unde cognosci potest gentem Calidiam plebeiam fuisse. Is Lentulo et Metello coss. prætor fuit, qui statim designatus, sententia sua, quam sibi esset cara Ciceronis salus, declaravit; ut in orat. post Redit. in senatu legimus. Is postea consulatum cum L. Paullo et C. Marcello videtur petiisse, et repulsam tulisse. Nos certe sic Famil. ep. 4, lib. VIII, legendum putamus : « M. Calidium a repulsa postulatum a duobus Galliis ». In bello civili Cæsarianas partes sequutus Placentiæ obiit, ut scribit Eusebius. Corr. — Rollinus (*Traité des Études*) sibi legenti in Cicerone hanc Calidii imaginem, dicit semper obversatum esse oratorem *Fléchier*.

4. *Prope.* Hoc abest Gu. 1, 2.

5. *Quæ.* Int. *oratio*, non e proximo « comprehensio verborum ». Ern.

6. *Insignibus in ornatu. In ornatu* delevit Lambinus : et potest commo-

guebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem, illud quod multis locis in jurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset[7], videbat. Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis, totumque dicendi placidum et sanum genus.

LXXX. Quod si est optimum, suaviter dicere; nihil est, quod melius hoc quærendum putes. Sed quum a nobis paullo ante dictum sit, tria videri esse, quæ orator efficere deberet, ut doceret, ut delectaret, ut moveret; duo summe tenuit, ut et rem illustraret disserendo, et animos eorum, qui audirent, devinciret[1] voluptate. Aberat tertia illa laus, qua permoveret atque incitaret animos, quam plurimum pollere diximus, nec erat ulla vis atque contentio; sive consilio, quod eos, quorum altior oratio, actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive, quod natura non esset ita factus, sive, quod non consuesset, sive, quod non posset: hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit. Quin etiam memini, quum in accusatione sua Q. Gallio crimini dedisset, sibi eum venenum paravisse, idque a se esse deprehensum, seseque chirographa, testificationes, indicia, quæstiones, manifestam rem, deferre diceret, deque eo crimine accurate et exquisite disputavisset; me in respondendo, quum essem argumentatus, quantum res ferebat, hoc ipsum etiam

de abesse. Si est a Cicerone, quod non satis sustineo negare, sensus est: quæ in reliquo ornatu sunt insignia, maximeque incurrunt in sensus. Ern. — Intelligit de foro ab ædilibus ornato. Grut.

7. *Id ubi esset.* Non dubitavi sic corrigere vulgatum *et ubi esset*. Cicero dicit enim, eum accurate vidisse id, quo causa contineretur, qua de re ageretur: quod quia in postremo posuit, *id* præponendum fuit. Nihil est, quocum hoc, *ubi esset*, copuletur, si *id* non addatur. Ern.

LXXX. 1. *Animos... devinciret voluptate.* Verbum *devinciret* ab hoc quidem loco videtur alienum: scripsisse Ciceronem credo *deliniret*, ut aliis locis de eadem re dixit. Ern. —Quem J. V. L. non probat. Lamb. *demulceret*,

posuisse pro argumento, quod ille, quum pestem capitis sui, quum indicia mortis, se comperisse manifesto, et manu tenere diceret, tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter. «Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? præsertim quum ista[2] eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? Ubi dolor? ubi ardor animi, qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet? nulla perturbatio animi, nulla corporis, non frons percussa[3], non femur[4]; pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum[5] abfuit, ut inflammares nostros animos; somnum isto loco vix tenebamus». Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen usi sumus.

— Tum Brutus, Atque dubitamus[6], inquit, utrum ista sanitas fuerit, an vitium? quis enim non fateatur, quum ex omnibus oratoris laudibus longe ista sit maxima, inflammare animos audientium, et, quocumque res postulet modo, flectere, qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuisse?

LXXXI. (LXXXI.) — Sit sane ita, inquam; sed redea-

2. *Præsertim quum ista eloquentia a. h.... negligeres?* In hoc loco est aliquid duri, quod eum mihi de vitio suspectum reddidit: nec enim ordo structuræ satis constat. Sed quid ei faciam, nescio: nec reperi, quod ei rei medeatur. Vitium esse suspicor in *præsertim*. ERN. — Schützius corrigit: «tu, ista præsertim eloquentia quum a. h. etc.»

3. *Non frons percussa*. Sic Schütz. e Quint. XI, 3, 153. Vulgo, *frons non percussa*.

4. *Non femur*. Vid. Quint. l. l. ex quo patet femoris percussionem apud Veteres fuisse usitatissimam, nihilque habuisse indecori, ut apud nos, qui gestus ait ipse Quint. et indignatos decet, et excitat auditorem.

5. *Tantum abfuit*. *Tantum* abest Quintil. l. l.

6. *Atque dubitamus*. Sic pro vulgato *atqui* edidi ex edd. pr. Est melius, quia hic mera transitio est, cui in principio apud Ciceronem sæpe servit *atque* et apud alios: notum illud Virgilii: «Et dubitamus adhuc factis ostendere famam». ERNEST. — Gruter. conj. separatim «At qui dub. etc.» i. e. quomodo. Quod si admiseris, reponendum mihi videtur *dubitemus* pro *dubitamus*.

mus ad eum, qui jam unus restat, Hortensium : tum de nobismet ipsis, quoniam id etiam, Brute, postulas, pauca dicemus. Quamquam facienda mentio est, ut quidem mihi videtur, duorum adolescentium, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiæ laudem consequuti. — C. Curionem[1] te, inquit Brutus, et C. Licinium Calvum[2] arbitror dicere. — Recte, inquam, arbitraris : quorum quidem alter [quod verisimile dixisset[3]] ita facile soluteque verbis volvebat satis interdum acutas, crebras quidem certe sententias, ut nihil posset ornatius esse, nihil expeditius. Atque hic a magistris parum institutus, naturam habuit admirabilem ad dicendum : industriam non sum expertus; studium certe fuit : qui si me audire voluis-

LXXXI. 1. *C. Curionem*. C. Scribonius Curio, patris consularis ac triumphalis eloquentia et ingenio similis, perditis moribus dissimillimus : quem Velleius, lib. II, egregie describit : « Vir nobilis, eloquens, audax, suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam, et facundus malo publico : cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus neque opes ullæ, neque civitates sufficere possent». PRUST.—De quo vid. Plin. VII, 41, et XXXVI. Illius æs alienum Cæsar exsolvit, ut in partes suas adduceret, unde Servius conjicit ad eum respexisse Virgilium in hoc versu : « Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem imposuit ». Quum Cæsaris copiis in Africa præesset, fusus fuit a Juba, atque in prælio occisus. Vid. Vell. Pal. II, 48. J. V. L.

2. *C. Licinium Calvum*. C. Licinium Calvum, C. Licinii Macri filium, ut apud Val. Max. lib. IX, cap. 12, videre poteris. Hujus vitam Crinitus et Lilius scripserunt. Catullus eumdem non semel ut oratorem et poetam describit. Ut poeta igitur versus in Cæsarem scripsit, ut Suetonius ostendit. Scripsit et in Tigellinum; unde versum refert Interpres Hor. «Sardi Tigelli putidum caput venit». Hinc Cicero de Tigellio loquens, Fam. Ep. 25, l. VI, scribit ita : « Eum addictum jam tum puto Calvi Licinii Hipponacteo præconio ». Hic amavit Quintiliam, ut Catullus, et Propertius, lib. II, sunt auctores; et carmina quum ingentis animi plena, ut ait Senec. Controv. lib. IV, tum sæpe etiam lasciva scripsit, ut Ovid. de Trist. lib. II, ostendit. CORR. — De eo vid. Cic. epist. Fam. XV, 21; Quint. VI, 1, IX, 2 et 3, X, 1; Tac. de Orat. 18, 21 et 25.

3. *Quod verisimile dixisset*. Hæc ego non intelligo, nec bene interpretatur Corradus, qui ad narrationes refert : nescio quomodo, quum de iis non sit sermo. Turbant autem contextum. Credo esse spuria et aliunde intrusa. ERN. — Schützius hæc delevit cum Lambino. Schneider. conj. « q. v. vix esset ».

set[4], ut cœperat, honores, quam opes, consequi maluisset. — Quidnam est, inquit, istud? et quemadmodum distinguis? — Hoc modo, inquam. Quum honos sit præmium virtutis, judicio studioque civium delatum ad aliquem, qui eum sententiis, qui suffragiis adeptus est, is mihi et honestus et honoratus videtur. Qui autem occasione aliqua, etiam invitis suis civibus, nactus est imperium, ut ille cupiebat, hunc nomen honoris adeptum, non honorem[5] puto. Quæ si ille audire voluisset, maxima cum gratia et gloria ad summam amplitudinem pervenisset, adscendens gradibus magistratuum, ut pater ejus fecerat, ut reliqui clariores viri.

Quæ quidem etiam cum P. Crasso[6], M. F. quum initio ætatis ad amicitiam se meam contulisset, sæpe egisse me arbitror, quum eum vehementer hortarer, ut eam laudis viam rectissimam esse duceret, quam majores ejus ei tritam reliquissent. Erat enim quum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus; ineratque et ingenium satis acre, et orationis non inelegans copia; prætereaque sine arrogantia gravis esse videbatur, et sine segnitia verecundus. Sed hunc quoque absorbuit æstus quidam insolitæ[7] adolescentibus gloriæ: qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat; cui muneri mos majorum ætatem certam, sortem incer-

4. *Si me audire voluisset*. Vid. sex primas Ep. Fam. lib. II, ubi reperies monita Ciceronis ad Curionem, in Asia quæstorem anno U. C. 700.

5. *Hunc n. h. adeptum, n. h. puto*. MS Regius sic ordinat: « h. nomen honoris, non honorem adeptum puto ». Utrumque est Cicerone dignum. Ern.

6. *P. Crasso, M. F.* Filio Crassi triumviri, qui quum vulnus ingens accepisset in prælio illo infelici contra Parthos, se a servo occidi jussit. Vid. Plut. in Crasso.

7. *Insolitæ*. Vulgo, *non insolitæ*; sed abest *non* ab edd. pr. et multis MSS, quod insititium esse toto ex contextu patet. J. V. L.

tam reliquit. Ita gravissimo suo casu, dum Cyri[8] et Alexandri similis esse voluit, qui suum cursum transcurrerant[9], et L. Crassi, et multorum Crassorum inventus est dissimillimus.

LXXXII. (LXXXII.) Sed ad Calvum (is enim nobis erat propositus) revertamur: qui orator fuisset quum literis eruditior[1], quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi et exquisitius afferebat genus: quod quamquam scienter eleganterque tractabat, nimium tamen inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat[2]. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis et attente audientibus erat illustris; a multitudine autem, et a foro, cui nata eloquentia est, devorabatur[3]. — (LXXXIII.) Tum Brutus, Atticum

8. *Cyri.* Quidquid dicat Wetzelius, sedulus alioquin criticus, non hic agitur de Cyro majore, qui solium ascendit natus annos 40, Thymbræam victoriam natus 61 annos reportavit, obiitque anno vitæ 70: namque de illo dici non potest « suum cursum transcurrisse »; agitur ergo de minori Cyro cui cum Alexandro et Crasso juniori commune est, quod omnes in flore juventutis interierunt, quum Orientem aut subegissent, aut subactum irent.

9. *Suum cursum transc.* Ut qui non transissent per varios honorum aut gloriæ gradus, sed uno quasi saltu ad summum insiluissent.

LXXXII. 1. *Qui orator fuisset quum literis eruditior. Fuisset* vitiosum esse animadvertit jam Corradus, qui corrigebat, « qui or. fuit, sed, etc. » In *fuit* bene, non in altero *sed*: nam quorsum dicat, « qui orator fuit », quod nemo ignorabat? Deinde *sed* non coit cum ceteris, « sed eruditior..., afferebat ». Ego non audeo decernere de hoc loco: sed et *orator* mihi e glossa videtur (quorsum enim additur?), et *fuit* legendum. Scrupulus superest in forma: « fuit quum literis eruditior, tum... afferebat »: nam in hac forma « fuit quum ... tum » utrimque adjectiva esse solent. Dicamus Ciceronem ἀνακολούθως scripsisse, et ab adjectivo ad verbum deflexisse? Ern. — Schutzius dat: « qui quum fuisset literis eruditior, etc. »

2. *Verum sanguinem deperdebat.* Victorii editio *dependebat*, quod et in Pal. et Cujac. et videri poterat genuinum, nisi alterum laudaret Quintilianus, quem tamen quid vetat suspicari eo loco corruptum? Gruter. — Idem vitium exprobratum est statuario Callimacho, cui cognomen impositum est κακιζότεχνος.

3. *Devorabatur.* Vertit gall. interpr. « n'en gardaient qu'une impression fugitive », quia quasi ingustata oratio

se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat; inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur[4]. — Dicebat, inquam, ita; sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. Nam si quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide, attice putat dicere; is recte, nisi atticum, probat neminem. Insulsitatem enim et insolentiam, tamquam insaniam quamdam orationis, odit; sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris, probat. Hæc omnium debet oratorum eadem esse sententia. Sin autem jejunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in attico genere ponit, hoc recte dumtaxat; sed quia sunt in atticis alia meliora, videat, ne ignoret et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile, quam Demosthenes et Lysias? quam idem[5], et Hyperides? quam omnium horum[6] Æschines? Quem igitur imitaris? Si aliquem, ceteri ergo attice non dicebant: si omnes, qui potes, quum sint ipsi dissimillimi inter se? In quo etiam illud quæro, Phalereus ille Demetrius atticene dixerit: mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsæ Athenæ videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. Natura quædam, aut voluntas ita dicendi fuit.

LXXXIII. Et quidem duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se, sed attici tamen: quorum Charisius multarum orationum[1], quas scribebat aliis, quum

populo effluebat; quia lævior erat et politior, quam ut asperum vulgi palatum commoveret.

4. *Consequebatur*. Pro, *consectabatur*, ut infra et alibi. Vid. Clav. Ern.

5. *Quam idem*. Schützius dat *quam iidem* cum Cujac. probantibus Gulielmio et Schneidero.

6. *Quam omnium horum*. Int. dissimilis. Infra « dissimiles inter se et aliorum ». Ern.

LXXXIII. 1. *Multarum orationum*.

cupere videretur imitari Lysiam; Demochares autem, qui fuit Demostheni[2] sororis filius, et orationes scripsit aliquot; et earum rerum historiam, quæ erant Athenis ipsius ætate gestæ, non tam historico, quam oratorio genere perscripsit. At Charisii vult Hegesias[3] esse similis, isque se ita putat atticum, ut veros illos præ se pæne agrestes putet. At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa (quam tamen consequitur) concinnitate puerile? Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur ii attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamur. Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles, et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamur. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, et grandis etiam fuit; hoc forense, concertatorium, judiciale, non tractavit genus. Orationes autem, quas interposuit (multæ enim sunt), eas ego laudare soleo; imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim : ut, si quis[4] Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium[5] consulem quærat. Atqui eæ notæ

Sic edd. pr. Aliæ vitiose, ut Ald. Viet. dederunt *multas orationes*, subaudito *scripsit* e sqq. unde locum vitiosum putabat Corradus. Ern.

2. *Demostheni.* Sic MSS, et passim, non *Demosthenis*. J. V. L.

3. *Hegesias.* Alter ab illo Hegesia philosopho, qui sectam Aristippi sequutus est; hic Magnesius scripsit primus res Alexandri gestas.

4. *Ut, si quis Falerno.* Novæ periodi hic initium est : nam his *ut si quis* manifeste respondent infra *sic ego;* in quo initium novæ sententiæ male edd. faciunt. « Atqui... sequatur ætatem » sunt in parenthesi accipienda, quod non animadvertere editores docti. Ern. — Schützius ab Ernestio propositam interpunctionem adoptavit, nisi quod parenthesin in verbis « sane tolerabilis » coarctavit.

5. *Opimium aut Anicium.* Vini ætas notabatur consulum nomine. Anicius consul fuerat anno U. C. 593. Vinum eo consule collectum 114 annos habebat; Opimianum autem 70 annos. Cujus Opimiani vini nonnihil adhuc supererat duo post sæcula, quum Plinius major viveret, quem vide l. XIV cap. 6.

sunt optimæ. Credo; sed nimia vetustas nec habet eam, quam quærimus, suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime; sed quamdam sequatur ætatem. Sic ego istis censuerim et novam istam, quasi de musto ac lacu[6], fervidam orationem fugiendam, nec illam præclaram Thucydidi nimis veterem, tamquam Anicianam notam, persequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior.

LXXXIV. Demosthenem igitur imitemur. O dii boni! quid, quæso[1], nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non assequimur. Isti enim videlicet attici nostri, quod volunt, assequuntur! ne illud quidem intelligunt, non modo ita memoriæ proditum esse, sed ita necesse fuisse, quum Demosthenes dicturus esset, ut concursus, audiendi causa, ex tota Græcia fierent. At quum isti attici dicunt, non modo a corona, quod est ipsum miserabile, sed etiam ab advocatis[2] relinquuntur. Quare si anguste et exiliter dicere, est atticorum, sint sane attici: sed in comitium veniant, ad stantem judicem[3] dicant. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. Volo hoc oratori contingat, ut, quum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal,

6. *Quasi de musto ac lacu, ferv.* Schützius corrigit: « quasi mustum de lacu, ferv. » Schneidero placebat: « quasi musteam de lacu ac ferv. »

LXXXIV. 1. *Quid, quæso.* Lamb. *quid ergo.* Ante P. Manut. legebatur *quid quasi*: certam magni viri emendationem cur rejecit? J. V. L.

2. *Advocatis.* Sic vocabantur illi, qui reum in tribunali comitabantur, ut sua eum auctoritate, suaque præsentia apud judices tuerentur. Nota res est.

3. *Ad stantem judicem.* De judice stante hærent viri docti, ut Corradus. Credo cum Manutio ad Epp. ad Div. XIII, 10, intelligi judices leviorum causarum, quorum inter judices, qui vulgo dicuntur, aut proprie, nulla mentio: nisi quis malit prætorem intelligere, quum de plano respondet, aut arbitrum privatim sumptum. Ern.

gratiosi scribæ sint in dando et cedendo loco, corona multiplex, judex erectus : quum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebræ assensiones, multæ admirationes; risus, quum velit; quum velit, fletus : ut, qui hæc procul videat, etiamsi, quid agatur, nesciat, at placere tamen, et in scena esse Roscium intelligat. Hæc cui contingant, eum scito attice dicere, ut de Pericle audivimus[4], ut de Hyperide, ut de Æschine, de ipso quidem Demosthene maxime. Sin autem acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum[5], et exsiccatum genus orationis probant, nec illo graviore ornatu oratorio utuntur, et hoc proprium esse atticorum volunt; recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia, etiam huic minutæ subtilitati locus. Ita fiet, ut non omnes, qui attice, iidem bene; sed ut omnes, qui bene, iidem etiam attice dicant[6]. Sed redeamus rursus ad Hortensium.

LXXXV. (LXXXIV.) — Sane quidem, inquit Brutus; quamquam ista mihi tua fuit perjucunda a proposita oratione degressio. — Tum Atticus, Aliquoties sum, inquit, conatus, sed interpellare nolui. Nunc, quoniam ad perorandum spectare videtur sermo tuus, opinor, quod sentio. — Tu vero, inquam, Tite. — Tum ille, Ego, inquit, ironiam illam, quam in Socrate dicunt fuisse, qua ille in Platonis, et Xenophontis, et Æschinis[1] libris utitur, facetam et elegantem

4. *Audivimus.* Schützius cum Gu. 1, 2, *audimus*, probante Heusingero; coll. Obs. ad Cic. de Off. I, 6, 5.

5. *Solidum.* Non ad integritatem referam cum Corrado, sed ad sequens *exsiccatum*, intelligoque ductum a cibo solido, qui opponitur molli et jurulento, estque saluber in primis. Ern.

6. *Iidem... attice dicant.* Eadem de quæstione iterum disputavit Cicero, Orat. 7 et sqq.

LXXXV. 1. *Æschinis.* Æschines dictus Socraticus, ut ab Æschine oratore distinguatur. Septem dialogos composuerat, qui non superfuerunt. Ei tamen tribuuntur tres dialogi inscripti de Virtute, Eryxias, Axiochus;

puto. Est enim et minime inepti hominis, et ejusdem etiam faceti, quum de sapientia disceptetur[2], hanc sibi ipsum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam sibi arrogent[3] : ut apud Platonem Socrates in cælum effert laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros; se autem omnium rerum inscium fingit et rudem : decet hoc, nescio quomodo, illum; nec Epicuro, qui id reprehendit, assentior. Sed in historia, qua tu es usus in omni sermone, quum, qualis quisque orator fuisset, exponeres, vide, quæso, inquit, ne tam reprehendenda sit ironia, quam in testimonio. — (LXXXV.) Quorsus, inquam, istuc? non enim intelligo. — Quia primum, inquit, ita laudavisti quosdam oratores, ut imperitos posses in errorem inducere. Equidem in quibusdam risum vix tenebam, quum Attico Lysiæ Catonem nostrum comparabas, magnum mehercule hominem, vel potius summum et singularem virum; nemo dicet secus; sed oratorem? sed etiam Lysiæ similem, quo nihil potest esse pictius? bella ironia, si jocaremur; sin asseveramus, vide, ne religio nobis tam adhibenda sit, quam si testimonium diceremus[4]. Ego enim Catonem tuum, ut civem, ut senatorem, ut imperatorem, ut virum denique quum prudentia et diligentia, tum omni virtute excellentem, probo : orationes autem ejus, ut illis temporibus, valde laudo; significant enim quam-

sed de vero horum dialog. auctore non consentitur.

2. *Disceptetur.* Sch. cum Gu. 1, 2, *disceptatur.*

3. *Arrogent.* Sic scribendum pro vulg. *arrogant*, ut facile quivis, admonitus saltem, sentiat. Ern. — Sch. tamen servavit vulgatum, quod firmatur auctoritate Gu. 1, 2.

4. *Diceremus.* Ernest. mutavit in *dicamus*, quia præcedit « asseveramus ... ne ... religio adhibenda sit ». Sed reprehenditur a J. V. L. et Schützio, qui inducit Heusingerum, a quo sic vulgata explicatur : vide ne religio nobis tam adhibenda sit, quam adhibenda esset, si testimonium diceremus.

dam formam ingenii, sed admodum impolitam, et plane rudem. Origines vero quum omnibus oratoris[5] laudibus refertas diceres, et Catonem cum Philisto et Thucydide comparares, Brutone te id censebas, an mihi probaturum? quos enim ne e Græcis quidem quisquam imitari potest, iis tu comparas hominem Tusculanum, nondum suspicantem, quale esset copiose et ornate dicere.

LXXXVI. (LXXXVI.) Galbam laudas; si ut illius ætatis principem, assentior; sic enim accepimus: sin ut oratorem, cedo, quæso, orationes (sunt enim), et dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum velle te illo modo dicere. Probas Lepidi orationes; paullum[1] hic tibi assentior, modo ita laudes, ut antiquas: quod item de Africano, de Lælio, cujus tu oratione negas fieri quidquam posse dulcius; addis etiam nescio quid augustius: nomine nos capis summi viri, vitæque elegantissimæ verissimis laudibus. Remove hæc: næ ista dulcis oratio ita sit objecta, ut eam adspicere nemo velit[2].

Carbonem in summis oratoribus habitum scio; sed quum in ceteris rebus, tum in dicendo, semper, quo nihil[3] est melius, id laudari, qualecumque est, solet. Dico idem de Gracchis; etsi de iis ea sunt a te dicta, quibus ego assentior. Omitto ceteros; venio ad eos, in quibus jam perfectam putas esse eloquentiam, quos ego audivi, sine controversia magnos oratores, Crassum et Antonium. De horum laudibus tibi prorsus assentior; sed tamen non isto modo, ut Poly-

5. *Oratoris.* Lambinus exhibet *oratoriis.*

LXXXVI. 1. *Paullum.* Hoc abest Gu. 1; at in Gu. 2, *paullulum.* Sch.

2. *Ut eam adspicere nemo velit.* Vid. supra cap. 21, ubi fit mentio orationis Lælii de pontificum collegiis.

3. *Quo nihil.* Gu. 1, 2, *quoniam nihil*, quod J. V. L. probat.

cleti Doryphorum[4] sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliæ tibi magistram fuisse : hæc germana ironia est; cur ita sentiam, non dicam, ne me tibi assentari putes. Omitto igitur, quæ de iis ipsis, quæ de Cotta, quæ de Sulpicio, quæ modo de Cœlio dixeris : ii enim[5] fuerunt certe oratores; quanti autem, et quales, tu videris. Nam illud minus curo, quod congessisti operarios omnes; ut mihi videantur mori voluisse nonnulli, ut a te in oratorum numerum referrentur.

LXXXVII. (LXXXVII.) — Hæc quum ille dixisset, Longi sermonis initium pepulisti[1], inquam, Attice, remque commovisti nova disputatione dignam, quam in aliud tempus differamus. Volvendi enim sunt libri quum aliorum, tum in primis Catonis : intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quæ inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. Nam de Crassi oratione sic existimo, ipsum fortasse melius potuisse scribere; alium, ut[2] arbitror, neminem. Nec in hoc ironiam dixeris[3] esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim : nam

4. *Doryphorum*. Sc. juvenem hastam manu gestantem. De eo Polycleto, Sicyoneo, Plinius ait l. XXXIV, 8 : « fecit et Doryphorum viriliter puerum ».

5. *Ii enim*. Schützius, *hi enim*, ex Gu. 1, 2, probante Heusingero. Præterea idem Schütz. ante *hi enim* punctum maximum posuit.

LXXXVII. 1. *Initium pepulisti*. Est e correctione Victorii, quam et nos sequimur. MSS quidam *depulisti*, ut edd. Ven. Ald. Junt. (adde Gu. 2, Palat. et Cujac.) male. Manutius et Lamb. edidere *detulisti*, itidem male, et sine sensu commodo. *Pepulisti* est movisti, quo verbo statim utitur. Sic supra cap. 4 : « quibus animorum partes pellerentur », pro moverentur, quamquam alio tropo et sensu. Ern. — Schützius conj. *propulisti*.

2. *Alium, ut arbitror, neminem*. Schützius dat : « alium arbitror neminem ».

3. *Nec in hoc ironiam dixeris esse*. Sic fere edd. pr. Aldus ex ed. Ven. dedit *duxeris*, imitante Junta; quod defendit Rivius, qui eam lectionem se dicit reperisse, nempe in ed. Veneta : nec *duxeris* cum *esse* et substantivo, commode dicitur. Similiter e *dicitur* male factum *ducitur* in Top. cap. 11. Ern. — Schützius dedit *duxeris* cum Grut. et Gu. 1.

etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate; tamen, adolescentes quid in Latinis potius imitaremur, non habebamus. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit (ut paullo ante dixi), quod intelligi volui, in eo, cujus omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. Quare εἴρωνα me, ne si Africanus[4] quidem fuit (ut ait in historia sua C. Fannius), existimari velim. — Ut voles, inquit Atticus. Ego enim non alienum a te putabam, quod et in Africano fuisset, et in Socrate. — Tum Brutus, De isto postea; sed tu (inquit, me intuens) orationes nobis veteres explicabis? — Vero, inquam, Brute[5]; sed in Cumano, aut in Tusculano, aliquando, si modo licebit[6]; quoniam utroque in loco vicini sumus.

LXXXVIII. Sed jam ad id, unde degressi sumus, revertamur. (LXXXVIII.) Hortensius[1] igitur quum ad-

4. *Africanus.* Alter Africanus, Scipio Æmilianus. Cf. de Orat. II, 67.

5. *Vero, inquam, Brute.* Lamb. « Ego vero, inquam, Brute »; sed contra vett. libros; et sic loquutus non semel; ut Tusc. lib. II, cap. 11; Div. lib. I, cap. 46; pro Rullo denique et Murena. GRUT.

6. *Si modo licebit.* Puto legendum *libebit:* nam licebat propter vicinitatem: « quoniam utroque in loco vicini sumus ». ERN.

LXXXVIII. 1. *Hortensius.* Hic fuit eques romanus, ut ait Asconius; quæstor Verr. I et III fuisse dicitur. Ædilis Verr. I significatur, et ab Asconio vocatur, et sane fuit Octavio et Cotta coss. Prætor Act. I Verr. cognoscitur, et ab Asconio in III nominatur. Ædilis, vel prætor, quum sesquimodios populo romano in capita descripsisset, gratissimum omnibus fecit, Verr. III. Consul fuit cum C. Cæcilio Metello Cretico, ut Asconius scribit. Fuit etiam augur, et Ciceronem in augurum collegium cooptavit, ut in initio diximus, unde Cicero Famil. lib. III, epist. 8, suum collegam vocat et familiarem, quod essent conjunctissimi omnium consiliorum societate. Cicero illum sæpe laudavit, ut hic, de Orat. lib. III, et in orat. pro Milone, ubi vocat illum lumen et ornamentum reip. et de nomine ipsius librum, in quo cohortatus est ad philosophiæ studium, *Hortensium* inscripsit, ut ostendit de Fin. lib. I; Tusc. II et III, et de Div. II. Atque in his quidem omnibus videtur Cicero βαθύτητα, qua de loquitur ad Attic. lib. IV, epist. 6, servasse; quum revera se ab Hortensio scelestissime et insidiosissime tractatum esse sentiret, ut ad Quint. Fratr. lib. I, epist. 3, et ad Att. III, ep. 9, declarat. Dives ad-

modum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad majores causas adhiberi cœptus est. Quamquam inciderat in Cottæ et Sulpicii ætatem, qui annis decem majores, excellente tum Crasso et Antonio, deinde Philippo, post Julio, cum iis ipsis dicendi gloria comparabatur[2]. Primum memoria tanta, quantam in ullo[3] cognovisse me arbitror, ut, quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. Hoc adjumento ille tanto sic utebatur, ut sua, et commentata, et scripta, et, nullo referente, omnia adversariorum dicta meminisset[4]. Ardebat autem cupiditate sic, ut in nullo umquam flagrantius studium viderim. Nullum enim patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum; sæpissime eodem die utrumque faciebat. Attuleratque minime vulgare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius; partitiones, quibus de

mudum videtor fuisse, qui Tusculanum baberet, ot Plinius osteudit, lib. XXXV, cap. 11; villam ad Baolos, ut Cicero, Acad. Quæst. lib. II, et Varro de Ling. Lat. lib. III, e. 17, testantur; quædam ad portam Flomentanam, ad Att. lib. VII, ep. 3, villam in Laurenti agro com silva magna, ut Varro de Re Rust. lib. III, cap. 13, testis est; et domum tam pulcbram, ut postea L. Lentulus eam sibi in bello civili desponderit, ad Attic. lib. XI, epist. 6, et super decem millia cadum heredi reliquit, ot Plin. XIV, c. 14, scribit. Fuit certe sumptuosus ita, ot quod Dion. lib. XXXIX scribit, consulibus legem sumptuariam ferre volentibus sit adversatus. Male audivit, et quod judices corrumperet, ut Cicero in Verrinis significat et Asconius interpretatur, et quod munera a clientibus acciperet. Solitus erat gloriari, quod numquam bello civili interfuisset, ut Fam. lib. II, epist. 15, scriptum videbis. Corr.

2. *Comparabatur.* Schütz. corrigit *comparabantur.*

3. *In ullo.* Sch. cum Lamb. *in nullo.*

4. *Meminisset.* Seneca rhetor in præfat. Controvers. narrat eum Hortensium aliquando cuidam bonorum *publicationi* (*enchère*) interfuisse per totum diem, et vespere singulatim enarravisse et omnia quæcumque vendita fuerant, et quo quodque pretio, et a quibus emptoribus, et quo ordine. Ibidem Seneca plura addit singularis memoriæ exempla, ut illius, qui semel auditum carmen auctori recitaverit, a seque compositum contenderet, et Cineæ, qui cras postquam legatus Pyrrhi venisset, suo nomine quemque senatorem et multos romanos cives appellaverit.

rebus dicturus esset, et collectiones[5], memor et quæ essent dicta contra, quæque ipse dixisset. Erat in verborum splendore elegans[6], compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat quum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consequutus. Rem complectebatur memoriter, dividebat acute, nec prætermittebat fere quidquam, quod esset in causa, aut ad confirmandum, aut ad refellendum. Vox canora et suavis; motus et gestus etiam plus artis habebat, quam erat oratori satis. (LXXXIX.) Hoc igitur florescente, Crassus est mortuus[7], Cotta pulsus, judicia intermissa bello, nos in forum venimus.

LXXXIX. Erat Hortensius in bello, primo anno miles, altero tribunus militum; Sulpicius legatus aberat, etiam M. Antonius; exercebatur una lege judicium Varia, ceteris propter bellum intermissis; qui frequentes aderant[1] (quamquam pro se ipsi dicebant), oratores non illi quidem principes, L. Memmius[2] et Q. Pompeius, sed oratores tamen, teste diserto uter-

5. *Et collectiones*. Ed. Venet. Med. *conjunctiones*. Ex re judicari de vera lectione debet. Intelligendæ autem sunt summæ dictorum vel a nobis, vel ab aliis, ut e sequentibus patet; cui rei videtur aptius *collectionis*, quam *conjunctionis* verbum: græce συναγωγή, ut dicit Cic. ad Attic. IX, 10, quamquam nec hoc alienum: de Invent. I, 40, appellavit *conductionem*. Ern.— Pal. et Cujac. *conjectiones*, quod tale esse putabat Gulielmius, ut de eo queri posset. Gaut. — De hoc usu Hortensii vide pro Quintio, cap. 10.

6. *In verborum splendore elegans*. Int. diligens, delectum bene faciens. Vide Clav. in h. v. Ern.

7. *Crassus est mortuus*. Crassus obiit anno U. C. 662. Cotta pulsus est eodem anno: bellum Sociale vel Italicum anno sequenti ortum est. Vide Flor. III, 18.

LXXXIX. 1. *Qui frequentes aderant (quamquam pro se ipsi dicebant), oratores*. Schütz. emendat: « cui frequens aderam, quum pro se ipsi dicebant, oratores », ex Gu. 1, 2, in quibus est « qui frequens aderam ». Schneid. locum ita constituit: « cui frequenter aderam. Quamquam ».—Multi MSS Regii, « qui frequens aderam ». Vulg. bene habet J. V. L. Vid. not. 3.

2. *L. Memmius et Q. Pompeius*. De hoc Memmio vide c. 36. De Q. Pompeio, cap. 56; qui quidem quum consul esset anno 665, occisus est in seditione quam commoverat Cn. Pompeius Strabo; cujus imperio ut succederet in Picenum veniebat; primumque hoc fuit exemplum exercitus sanguine sui

que Philippo; cujus in testimonio[3] contentio et vim accusatoris habebat, et copiam.

Reliqui, qui tum principes numerabantur, in magistratibus erant, quotidieque fere a nobis in concionibus audiebantur. Erat enim tribunus plebis tum C. Curio : quamquam is quidem silebat, ut erat semel a concione universa relictus. Q. Metellus Celer[4], non ille quidem orator, sed tamen non infans; diserti autem Q. Varius, C. Carbo[5], Cn. Pomponius : et ii quidem habitabant in rostris. C. etiam Julius, ædilis curulis, quotidie fere accuratas conciones habebat. Sed me cupidissimum audiendi primus dolor percussit, Cotta quum est expulsus : reliquos frequenter audiens acerrimo studio tenebar, quotidieque et scribens, et legens, et commentans, oratoriis tantum[6] exercita-

consulis manus suas respergentis. Vid. Vell. Pat. II, 20; Epit. Liv. 77.

3. *Cujus in testimonio*. Hunc locum numquam potui intelligere. Etiam Corradus hic nihil intelligebat. Nec vero apparet, quare tale quid hic dicatur, qualis scil. ille in testimoniis dicendis fuerit. Vereor ne sit appendicula aliunde inculcata. ERNEST. — Nos putamus verbis « frequentes aderant » significari, Memmium et Pompeium frequentes esse in foro ut reos lege Varia cives defenderent : iis quæ parenthesi includuntur (quamquam pro se ipsi dicebant) significatur ipsos reos etiam dicere, ut semetipsos defenderent : etenim fere omnes illi rei inter senatores præclari erant, nec in dicendo inexercitati : et patet verba « ipsi dicebant » opponi istis « aderant oratores ». Verbis « teste diserto uterque Philippo », non voluit auctor innuere, a Philippo eloquente viro Memmium et Pompeium declaratos fuisse eloquentes : nempe Cicero qui eos audierat, non eget Philippi testimonio : sed voluit dicere Philippum testimonio eos adjuvare, quos Pompeius et Memmius causidici defenderent. Nec mirum est Philippum in his causis testem adhiberi, qui harum turbarum magna pars fuerit; atque inde patet, cur Philippus adeo vehemens in testimonio dando foret. J. V. L.

4. *Q. Metellus Celer*. Pater duorum Metellorum de quibus mentio fit c. 70.

5. *Carbo*. Vide supra cap. 62. Wetzel. cujus sententiam sumus sequuti de hoc Carbone Ernestium non semel erravisse monstrat, probatque h. l. agi de illo cui cognomen *Arvina* erat (Valer. Maxim. IX, 2, 3), qui jussu Marii filii occisus est anno 671, dictusque est a Cicerone, cap. 62, filius fuisse illius Carbonis eloquentia celeberrimi.

6. *Oratoriis tantum*. Ed. Ven. Med. *oratoris;* sed spatio inter *i* et *s*, ut litera excidisse vel non expressa operis videatur. Itaque Aldus fecit *orato-*

tionibus contentus non eram. Jam consequente anno Q. Varius sua lege damnatus excesserat. Ego autem, juris civilis studio, multum operæ dabam Q. Scævolæ, P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat. Atque huic anno proximus Sulla consule et Pompeio fuit : tum P. Sulpicii in tribunatu quotidie concionantis totum genus dicendi penitus cognovimus; eodemque tempore, quum princeps Academiæ Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum ei me tradidi, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata 7 jam esse in perpetuum ratio judiciorum videbatur. Occiderat Sulpicius illo anno, tresque proximo trium ætatum oratores erant crudelissime interfecti, Q. Catulus, M. Antonius, C. Julius. Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romæ dedimus operam, et actori summo causarum, et magistro.

XC. (xc.) Hæc etsi videntur esse a proposita ratione diversa, tamen idcirco a me proferuntur, ut nostrum cursum perspicere, quoniam voluisti, Brute, possis

riis, sequente Junta, quod a nonnullis relictum est. Pro *tantum* Corradus habet *tamen*, nescio unde. Id est mollius sane : nam *tantum* sane redondat, quum sit in *contentus*. Jus etiam discebat Cicero et philosophiam. Ern. — Schützius dat *tamen*.

7. *Quod, etsi..... tamen sublata.* Hæc forma orationis h. l. sane friget. Nec his ratio commode redditur antecedentis sententiæ. Edd. Ven. Med. Aldus, Junta, non habent *quod*. Rivius a libro vetere correxit, ut nunc est. Suspicor Ciceronem scripsisse: « quod et rerum... et sublata, *etc.* » Nam manifestum est, Ciceronem duas causas studii commemorare, alteram a natura philosophiæ, alteram a temporum ratione, quibus eloquentiæ nullus post usus futurus videbatur. Et mutatum fuit casu in *etsi*, inde additum post *tamen*. Melius nihil nec reperi, nec ipse excogitare potui. Ern. — Nihil mutatione opus. Nam *tamen* h. l. idem est ac « tamen etiam hoc accedebat, quod sublata ». Sch.

(nam Attico hæc nota sunt [1]), et videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persequuti. Triennium fere fuit urbs sine armis [2], sed oratorum [3] aut interitu, aut discessu, aut fuga, nam aberant etiam adolescentes M. Crassus [4] et Lentuli duo, primas in causis agebat Hortensius [5]; magis magisque quotidie probabatur Antistius; Piso [6] sæpe dicebat; minus sæpe Pomponius, raro Carbo; semel aut iterum Philippus. At vero ego hoc tempore omni, noctes et dies, in omnium [7] doctrinarum meditatione versabar. Eram cum stoico Diodoto; qui quum habitavisset apud me, mecumque vixisset [8], nuper est domi meæ mortuus: a quo quum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar; quæ quasi contracta et adstricta eloquentia putanda est; sine qua etiam tu, Brute, judicavisti, te illam justam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse putant, consequi non posse. Huic ego doctori, et ejus artibus variis atque multis, ita eram tamen deditus, ut ab exercitationi-

XC. 1. *Nam Attico hæc nota sunt.* Atticus erat tribus annis major Cicerone. Brutus autem, natus anno 668, uno et viginti annis minor, ut jam supra diximus.

2. *Triennium fere fuit urbs sine armis.* Scilic. annis 667, 668, 669, dum Sulla Mithridaticum bellum gereret, et Marianæ partes Romæ sine contentione ulla dominarentur.

3. *Sed oratorum.* Forte melius *et.*

4. *Crassus.* Hic, tam infeliciter interemptis apud Parthos patre et fratre, fugit in Hispaniam, ubi in antro delituit, dum audiret Cinnam esse defunctum anno 669; tum rediit ad Sullam. Plut. in Crasso.

5. *Hortensius; magis magisque quotidie probabatur Antistius.* Sic interpunxit primus J. Gronov. quum edd. pr. referant ad Hortensium: in qua interpunctione *magis* delendum sit, et *Antistius* delendus. Est idem qui cap. 63 memoratur, ut ex rebus ibi de eo traditis intelligitur: et quia ibi pariter traditur, eum paullatim cœpisse placere, Gronovii rationem probandam puto. Vulgo, « Hortensius magis ... probabatur, Antistius, etc. »

6. *Piso.* De quo mentio fit cap. 67.

7. *In omnium doctrinarum.* Gu. 1, *in omni.* Sch.

8. *Mecumque vixisset.* Ed. Rom. « cum Quinto vixisset ». Venet. Med. Ald. Junt. etc. « eumque vixisset ». Vulgatum est a correctione Rivii. Ernest. — Vide de Diodoto Cic. Epp. Fam. IX, 4, et Tusc. V, 29.

bus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabar declamitans (sic enim nunc loquuntur) sæpe cum M. Pisone, et cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie; idque faciebam multum etiam latine, sed græce sæpius: vel quod græca oratio, plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter latine dicendi afferebat[9]; vel quod a græcis summis doctoribus, nisi græce dicerem, neque corrigi possem, neque doceri. Tumultus interim pro recuperanda republica, et crudelis interitus oratorum trium, Scævolæ, Carbonis[10], Antistii; reditus Cottæ, Curionis, Crassi, Lentulorùm, Pompeii; leges et judicia constituta; recuperata respublica; ex numero autem oratorum Pomponius, Censorinus[11], Murena sublati. Tum primum nos ad causas, et privatas et publicas, adire cœpimus, non ut in foro disceremus, quod plerique fecerunt, sed ut, quantum nos efficere potuissemus, docti in forum veniremus. Eodem tempore Moloni dedimus operam[12]; dictatore enim Sulla, legatus ad senatum de Rhodiorum præmiis[13] venerat. Itaque prima causa publica, pro Sext. Roscio dicta, tantum commendationis habuit[14], ut non ulla esset, quæ non digna nostro

9. *Vel... latine dicendi afferebat.* Sequitur « vel corrigi non possem », unde corrigendum videtur *afferret*. Sic cap. 93 pr. « credo, quod videret... negligeret autem eos ». Ern. — Quem Schützius non probat.

10. *Carbonis.* Illius, cujus mentio fit cap. 62, 63, 89.

11. *Censorinus, Murena.* Jam de Censorino et de Murena cap. 67. Ne hunc Murenam eum Ernest. eumdem esse putes, ac L. Murenam, cujus filium Cicero consul defendit.

12. *Moloni dedimus operam.* Cap. 89 in fine, Cicero dicit se Molonem Romæ anno 666 audivisse. Nunc eum, Sulla dictatore anno 671, Romam venisse dicit; unde conjici licet, eum in intervallo patriam suam rediisse: nec textus corruptionis ideo arguendus est.

13. *De Rhodiorum præmiis.* In bello Mithridatico fideles reip. rom. Rhodii remansere, obsidionique regii exercitus restiterunt. Vell. Paterc. II, 18; Epit. Liv. 78.

14. *Tantum commendationis habuit.* Ed. Ven. Med. *habui*, ut Gruteri duo, quod probat Gruterus, non male: secundum contextum quidem; tum « causa p... dicta » in ablativo capienda. Ernest. — *Habui* minus J. V. L. placet.

patrocinio videretur. Deinceps inde multæ, quas non minus diligenter elaboratas, et tamquam elucubratas afferebamus,

XCI. (XCI.) Nunc, quoniam totum me, non nævo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni, videris velle cognoscere, complectar nonnulla etiam, quæ fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum; qui habitus et quæ figura non procul abesse putatur a vitæ periculo, si accedit labor [1] et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione dicebam. Itaque quum me et amici et medici hortarentur, ut causas agere desisterem; quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum [2] putavi. Sed quum censerem, remissione et moderatione vocis, et commutato genere dicendi, me et periculum vitare posse, et temperatius dicere; ut consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque quum essem biennium versatus in causis, et jam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus [3].

Quum venissem Athenas, sex menses cum Antiocho, veteris academiæ nobilissimo et prudentissimo philosopho, fui, studiumque philosophiæ numquam intermissum, a primaque adolescentia cultum et sem-

XCI. 1. *Si accedit labor*. Sine dubio Cicero scripsit *accedat*: nam præcedit « putatur non abesse a periculo ». ERNEST.

2. *Quam a sperata gloria discedendum*. Videtur Cicero *desciscendum* scripsisse : nam « discedere a sperata gloria », vix bene et commode dicitur : at « a spe desciscere », commode. ERNEST.

3. *Roma sum profectus*. Cicero causas egit annis 672 et 673 : in itinere fuit ex anno 674 usque ad annum 676.

per auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavi. Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum, studiose exerceri solebam. Post a me Asia tota peragrata est, cum summis quidem oratoribus, quibuscum exercebar ipsis lubentibus, quorum erat princeps[4] Menippus Stratonicensis, meo judicio, tota Asia illis temporibus disertissimus : et, si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, atticorum est, hic orator in illis numerari recte potest. Assiduissime autem mecum fuit Dionysius Magnes; erat etiam Æschylus Cnidius, Adramyttenus Xenocles. Hi tum in Asia rhetorum principes numerabantur. Quibus non contentus, Rhodum veni, meque ad eumdem, quem Romæ audiveram, Molonem, applicavi, quum actorem in veris causis, scriptoremque præstantem, tum in notandis animadvertendisque vitiis, et instituendo docendoque prudentissimum. Is dedit operam (si modo id consequi potuit), ut nimis redundantes nos, et superfluentes[5] juvenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quasi extra ripas diffluentes coerceret. Ita recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus; nam et contentio nimia vocis reciderat, et quasi referverat[6] oratio, lateribusque vires, et corpori[7] mediocris habitus accesserat.

4. *Quorum erat princeps.* Suspicatus aliquando sum : « Horum erat pr. » ne relativum concurreret brevi intervallo. Sed vide ad cap. 67. Ern.

5. *Et superfluentes.* Hoc Schützius delet. Non dubito, inquit, quin sit glossema vocabuli *redundantes*, præsertim quum mox sequatur, « quasi extra ripas diffluentes ».

6. *Reciderat, et quasi referverat.* Schützius cum Lambino, « resederat, et quasi deferverat », al. *deferbuerat.*

7. *Et corpori mediocris habitus accesserat.* Edidi *corpori* pro vulgato *corporis*, quod sine dubio vitiosum est. Respondent sibi nimis clare, « lateribus vires, corpori habit. access. » nec « habitus corporis accessit lateribus ». Ernest. — Quem Schützius sequitur, quum Gu. 1 det *corpori.*

XCII. (XCII.) Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius : quorum alter remissus, et lenis [1], et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; alter ornatus, acer, et non talis, qualem tu eum, Brute, jam deflorescentem cognovisti, sed verborum et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior, et ætate conjunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canuleio, pro Cn. Dolabella consulari, quum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum, et agentem, et canorum, concursus hominum forique strepitus desiderat. Unum igitur annum, quum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, quum quæsturam nos, consulatum Cotta, ædilitatem peteret Hortensius. Interim me quæstorem Siciliensis excepit annus; Cotta ex consulatu est profectus in Galliam; princeps et erat et habebatur Hortensius. Quum autem anno post e Sicilia me recepissem, jam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quamdam suam. Nimis multa videor de me, ipse præsertim; sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem et industriam. Quum igitur essem in plurimis causis, et in principibus patronis, quinquennium fere versatus, tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus ædilis cum designato consule Hortensio.

XCIII. (XCIII.) Sed quoniam omnis hic sermo noster

XCII. 1. *Remissus, et lenis.* Vide enim orat. quæ illius affertur in fragmentis Sallustii, quamvis ab eo in brevius contracta videatur. — *Priores tamen agere partes Hortensium.* Intelligendum, plus esse in Horten-

non solum enumerationem oratoriam [1], verum etiam præcepta quædam desiderat; quid tamquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere. Nam is post consulatum (credo quod videret, ex consularibus neminem esse secum comparandum, negligeret autem eos, qui consules non fuissent), summum illud suum studium remisit, quò a puero fuerat incensus, atque in omnium rerum abundantia voluit beatius, ut ipse putabat, remissius certe vivere. Primus, et secundus annus, et tertius tantum quasi de picturæ veteris colore detraxerat, quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens posset cognoscere. Longius autem procedens [2], et in ceteris [3] eloquentiæ partibus, tum maxime in celeritate et continuatione verborum adhærescens, sui dissimilior videbatur fieri quotidie. Nos autem non desistebamus, quum omni genere exercitationis, tum maxime stylo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat. Atque ut multa omittam in hoc spatio, et in iis [4] post ædilitatem annis, et prætor primus, et incredibili populari [5] voluntate sum factus. Nam quum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi novitate converteram. Nihil de me dicam: dicam de ceteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis,

sio, eumque plus efficere Cotta. Ern.

XCIII. 1. *Oratoriam*. Schütz. cum Lamb. *oratorum*.

2. *Longius autem procedens*, i. e. quo longius procedebat tempore.

3. *Et in ceteris*. Schütz. cum Lambino, « quum in ceteris ». Gu. 1, 2, *ut in ceteris*.

4. *Et in iis*. Schützius « et in bis » cum Riv. Manut. Lamb.

5. *Incredibili populari voluntate*. Melius *populi*: sic enim alibi semper loquitur in hac re, numquam, quod notarim, aliter, et eo quo hic in vulgatis modo. Ern. — Schützius Ernest. sequutus est.

quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur; nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum; nemo, qui jus civile didicisset, rem ad privatas causas, et ad oratoris prudentiam, maxime necessariam; nemo, qui memoriam rerum romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis[6] locupletissimos testes excitaret; nemo, qui breviter arguteque, incluso[7] adversario, laxaret judicum animos, atque a severitate paullisper ad hilaritatem risumque traduceret; nemo, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis ac temporis, ad communem quæstionem universi generis, orationem traduceret[8]; nemo, qui delectandi gratia degredi parumper a causa; nemo, qui ad iracundiam magnopere judicem; nemo, qui ad fletum posset adducere; nemo, qui animum ejus (quod unum est oratoris maxime proprium), quocumque res postularet, impelleret.

XCIV. (XCIV.) Itaque, quum jam pæne evanuisset Hortensius, et ego anno meo, sexto autem post illum consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam cœpit; ne, quum pares honore essemus, aliqua re superiores videremur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, quum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, conjunctissime versati sumus; consulatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestarum, quas ille admirabatur, laude conjunxerat. Maxime

6. *Ex qua, si quando opus esset, ab inferis.* Durum utique est «ex qua ... ab inferis». An excidit *quasi*, quia mox præcessit «qua, si: ex qua, si q. o. e. quasi ab inferis l. t. excitaret». ERNEST. — Cujus conjectura Schützio placet.

7. *Incluso.* Schütz. corrigit *illuso*, quod, vel *inluso*, J. V. L. placet.

8. *Traduceret*, et in fin. cap. *impelleret.* Ernest. corrigit «traducere... impellere», quia hic meri infinitivi a *possent* pendere debent. Pro *traduceret* Schutzius leg. arbitratur *revocaret*.

vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio paullo ante, quam perterritum armis hoc studium, Brute, nostrum conticuit subito et obmutuit; quum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis, ad causas simillimas inter se, vel potius easdem, novi [1] veniebamus quotidie : quibus quidem causis tu etiam, Brute, præsto fuisti, compluresque et nobiscum, et solus egisti; ut, qui non satis diu vixerit Hortensius, tamen hunc cursum confecerit. Annis ante decem causas agere cœpit, quam tu es natus; idem quarto et sexagesimo anno, perpaucis ante mortem diebus, una tecum socerum tuum defendit Appium. Dicendi autem genus quod fuerit in utroque, orationes utriusque etiam posteris nostris indicabunt.

XCV. (xcv.) Sed, si quærimus, cur adolescens magis floruerit dicendo, quam senior Hortensius; causas reperiemus verissimas duas. Primum [1], quod genus erat orationis Asiaticum, adolescentiæ magis concessum, quam senectuti. Genera autem Asiaticæ dictionis duo sunt : unum sententiosum et argutum, sententiis non tam gravibus et severis, quam concinnis et venustis; qualis in historia Timæus [2], in dicendo autem, pueris nobis, Hierocles Alabandeus, magis etiam Menecles, frater ejus, fuit; quorum utriusque orationes sunt in primis, ut Asiatico in genere, laudabiles. Aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum,

XCIV. 1. *Simillimas ... novi.* Intelligit gallicus interpres : « Quamquam causæ similes essent, semper tamen novæ videbantur, quum a nobis orarentur ».

XCV. 1. *Primum.* Sine dubio debet esse *primam*, sc. causam : maxime quia sequitur *quod.* Si *primum* scripsisset, sequeretur *genus erat*, etc. sine *quod.* Ern. — Schützius vulgatum confirmari dicit Gu. 1, 2, cf.que jubet Heusinger. adnott. ad Cic. de Off. I, 28, 9, et II, 5, 8.

2. *Timæus*, Siciliensis, historiam scripsit universam et seorsim bella Pyrrhi regis, vixitque circa annum U. C. 480; jam de eo mentio fit c. 16. Vid. Orat. II, 14; Dionys. Hal. I, 6.

quam verbis volucre atque incitatum; quali est[3] nunc Asia tota; nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum; in quo fuit Æschylus Cnidius, et meus æqualis Milesius Æschines. In iis erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat. Hæc autem (ut dixi) genera dicendi aptiora sunt adolescentibus; in senibus gravitatem non habent. Itaque Hortensius, utroque genere florens, clamores faciebat adolescens. Habebat enim et Menecclium illud studium crebrarum venustarumque sententiarum : in quibus, ut in illo Græco, sic in hoc, erant quædam magis venustæ dulcesque sententiæ, quam aut necessariæ, aut interdum utiles. Et erat oratio quum incitata et vibrans, tum etiam accurata et polita. Non probabantur[4] hæc senibus. Sæpe videbam quum irridentem, tum etiam irascentem et stomachantem Philippum; sed mirabantur adolescentes, multitudo movebatur. Erat[5] excellens judicio vulgi, et facile primas tenebat adolescens. Etsi enim genus illud dicendi auctoritatis habebat parum, tamen aptum esse ætati videbatur; et certe, quod et ingenii[6] quædam forma lucebat, et exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta comprehensio, summam hominum admirationem excitabat.

3. *Quali est.* Seh. *qualis est.* Nonnullí *quale est.*

4. *Non probabantur hæc senibus.* Sic dedi pro *probantur*, quod manifeste vitiosum erat. Non in genere, quid senibus displiceat, dicere voluit, sed quid tum senserint, et præcedit *erat :* sequitur, exempli causa, *sæpe videbam :* contrarium est «sed mirabantur adolescentes ». Res est ita evidens, ut mirer, tamdiu hoc intactum mansisse. Ern. — Cui Schütz. assentitur, et quem nos etiam sequuti sumus.

5. *Erat excellens. . . adolescens.* Hæc Schützius uncis inclusit, ut interpolata.

6. *Quod et ingenii q. f. lucebat, et exercitatione perfecta erat, verborumque adstricta compr.* Schützius emendat : « quod ingenii q. f. lucebat, exercitatione perfecta, eratque verborum adstricta compr. » Sic collegit ex codd. Guelf. in quibus 1 et 2 omittitur *et* ante *ingenii*, in 2 legitur

Sed, quum jam honores, et illa senior auctoritas gravius quiddam requireret, remanebat idem, nec decebat idem; quodque exercitationem studiumque dimiserat, quod in eo fuerat acerrimum, concinnitas illa crebritasque sententiarum pristina manebat, sed ea vestitu illo orationis, quo consueverat, ornata non erat. Hoc tibi ille, Brute, minus fortasse placuit, quam placuisset, si illum flagrantem studio, et florentem facultate[7], audire potuisses.

XCVI. (xcvi.) — Tum Brutus, Ego vero, inquit, et ista, quæ dicis, video qualia sint, et Hortensium magnum oratorem semper putavi, maximeque probavi pro Messalla dicentem[1], quum tu abfuisti. — Sic ferunt, inquam, idque declarat totidem, quot dixit, ut aiunt, scripta verbis oratio. Ergo ille a Crasso consule et Scævola[2] usque ad Paullum et Marcellum consules floruit; nos in eodem cursu fuimus a Sulla dictatore ad eosdem fere consules. Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo est, nostra publico. — Melius, quæso, ominare, inquit Brutus. — Sit sane ut vis, inquam; et id non tam mea causa, quam tua; sed fortunatus illius exitus, qui ea non vidit quum fierent, quæ providit futura. Sæpe enim inter nos impendentes casus deflevimus, quum belli civilis causas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus. Sed illum videtur

« verborum eratque adstricta, etc. »

7. *Et florentem facultate.* Quia dixit umquam « florere facultate », et sic nude? Cicero videtur scripsisse, « florentem ætate ». Nam refertur totum hoc ad præcedentia, i. e. ad juvenilem ætatem ejus et studium exercendi. Ern. — Cui J. V. L. non assentitur.

XCVI. 1. *Pro Messalla dicentem.* Hic Messalla, qui consul fuerat anno 700, ambitus accusatus est, et ab Hortensio defensus, dum Cicero in Cilicia *proconsul* esset. Vid. Epp. Fam. VIII, 2 et 4.

2. *Crasso cons. et Scævola.* Scilic. anno 658. Paullus et Marcellus fuere coss. anno 703.

felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quæ consequutæ sunt, morte vindicasse[3].

(XCVII.) Nos autem, Brute, quoniam post Hortensii, clarissimi oratoris, mortem orbæ eloquentiæ quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam, septam liberali custodia; et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus, tueamurque, ut adultam virginem, caste, et ab amatorum[4] impetu, quantum possumus, prohibeamus. Equidem, etsi doleo, me in vitam paullo serius, tamquam in viam, ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc reipublicæ noctem incidisse: tamen ea consolatione[5] sustentor, quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis literis; quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quæ de me[6], etiam me tacente, ipsa loquerentur, mortuoque, viverent; quæ, si recte esset[7]; salute reipublicæ, sin secus, interitu ipso, testimonium meorum de republica consiliorum darent.

XCVII. Sed in te intuens, Brute, doleo; cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem[1], transversa incurrit misera fortuna reipubli-

3. *Felicitas ipsius... morte vindicasse.* Eamdem jam sententiam expressit supra cap. 1, et de Orat. III, 2 et 3. Hunc nostri locum imitatus est Tacitus in perorat. vitæ Agricolæ.

4. *Amatorum.* Sine dubio hoc verum est, quod placuit Victorio, Grutero, Lamb. et Manut. pro vulg. *armatorum*: ante dixit *procos* impudentes. Quid hic *armati*, in adulta et casta virgine tuenda. Ern. — Cui Sch. assentitor.

5. *Tamen ea cons. sustentor*, etc. De hoc loco olim in edd. perturbato, vid. Bodæus ad Pand. p. m. 57. Ern.

6. *Quæ de me, etiam me tacente, ipsa loq. mortuoque, viverent.* Illud alterum *me* suo loco sublatum, post *mortuoque* poni velim. Nam ibi inepte redundat, hic incommode abest. Corradus etiam commemorat pro varia lectione *etiam tacente*, sine *me*, nescio unde. Ern. — Quem Schützius sequutus est.

7. *Si recte esset.* Si feliciter se res haberent.

XCVII. 1. *Quasi quadrigis vehentem.* Lambin. maluit *volantem*, quem jure reprehendit Rubenius, Electorum lib. I, c. 4. Grut.

cæ; hic me dolor angit[2], hæc me[3] cura sollicitat, et hunc mecum, socium ejusdem et amoris et judicii. Tibi favemus; te tua frui virtute cupimus; tibi optamus eam rempublicam, in qua duorum generum amplissimorum[4] renovare memoriam atque augere possis. Tuum enim forum, tuum erat illud curriculum; tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuisses exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiæ laude junxisses[5]. Ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse republica careas, et illa te. Tu tamen, etsi cursum ingenii tui, Brute, premit hæc importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis, et effice id, quod jam propemodum, vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum. Nec enim decet te, ornatum uberrimis artibus, quas quum domo haurire non posses, arcessivisti ex urbe ea, quæ domus est semper habita doctrinæ, numerari in vulgo patronorum. Nam quid te exercuit Pammenes, vir longe eloquentissimus Græciæ? quid illa vetus academia, atque ejus heres Aristus, hospes et fami-

2. *Hic me dolor angit.* Sic Lambinus et Corradus corrigunt vulg. *tangit*, rectissime. Etsi recte etiam dolor dicitur *tangere* (vid. ad Verr. II, 34, ubi male *tangebatur* mutatum erat in *angebatur*), tamen hoc loco dici non potest, quia dolor dicitur pro re quæ dolet: debebat enim proprie dicere, *hoc* dolet, *hoc* sollicitat: sed expressit per substantiva doloris et curæ: hic ergo non poterat dicere dolor *tangit*, sed *angit*. Ern. — Ceterum neutrum horum in Palatino Gruter. comparet, in quo est: « hic me dolor, hæc me cura sollicitat, et hunc mecum, etc. »

3. *Hæc me cura s.* Gu. 1, 2, *hæc cura soll.* sine *me*. Sch.

4. *Duorum generum amplissimorum.* Brutus e patre Juniæ gentis erat, a matre gentis Serviliæ, interque majores suos habebat Brutum illum qui Tarquinios ejecit, et Servilium Ahalam, a quo Spurius Melius occisus est.

5. *Cum summa eloquentiæ laude junxisses.* Guelf. 1, 2, « cum summa eloquentia devinxisses ». Sch.

liaris meus, si quidem similes majoris partis oratorum futuri sumus? Nonne cernimus, vix singulis ætatibus binos oratores laudabiles constitisse [6]? Galba fuit inter tot æquales unus excellens, cui, quemadmodum accepimus, et Cato cedebat senior, et qui temporibus illis ætate inferiores fuerunt, Lepidus postea, deinde Carbo : nam Gracchi in concionibus multo faciliore et liberiore genere dicendi; quorum tamen ipsorum ad ætatem laus eloquentiæ perfecta nondum fuit : Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpicius, Hortensius : nihil dico amplius; tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, * si operosa est concursatio magis opportunorum [7], ***

6. *Singulis ... binos ... constitisse.* Eleganter : e rationibus ducta forma loquendi Vid. Clav. Frustra igitur, non assequutus elegantiam verbi Rivius, malebat *exstitisse*. Ern.—Cui J.V. L. assentitur.

7. *Si operosa est concursatio magis opportunorum.* Hic multi multa deesse, aliqui aliquid, nonnulli nonnihil, omnes fere locum mendosum esse putant : nos, ut aliquid concedamus, multa tamen non credimus deesse, quum facta et dicta sint omnia, quibus dialogi texi et finiri soleant, et Tacit. in dial. de Orat. hanc extremam partem fuisse doceat. Fieri igitur potest, ut aliquod verbum desit, aut, quæ sunt hic verba, ita sunt mendosa, ut sensus elici non possit; etsi videtur hoc modo elici posse : tantum dico, si mihi accidisset, ut numerarer in multis, *me* non magni hoc studium dicendi facturum fuisse, si tamen operosa est concursatio magis opportunorum ita, ut difficile sit cognoscere, qui sint oratores magis opportuni : quum quivis id possit intelligere, et ita judicare, an ego in multis sim numerandus an inter paucos collocandus. Ἀποσιώπησις vero post verbum *multis*, loco et dedita opera facta est, ne, si totam rem protulisset, arroganter loqui videretur. Itaque reliquit nobis intelligendum, aut addendum, « non magni facturum », aut tale quid. Quod autem pertineat ad illa verba *si operosa*, video etiam legi posse *etsi operosa*, vel *sed operosa*, præsertim quum Cicero hac particula *sed*, post ἀποσιώπησιν frequenter utatur. Corr. — Etsi pauca tantum hic intercidisse videntur, tamen, quæ fuerit eorum sententia, intelligi haud potest. Nec satis constat, utrum genuina sint ultima verba, an corrupta. Sch.

M. T. CICERONIS

AD M. BRUTUM

ORATOR

ARGUMENTUM

E SCHUTZII EDITIONE DESUMPTUM.

Quum sæpius Cicero a M. Bruto rogatus esset, ut quale ei videretur eloquentiæ genus, cui nihil addi posset, exponeret, hoc libro id quod ille rogaverat efficiendum suscepit, quamquam, ut in proœmio dicit, verendum erat, ne perfecti oratoris imagine retardaret studia multorum, qui desperatione debilitati experiri nollent, quod se assequi posse diffiderent; ac ne in summo oratore fingendo talem informaret, qualis fortasse nemo fuisset. Sed utramque dubitationem sic tollit, ut doceat, primum nec quod sit optimum in artibus desperandum esse, et in præstantibus rebus magna esse ea quæ sint optimis proxima; deinde hic non quæri, quis fuerit orator, sed quid sit illud in arte dicendi, quo nihil possit esse præstantius. Et quoniam hæc ingressio videri poterat e media philosophia repetita, fatetur, se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex philosophiæ spatiis exstitisse, omninoque sine philosophia negat effici posse, quem quærat, eloquentem, cap. 1-5. Summa autem totius disputationis huc redit, ut doceatur, oratorem perfectum eum esse, qui trium illorum generum dicendi vim consequutus sit, ut parva submisse, modica temperate, magna graviter dicere possit. Peræque autem in his omnibus floruisse perpaucos, multosque fuisse, qui atticum dicendi genus in tenuitate et jejunitate quadam ponerent, quum potius attice dicere nihil aliud sit, quam in omni genere dicendi id quod insolens aut ineptum sit, vitare, cap. 6-9.

Præmissa igitur brevi generis epidictici descriptione, cum Isocratis laudibus conjuncta (cap. 11, 12) tria potissimum videnda oratori docet, quid, et quo quidque loco, et quomodo dicat. Ac duo prima breviter perstringit, cap. 13-15. De modo autem dicendi fusius disserit, eumque actione, cap. 17, 18, et elocutione contineri docet. Hanc elocutionem oratoris primum sejungit ab oratione philosophorum, sophistarum, cap. 19, historicorum et poetarum, cap. 20; deinde eloquentem esse docet eum, qui in foro causisque civilibus ita dicat, ut probet,

ut delectet, ut flectat. Hujus eloquentiæ fundamentum esse sapientiam, sine qua orator, quid deceat in sententiis et in verbis, quo nihil sit majus ac difficilius, intelligere non possit, cap. 21, 22. Tum trium illorum dicendi generum notam et formulam constituit, et quomodo orator in genere tenui, cap. 23-26, in medio, cap. 27, et in gravi, cap. 28, decore versetur, exponit. Hanc autem varietatem sæpe in eadem oratione temperandam esse docet, quidque ipse in ea re assequtus sit, enarrat, cap. 29-31. Neque vero perfecte eloquentis esse eam tantum facultatem habere, quæ sit ejus propria, sed potius eum dialecticis instructum omniumque philosophiæ partium gnarum esse debere, ac ne juris quidem civilis et historiæ ignarum, c. 32-34.

Sic instructum venturum ad causas, quarum generibus cognitis semper ad id quod deceat accommodaturum orationem; in primis autem quum in universi generis quæstione, tum in amplificatione recte tractanda versaturum, cap. 35-37. Duo autem esse, quæ bene tractata admirabilem eloquentiam faciant; alterum quod Græci ἠθικὸν vocent, alterum παθητικὸν, cap. 38. Præterea magnum orationi ornamentum afferre figuras verborum et sententiarum, cap. 39, 40.

Sed hæc nisi collocata et structa satis placere non posse. Qua de re dicturus primum non indignum esse sua persona ista docere demonstrat. Deinde recta collocatio verborum quæ sit ostendit; in qua primum esse curandum, ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis, eaque sint quam suavissimis vocibus, cap. 44-48; deinde ut forma ipsa concinnitasque verborum orbem suum conficiat, cap. 49; denique ut comprehensio, h. e. periodus, apte et numerose cadat, cap. 50 sqq. Hic primum universe disputatur adversus eos, qui numerum oratorium reprehendebant, cap. 50, 51. Tum de numeri oratorii origine, cap. 51, causa, cap. 53, natura, cap. 54, et usu, 61 sqq. disseritur. Ac natura quidem ejus fusius explicatur, cap. 54-60, ubi primum demonstratur, esse in oratione numerum quemdam, cap. 55. Deinde hi numeri poeticine sint an ex alio quodam genere, quæritur, cap. 56, tum qui maxime cadant in orationem aptam numeri, cap. 57. Deinde numeri cum quibus miscendi sint, et quibus generibus sint quique accommodatissimi, cap. 58. Denique totone in ambitu verborum

numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis, cap. 59.

Postremo illa capita, quæ pertinent ad naturam numeri oratorii intelligendam, brevius repetuntur, cap. 60. Usus autem numeri oratorii sic explicatur, ut primum in causis forensibus non semper, ut in epidictico genere, eo utendum esse doceatur, cap. 62; deinde quo loco sit adhibenda numerosa oratio et quamdiu retinenda, cap. 63; tum quot modis mutentur comprehensiones et clausulæ, cap. 64; deinde qui numerus ex compositione et genere concinnitatis consequatur, cap. 65, et quomodo partim in incisis, partim in membris elucet, cap. 66, 67. Ultimo loco utilitas numeri oratorii exponitur, cap. 68-71.

Brevis epilogus totam disputationem Bruti judicio submittit, cap. 72.

M. T. CICERONIS

AD M. BRUTUM

ORATOR.

I. (I.) Utrum difficilius aut majus esset negare tibi sæpius idem roganti, an efficere id, quod rogares, diu multumque, Brute, dubitavi[1]. Nam et negare ei, quem unice diligerem, cuique me carissimum esse sentirem, præsertim et justa petenti, et præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur; et suscipere tantam rem, quantam non modo facultate consequi difficile esset, sed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar esse ejus, qui vereretur reprehensionem doctorum atque prudentium. Quid enim est majus, quam, quum tanta sit inter oratores bonos dissimilitudo, judicare, quæ sit optima species, et quasi figura dicendi? Quod, quoniam me sæpius rogas, aggrediar, non tam perficiundi[2] spe, quam experiundi voluntate. Malo enim, quum studio tuo sim obsequutus, desiderari a te prudentiam meam, quam, si id non fecerim, benivolentiam.

(II.) Quæris igitur, idque jam sæpius, quod eloquentiæ genus probem maxime, et quale mihi videatur illud, cui nihil addi possit, quod ego summum et

I. 1. *Brute, dubitavi.* Hanc clausulam Quintilianus reprehendit, quamquam numero similis est usitatissimæ clausulæ: *esse videatur.* J. V. L.

2. *Perficiundi... experiundi.* Sic ed. pr. et quatuor codd. nostri. Vulg. *perficiendi.* Habet jam Gruterus *experiundi.* J. V. L.

perfectissimum judicem. In quo vereor, ne, si id, quod vis, effecero, eumque oratorem, quem quæris, expressero, tardem studia multorum, qui, desperatione debilitati, experiri id nolent[3], quod se assequi posse diffidant. Sed par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quod si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenii vis forte deficiet, aut minus[4] instructus erit magnarum artium disciplinis: teneat tamen eum cursum, quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poetis[5], non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar), aut Archilocho[6], aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis; nec ipse Aristoteles, admirabili quadam scientia et copia, ceterorum studia restinxit.

II. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt[1], sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Ialysi[2], quem Rhodi vidimus,

3. *Experiri id nolent.* Ernest. delevit *id*, quod ab Aldo et Junt. additum est: putat etiam melius esse *nolint*, quam *nolent*, sicque expressit ex MS V. Sic etiam habet Gu. 2.

4. *Aut minus instructus e.* Gœrenz. ad Acad. II, 25, suadet legere, « aut minus si inst. e. » et sic Schützius dedit.

5. *Nam in poetis.* Pall. tres, item Cujacii liber et Memmianus, *an in poetis*, et ita expressit Aldus Manutius Nepos, sive is fuit Victor Pisanus, qui hunc locum adornavit commentario. GAUT.

6. *Archilocho*, qui excelluit in iambis et satyricis carminibus.

II. 1. *Nec solum... deterriti non sunt, sed ne opifices quidem.* Negatio alias in hac forma, sequente *ne quidem* omittitur. Vid. Clav. in *non modo*: eamque delendam puto. ERNEST. — Schützius conj. *deducti* pro *deterriti*.

2. *Ialysi.* Hæc erat egregia tabula, qua Protogenes venatorem Rhodium expresserat. Dum huic tabulæ operam daret, a Demetrio rege Macedonum Rhodus obsessa est: et quum ad regem fuisset delatum Protogenem nihilominus operæ incumbere inter strepitum armorum in parte urbis jam occupata, Demetrius eum arcessivit, interrogavitque quomodo se inter hostes tutum arbitrari posset. Quia, respondit Protogenes, Rhodiis, non artibus ingenuis bellum intulisti. Quod

non potuerunt, aut Coæ Veneris[3] pulchritudinem imitari. Nec simulacro Jovis Olympii[4], aut Doryphori[5] statua deterriti, reliqui minus experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cujusque genere laus, ut, quum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.

In oratoribus vero[6], Græcis quidem, admirabile est, quantum inter omnes unus excellat. Attamen[7], quum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt. Quare non est, cur eorum, qui se studio eloquentiæ dediderunt, spes infringatur[8], aut languescat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est; et in præstantibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima.

(III.) Atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Non enim quæro, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse præstantius; quod in perpetuitate dicendi non sæpe, atque haud scio an umquam[9], in aliqua au-

responsum miratus princeps, pictorem suorum custodia cingi jussit, ne ab armatis turbaretur. Ialysi tabula Romam vecta est, ubi, in templo Pacis posita, flammis consumpta est. Vid. Plin. XXX, 10; Ælian. Var. Hist. XII, 41; Plut. in vita Demetrii; Cic. Epp. ad Att. II, 21; Carlo Dati, *Vite de' pittori antichi*, in Protogene. J. V. L.

3. *Coæ Veneris*. Erat Apellis opus.

4. *Jovis Olympii*. Ex Phidia, celeberrimo apud antiquos statuario, qui etiam pulcherrimum Minervæ signum effecerat. Quintil. XII, 10, dicit a Phidia deos melius expressos esse quam homines, illiusque operibus populorum in deos religionem augeri. J. V. L.

5. *Doryphori*. Signum Polycleti quo juvenem hastam manu gerentem expresserat. Vid. Plin. XXXIV, 8; Winkelmann. *Histoire de l'art*, VI, 2. J. V. L.

6. *Vero*. Schützius delet *vero* auctore Gœrenzio ad Cic. de Fin. I, 19. Gu. 2, *autem*.

7. *Attamen*. Schützius *ac tamen* cum Gu. 2, 3.

8. *Infringatur*. Codd. *infringat* vel *refringat*. J. V. L.

9. *An umquam*. Schützius cum Lamb. *an numquam*.

tem parte eluceat[10] aliquando, idem apud alios densius, apud alios fortasse rarius. Sed ego sic statuo, nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit[11], unde illud, ut ex ore[12] aliquo, quasi imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest; cogitatione[13] tantum, et mente complectimur. Itaque et Phidiæ simulacris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, et his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, quum faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.

III. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cujus ad cogitatam speciem[1]

10. *Eluceat*. Ernest. edidit *elucet*, quia hic conjunctivum ferre non poterat; quem tamen Schützius non sequutus est. — Iul. quæ perfectio fere numquam elucet in tota oratione, sed aliquando occurrit in aliqua parte orationis vel sæpius vel rarius.

11. *Quo non pulchrius id sit*. Methodum hic Platonicam ab Aristotelea diversam Tullius sequitur. Plato via sapientiæ altissimas rerum causas investigat: ideas rerum perfectissimas mente exprimit, et ab universalibus, ut aiunt, ad singularia descendit. Aristoteles via scientiæ proximas rerum causas inquirit, et a singularibus ad universalia progreditur. De perfecto oratore si disserendum sit Aristoteleo more, videndum quid in singulis oratoribus sit eximium, et collatis singulorum virtutibus, exprimenda generatim oratoris imago. At si dicendum sit more Platonico, perfectæ eloquentiæ species cogitatione comprehendenda, ad quam singulos oratores dirigamus. Paust.

12. *Ut ex ore aliquo, quasi*, etc. Sicut ex aspectu vultu quodam pulcherrimo.

13. *Cogitatione*. Schütz. *quod*, *cogitatione*.

III. 1. *Speciem*. Sic Cicero vertit vocem ἰδέαν. Festus ait: « speciem quam nos dicimus, εἶδος Græci dixerunt, Plato quidem ideam ». Et ipse Cicer. Acad. I, 8: « hanc illi ἰδέαν appellabant, jam a Platone ita nominatam; nos recte speciem possumus dicere ». Attamen Top. cap. 8, idem Cic. vocabulum *speciem* rejiciendum putat, quia male diceretur in plurali *specierum*, *speciebus*, atque esse anteponendum vocabulum *forma*, quo sæpius utitur.

imitando referuntur ea, quæ sub oculos ipsa[2] cadunt: sic perfectæ eloquentiæ speciem animo videmus, effigiem auribus quærimus.

Has rerum formas appellat ideas[3] ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister, Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri; cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu. Quidquid est igitur[4], de quo ratione et via disputetur, id est ad ultimam sui generis formam speciemque redigendum.

(IV.) Ac video, hanc primam ingressionem meam non ex oratoris[5] disputationibus ductam, sed e media philosophia[6] repetitam, et eam quidem quum antiquam[7], tum subobscuram, aut reprehensionis aliquid,

2. *Quæ sub oculos ipsa cadunt*. Sic legendum ostendit Petrus Victorius, Var. Lect. lib. XI, cap. 14: prius cusi *non cadunt*. Supra quoque ubi habemos « et in præstantibus rebus », et Victorii membranæ et Gallicanæ necnon Palatinæ præferunt « et in præsentibus rebus », quod habet quo se defendat. GAUT.

3. *Appellat ideas*. Idea Platonica aliud nihil est, nisi rei naturalis exemplum: ut enim prudens artifex ex imagine, quam animo informavit, opus dirigit et efficit: ita deus, cujus infinita est providentia, ex specie, quæ divinæ menti insidet, omnia molitur. Hæc porro species est idea, quæ non gignitur, sed semper est, ac ratione et intelligentia continetur. Quo propius ad illam ideam accedit opus aliquod, eo perfectius censetur. Exempli gratia, pulchritudo in corporibus est magis expressa ideæ similitudo. Ejusmodi rerum ideæ utrum animis hominum innatæ sint, an adventitiæ, et usu acquirendæ disceptant Platonici. Vide Platonem in Parmenide, in Timæo, de Rep. lib. X, etc. PAUST. — Vid. D. August. liber octog. trium Quæst. Q. 46, et Tract. 23 in Joann.

4. *Quidquid est igitur*. Hoc cohæret cum illo: « sed ego sic statuo », estque inde conclusio: quia in omni genere rerum aliquid est summum atque perfectum, quod non reperitur in singulis exemplis: sequitur, id quod velimus accurate explicare, esse ad illius summæ perfectionis exemplum revocandum. ERN.

5. *Ex oratoris*. Sch. dat *oratoriis*, auctoribus Strebæo et Gronovio.

6. *Sed e media philosophia*. Mediam philosophiam dicit illam secretissimam, quia secretiora sunt ea quæ rebus in mediis latent. STREB.

7. *Quum antiquam, tum subobscuram*. Sch. dat *tum... tum*. *Antiquam*, accipe Platonicam. *Subobscuram*, quod idearum species non cadit in sensum, sed in mentem et cogitationem. STR.

aut certe admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineant ad ea, quæ quærimus; quibus satisfaciet res ipsa cognita, ut non sine causa alte repetita videatur: aut reprehendent, quod inusitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autem et me sæpe nova videri dicere intelligo, quum pervetera dicam, sed inaudita plerisque; et fateor, me oratorem, si modo sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exstitisse[8]. Illa enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia: sed et hujus et aliorum philosophorum disputationibus et exagitatus[9] maxime orator est, et adjutus. Omnis enim ubertas, et quasi silva dicendi[10], ducta ab illis est, nec satis tamen instructa ad forenses causas: quas, ut illi ipsi dicere solebant, agrestioribus musis reliquerunt. Sic eloquentia hæc forensis, spreta a philosophis et repudiata, multis quidem illa adjumentis magnisque caruit; sed tamen ornata verbis atque sententiis, jacta-

8. *Sed ex Academiæ spatiis exstitisse.* Eamdem expressit sententiam Horatius, Art. Poet. vs. 309: «Scribendi recte sapere est et principium et fons. Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ». Hunc nostri locum citavit Quint. XII, 2, et Tacit. Dial. de Orat. cap. 32. Vid. Tuscul. II, 3; Nat. Deor. II, 67.

9. *Sed et hujus... exagitatus... et adjutus.* Vertit J. V. L. «ses œuvres et celles des autres philosophes, où l'orateur est si maltraité, lui offrent d'utiles exemples». Colinna int. putat verbum *exagitatus* eodem sensu quo *adjutus* explicative poni, immemor sane plurimorum locorum qui lucem huic præbent et satis declarant ibi *exagitatus* poni pro *lacessitus*. Cf. de Orat. III, 16: «Inventi sunt, qui... hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent». Infra hoc ipso in opere, cap. 8: «Quum etiam Demosthenes exagitator ut putidus». Cap. 44: «quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scævola»; et cap. 13: «Plato, exagitator omnium rhetorum»; et de Orat. I, 11: «In hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irridendis ipse esse orator summus videbatur». J. V. L.

10. *Silva dicendi.* Sic de Orat. III, 26: «Silva rerum ac sententiarum comparanda est». *Silva* respondet græco ὕλη.

tionem habuit in populo, nec paucorum judicium reprehensionemque pertimuit. Ita et doctis eloquentia popularis, et disertis elegans doctrina defuit.

IV. (v.) Positum sit igitur in primis (quod post magis intelligetur), sine philosophia non posse effici, quem quærimus, eloquentem : non ut in ea tamen omnia sint, sed ut sic adjuvet, ut palæstra histrionem [1]; parva enim magnis sæpe rectissime conferuntur. Nam nec latius, nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phædro Platonis [2] hoc Periclem præstitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ [3] physici fuerit auditor : a quo censet, eum, quum alia præclara quædam et magnifica didicisset [4], uberem et fœcundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiæ maximum), quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest : cujus ex [5] epistolis

IV. 1. *Ut palæstra histrionem.* Histriones sunt actores fabularum, qui mitti solebant ad palæstritas. Et id Quintilianus fieri suadet, ut exercitatione palæstræ membra decentius et corpus moverent, aptiusque gestum componerent : cujus exactores severos Atheniensea fuisse constat, atque Romanos, recepta celebritate et magnificentia ludorum scenicorum. Ut igitur in scena videntes histrionem prudentiores, operamne palæstræ dederit, intelligunt : ita qui dicentem audiunt oratorem, sentiunt quantum disciplina et eruditione profecerit : utque plus habet histrio quam palæstrita, sic summus orator, quam philosophus ille cui popularis eloquentia deest. Strebæ.

2. *In Phædro Platonis.* Cap. 120, pag. 326, ed. Heindorf. Ille ductus e studiis philosophicis color apparet in ea oratione Periclis, qua laudat defunctos in prælio viros, apud Thucydidem.

3. *Anaxagoræ.* Primus hic philosophiam Athenis docuit : adeo sublimis erat illius doctrina, ut ipse νοῦς (*l'esprit*) cognominaretur. Discipulos habuit Socratem, Euripidem, Periclem.

4. *Didicisset, uberem.* Forte legendum : « didicisse, tum uberem ». Sch.

5. *Cujus ex epistolis.* Solum supersunt sex Demosthenis epistolæ : in quinta ad Heracleodorum dicit indignum fere illo qui Platonem magistrum audiverit non abhorrere a mendacio, nec se bonum erga omnes gerere : μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθὸν εἶναι, οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι.

intelligi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus; nec judicare, quæ vera, quæ falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de natura rerum, cujus cognitio magnam orationis[6] suppeditat copiam? de vita, de officiis, de virtute, de moribus; sine multa earum[7] ipsarum rerum disciplina, aut dici, aut intelligi[8] potest?

V. Ad has tot tantasque res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia, quæ sola tum quidem tradebantur ab iis, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, ut veram illam et absolutam eloquentiam nemo consequatur, quod alia intelligendi, alia dicendi disciplina est; et ab aliis, rerum, ab aliis, verborum doctrina quæritur. Itaque M. Antonius[1], cui vel primas eloquentiæ patrum nostrorum tribuebat ætas, vir natura peracutus et prudens, in eo libro, quem unum reliquit, disertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem. Insidebat videlicet in ejus mente species eloquentiæ, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit), multa et in se et in aliis desiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat. Quod si ille nec se, nec L. Crassum eloquentem puta-

6. *Magnam orationis.* Ed. Ven. Med. Asc. *oratoris :* videntur dare voluisse *oratori :* quod admodum placet : estque frequens utriusque verbi confusio, cujus jam exempla vidimus. Ern. — Schützius dedit « magnam orationi ».

7. *Sine multa earum.* Edd. pr. *sine multarum rerum disc.*

8. *Aut intelligi potest.* Edd. Ven. Med. Junt. habent *posse ;* quasi pendeat a *quid dicam.* Forte in principio ante *sine* excidit *an*, absorptum ab ultima syllaba antecedentis verbi. Ern. — Omnes codd. nostri *posse.* J. V. L.

V. 1. *M. Antonius.* De eo vid. Brut. c. 38 sqq.

vit, habuit profecto comprehensam animo quamdam formam eloquentiæ, cui quoniam nihil deerat, eos, quibus aliquid aut plura deerant, in eam formam non poterat includere.

Investigemus hunc igitur, Brute, si possumus, quem numquam vidit Antonius, aut qui omnino nullus umquam fuit: quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix deo concessum esse dicebat; at, qualis esse debeat, poterimus fortasse dicere.

VI. (vi.) Tria sunt [1] omnino genera dicendi, quibus in singulis quidam floruerunt; peræque autem (id quod volumus) perpauci in omnibus. Nam et grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et sententiarum gravitate [2], et majestate verborum, vehementes, varii, copiosi, graves, ad permovendos et convertendos animos instructi et parati: quod ipsum [3] alii aspera, tristi, horrida oratione, neque perfecta, neque conclusa; alii lævi, et instructa [4], et terminata.

Et contra tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora, facientes, subtili quadam et

VI. 1. *Tria sunt omnino genera dicendi.* Hæc est Græcorum doctrina; qui triplicem dicendi characterem statuunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον, uberem, gracilem, mediocrem. Uberi dignitas est et amplitudo: gracili venustas et subtilitas: medius in confinio est, utriusque modi particeps. His singulis virtutibus vitia agnata sunt. Sufflati atque tumidi fallunt pro uberibus, squalentes et jejuni dicti pro gracilibus, incerti et ambigui pro mediocribus. Gellius, lib. VII, c. 14: « Grandiloquus est Cicero in orat. pro Milone, tenuis et acutus quum dicit pro Cæcina, temperatus in oratione pro lege Manilia ». Paust.

2. *Gravitate.* Schützius dat *granditate*, quia statim sequitur *graves.* Infra cap. 9: « amplum atque grandem ».

3. *Quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione.* Sic omnes libri nostri. Schützius post Bipont. dat *in quo ipso.*

4. *Alii lævi, et instructa.* Ernest. corrigit *structa.* Vulgatum *instructa*, inquit, e vicinia huc translatum est, nec ullo modo hic locum habet: oratio *structa* apta est h. l. de qua vid. Clav. quæ opponitur tristi et horridæ orationi. Ern. — Schützius Ern. sequutus est. Lallem. dat « leni et inst. »

pressa oratione limati : in eodemque genere alii callidi, sed impoliti, et consulto rudium similes et imperitorum; alii in eadem jejunitate concinniores, id est, faceti, florentes etiam, et leviter ornati.

Est autem quidam interjectus, inter hos medius, et quasi temperatus, nec acumine posteriorum, nec fulmine [5] utens superiorum, ut cinnus amborum [6], in neutro excellens, utriusque particeps, vel utriusque (si verum quærimus) potius expers. Isque uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit, nihil afferens præter facilitatem et æquabilitatem; aut addit aliquos, ut in corona, toros [7], omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit.

VII. (VII.) Horum singulorum generum quicumque vim singuli [1] consequuti sunt, magnum in oratoribus nomen habuerunt; sed quærendum est, satisne id, quod volumus, effecerint. Videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis ora-

5. *Fulmine*. Ern. dat *flumine*. Hoc, inquit, aptius rei: et sic est ap. Nonium, e quo quum *ut cinnus amborum*, quod sequitur, receptum sit, quare non et *flumine* recipiatur. Sed Ernest. in eo reprehenditur a Schützio et J. V. L.

6. *Ut cinnus amborum*. Vetus lectio librorum est *vicinus amborum*, pro quo ex admonitu Rivii receptum est *ut cinnus* e Nonio. Ceterum etsi *ut* possum concoquere : nam et cap. 24 est *sumere*, *ut mutuo* : tamen malim h. l. *velut cinnus*; et fortasse *vicinus* natus est e compendiis *vlcinus*. Ern. — Schütz. restituit *vicinus*, monente Schneidero, idque confirmante Gell. N. A. VII, 14.

7. *Ut in corona*, *toros*. Vertit J. V. L. « les ornements ont peu de relief, comme ceux d'une couronne ». Torus, inquit, gallice valet, *tore*, *moulure*, *astragale* : sed hæc verba minime coronæ conveniunt. Colinus vertit *semblable aux bas fleurons*. Alii *toros* credunt ibi notare *vittas* (bandelettes), atque hic agi de *coronis lemniscatis*. Nos sequuti sumus interpretationem Paschalii, de Coronis, II, 12. — Volubile genus orationis et rotundum ut corona, suscipit ad ornamentum partes eminentiores, quasi toros, ne tamquam politum marmor, varietatis jucunditate careat. Strab.

VII. 1. *Singuli*. Vulgatum erat *singulis*, quod Ern. delendum putabat, quia nihil aliud esse posset quam in singulis generibus, quod jam ante dictum erat. Schutzius correxit *singuli*, sequente J. V. L.

toris simulacrum reperire possemus! esset egregium non quærere externa, domesticis esse contentos. Sed ego idem, qui in illo sermone nostro, qui est expositus in Bruto[2], multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios, vel quod amarem meos, recordor longe omnibus[3] unum anteferre Demosthenem, qui vim accommodarit ad eam, quam sentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipse cognoverim. Hoc nec gravior exstitit quisquam, nec callidior, nec temperatior. Itaque nobis monendi sunt ii, quorum sermo imperitus increbruit, qui aut dici se desiderant atticos[4], aut ipsi attice volunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne[5] Athenas quidem ipsas magis credo fuisse atticas. Quid enim sit atticum, discant, eloquentiamque ipsius viribus, non imbecillitate sua, metiantur. Nunc enim tantum quisque laudat, quantum se posse sperat imitari. Sed tamen eos studio optimo, judicio minus firmo præditos, docere, quæ sit propria laus atticorum, non alienum puto.

VIII. (VIII.) Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia[1]. Omnes enim, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et accommodant. Itaque Caria, et Phrygia, et Mysia[2], quod minime politæ, minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quod-

2. *In Bruto.* Cap. 9, ubi plura de Demosthene.

3. *Recordor longe omnibus.* Vulgata « recordor me longe omnibus » : sed pronomen illud non est in Pall. aut Gallicanis. GRUT.

4. *Atticos.* De his qui atticum genus affectant, vid. Brut. cap. 82 sqq. et Tusc. II, 1.

5. *Ne Athenas q. Ne* male abest Gu. 1, ed. Omnib. Vict. SCH.

VIII. 1. *Prudentia.* Id est, quod gallice dicimus *le goût*, vel sensu latiore, *les lumières.*

2. *Caria, et Phrygia, et Mysia.* Hæ partes erant Asiæ Minoris, quæ nunc Natoliæ nomine comprehenduntur.

dam, et tamquam adipale[3] dictionis genus, quod eorum vicini, non ita lato[4] interjecto mari, Rhodii numquam probaverunt, Græci[5] multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt : quorum semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum, audire, et elegans. Eorum religioni quum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. Itaque hic, quem præstitisse diximus ceteris, in illa pro Ctesiphonte oratione longe optima, summissus[6] a primo; deinde, dum de legibus disputat, pressus; post sensim incedens[7], judices ut vidit ardentes, in reliquis exsultavit audacius. Ac tamen in hoc ipso, diligenter examinante[8] verborum omnium pondera, reprehendit Æschines quædam[9], et exagitat; illudensque, dura[10], odiosa, intolerabilia esse dicit. Quin etiam quærit ab ipso, quum quidem eum belluam appellet, utrum illa verba, an portenta sint : ut Æschini ne Demosthenes

3. *Adipale.* Sic Gu 1, 2, Omnib. edd. vett. omnes MSS a J. V. L. collati; et probavit Strebæus, Schneiderus, et Ern. ille scilicet, quia ad *genus* debet pertinere verbum, ut alterum *opimum*. Lamb. *adipatum*. Vulgo *adipatæ*.

4. *Non ita lato.* Decem fere leucis gallicis Rhodus distat a litoribus Cariæ. Prust.

5. *Græci.* Sch. *Græcia* cum Gu. 2.

6. *Summissus a primo; deinde... pressus.* Sic sine hæsitatione edidimus pro *summissius* et *pressius*, quod latinitas non patitur, et natum est ex ultimo *audacius*, cui hæc sunt per inscitiam conformata, quum nihil habeant conjunctionis cum verbo *exsultavit*. Ern.

7. *Incedens, judices ut v. a. Incendens* Gu. 2, Ox. ψ, unde Schutzius dedit « incendens judices, ut v. a. » *Incendens* est et in quatuor MSS a J. V. L. collatis.

8. *In hoc ipso... examinante.* Sic edd. pr. et Lips. ex quo post male factum *examinans :* idque a Rivio in *examinante* correctum, velut per conjecturam. Et ille habebat in manibus ed. Rom. et Ven. quæ *examinante* habent. Ergo aut se jactavit temere, aut h. l. non inspexit libros. Ern.

9. *Quædam.* Nempe tropica verba, ut ἀμπελουργεῖν, ἀνατέμνειν τὰ κλήματα, ὑποτέμνειν νεῦρα, φορμογραφεῖν, βελόνας διείρειν. Ern.

10. *Dura.* Sic ed. Rom. Lips. *dira* ceteræ edd. pr. quod melius respondet græco μιαρά. *Dura* esset idem quod *intolerabilia*. In exemplo ed. Ven. *dira* correctum est *dura*. Ern.

quidem videatur attice dicere. Facile est enim verbum aliquod ardens (ut ita dicam) notare, idque restinctis jam animorum incendiis irridere. Itaque se purgans jocatur Demosthenes : negat, in eo positas esse fortunas Græciæ, « hoc an illo verbo usus sit[11], huc an illuc manum porrexerit ». Quonam igitur modo audiretur Mysus aut Phryx Athenis, quum etiam Demosthenes exagitetur ut putidus. Quum vero inclinata ululantique voce, more Asiatico, canere cœpisset, quis eum ferret? aut quis potius non juberet auferri?

IX. (IX.) Ad Atticorum igitur aures teretes[1] et religiosas qui se accommodant, ii sunt existimandi attice dicere. Quorum genera plura sunt; hi unum modo quale sit[2], suspicantur. Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum attice dicere. Errant, quod solum; quod attice, non falluntur. Istorum enim judicio si solum illud est atticum, ne Pericles quidem dixit attice, cui

11. *Hoc an illo verbo usus sit.* Sic dedit ante J. V. L. Schützius ex Ambrosio in Luc. II, cap. 2, qui Ciceronis hunc locum laudat, ut expressimus. — Vetus et constans libb. lectio est *in hoc eum, huc an,* etc. sed nullius sensus. In ed. Vict. stella posita est. Camerarius ejecit *in hoc eum*, et alterum modo servavit. Ambrosius h. l. laudans dat « hoc an illo verbo usus sit », quo sensum bene, sed an sint ipsa Ciceronis verba, pro certo dici non potest. Quidam corrigunt *hoc an illud*, sc. dixerit, quod non displicet Victorio. Fr. Gryphius dedit « hoc an illud verbum dixerit », sine libris latinis, ut opinor, et tamen fideliter expressum est de græco Demosthenis de Coron. cap. 6 : εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διαλεχθείην. Itaque hoc sequutus sum, ut tamen sensus esset in textu. Ernest. — J. V. *Le Clerc* potius habet Ambrosium sequi.

IX. 1. *Aures teretes.* Hic Cicero *teretes aures*, sicut Horatius « os rotundum » : « Graiis dedit ore rotundo Musa loqui ». Acron interpretatur os perfectum. *Aures* ergo *teretes*, perfectæ, perpolitæ, delicatæ, quæque sonis asperioribus facillime læduntur. *Religiosæ* vero, quæ nihil corruptum, nihil fœdum, nihil putidum admittunt : contra legunt pura omnia, sancta et incorrupta, ut fieri solet in observatione *cærimoniarum*. Proust.

2. *Quale sit.* Lamb. « quale id cumque sit ». Sensus est : Attice dicentium plura sunt genera : sed latine qui se dicere attice putant, unum sibi genus qualecumque sit, fingunt. Proust

primæ sine controversia deferebantur. Qui si tenui genere uteretur, numquam ab Aristophane[3] poeta fulgere[4], tonare, permiscere Græciam dictus esset. Dicat igitur attice venustissimus ille scriptor ac politissimus, Lysias. Quis enim id possit negare? dum intelligamus, hoc esse atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens, aut ineptum. Ornate vero, et graviter, et copiose dicere, aut atticorum sit, aut ne sit Æschines, neve Demosthenes atticus.

Ecce autem aliqui se Thucydidios[5] esse profitentur, novum quoddam imperitorum et inauditum genus. Nam qui Lysiam sequuntur, causidicum quemdam sequuntur: non illum quidem amplum atque grandem; subtilem et elegantem tamen, et qui in forensibus causis possit præclare consistere. Thucydides autem res gestas et bella narrat et prælia, graviter sane et probe: sed nihil ab eo transferri potest ad forensem usum[6] et publicum. Ipsæ illæ conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur: quod est in oratione civili vitium vel maximum. Quæ est autem in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? An victus hominum[7], Atheniensium beneficio excoli potuit,

3. *Ab Aristophane.* Primum Cicero scripserat *Eupoli*, ut videbis in Epp. ad Attic. XII, 6, nempe deceptus his versibus Eupolis de Pericle citatis ab Aristide oratore, et quorum ipse memor fuit in Brut. cap. 9: μόνου δὲ Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν, κ. τ. λ. Versus Aristophanis hi sunt in Acharniis, v. 529: Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος Ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. Se ipse correxit in Epp. ad Att. XII, 6.

4. *Fulgere.* Edd. Camerar. al. *fulgurare.* Sch.

5. *Se Thucydidios esse prof. Esse* delendum videtur: nec enim in hac forma loquendi addi solet. Ern.

6. *Ad forensem usum.* Orat. c. 13: « Thucydides præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus ». Ibid. c. 71: « In Thucydide orbem orationis desidero ».

7. *An victus hominum.* Nempe Attici feruntur primi agris colendis in-

oratio non potuit? Quis porro umquam Græcorum rhetorum a Thucydide quidquam duxit[8]? At laudatus est ab omnibus. Fateor : sed ita, ut rerum explicator prudens, severus[9], gravis; non ut in judiciis versaret causas, sed ut in historiis bella narraret. Itaque numquam est numeratus orator. Nec vero, si historiam non scripsisset, nomen ejus exstaret[10], quum præsertim fuisset honoratus et nobilis. Hujus tamen nemo neque verborum, neque sententiarum gravitatem imitatur; sed, quum mutila quædam et hiantia loquuti sunt, quæ vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas[11]. Nactus sum etiam, qui Xenophontis similem esse se cuperet : cujus sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus.

X. (x.) Referamus igitur nos[1] ad eum, quem volumus, inchoandum, et eadem eloquentia informandum[2], quam in nullo cognovit Antonius. Magnum

cubuisse, aut saltem agriculturæ artem perfecisse.

8. *Quidquam duxit.* Hoc non de sententiis et verbis singulis intelligi debet, quæ multa ab eo sumpsere Demosthenes, et alii, sed de iis, quæ propria sunt oratoris. Ern.

9. *Severus.* Schützius reponit *sincerus*, ut Brut. c. 83.

10. *Nomen ejus exstaret.* Immo exstaret, et id ipse ratione ostendit Cicero : quod fuit magistratus, etc. Ergo negatio excidit, quod et Lambinus sensit; quam adderem, si decernere possem, quo loco ponenda esset, utrum « non exstaret », an « non nomen ejus exstaret », quod mihi magis placet. Et sic etiam facilius intelligitur quomodo occiderit. Ern. — Prusteus quoque suadet negationem ponendam, ut sententia sit : numquam Thucydides locum inter oratores habuit, celebris est tantum historici nomine : non continuo tamen, si historiam non scripsisset, oblivioni fuisset traditus, si quidem et nobilitate, et honoribus Athenis inclaruit. Negationem induxere Bipontini et Schutzius : sed ne unus quidem MS favet.

11. *Esse Thucydidas.* Sic correxit Rivius, provocans etiam ad librum vetustum. In edd. vett. est *Thucydidis*, quod sane est vitiosum. MS Ven. *Thucydidos*. Ernest. — Sic Quint. X, 7, dicit quosdam se Cicerones germanos putare, quia sententias concludunt verbis *esse videatur*.

X. 1. *Igitur nos.* Ern. Lall. Sch. *nos igitur.* — De hac quæstione quid sit genus atticum, vid. Quint. XII, 10.

2. *Et eadem eloq. informandum.* Eadem nihil est. Scribe *ea demum el.*

opus omnino et arduum, Brute, conamur; sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, et semper amavi ingenium, studia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, non desiderio solum, quo quidem conficior, congressus nostros, consuetudinem victus, doctissimos sermones requirens tuos, sed etiam admirabili fama virtutum incredibilium [3], quæ, specie dispares, prudentia conjunguntur. Quid enim tam distans, quam a severitate comitas? quis tamen umquam te aut sanctior est habitus, aut dulcior? Quid tam difficile, quam in plurimorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligi? consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, æquos placatosque dimittas. Itaque efficis, ut, quum gratiæ causa nihil facias, omnia tamen sint grata, quæ facis. Ergo omnibus terris [4] una Gallia [5] communi non ardet [6] incendio: in qua frueris ipse te, quum in Italiæ luce [7] cognosceris, versarisque in optimorum civium vel flore, vel robore. Jam quantum illud est, quod in maximis occupatio-

Alia hujus corruptelæ exempla sunt, et similiter corrigit Perizonius Livium 32, 14, in Animadv. Hist. pag. 65. Ern.

3. *Admirabili... incredibilium*. In edd. pr. est inverse « incredibili f. v. admirabilium »: quod nescio cur mutatum sit. Ern. — Schützius antiquam lect. reduxit.

4. *Ergo omnibus terris*. Schützius cum Lamb. *Ergo ex omn. t.* — Post hæc verba vulgati omnes virgulam adscribunt, quæ videretur delenda esse, ut sic ordinentur voces: « Ergo Gallia una non ardet incendio communi terris omnibus ». Potest etiam scribi « ex omnibus terris », quomodo ante Victorianam editionem vetustiores habuerant. Oliv.

5. *Una Gallia*. Trajecturus in Africam Cæsar adversus Catonem et Scipionem, Bruto Galliam Cisalpinam, ad magnam illius provinciæ felicitatem, commisit. Plut. in Bruto. Oliv.

6. *Non ardet inc*. Gulielmius putat aliquid hic deesse, et rescribendum *nunc ardet inc*. Gaut.

7. *In Italiæ luce*. In Gallia, quæ sit lux Italiæ. Ad quod faciunt hæc in Antoniana tertia: « Nec vero de virtute, constantia, gravitate provinciæ Galliæ taceri potest. Est enim ille flos Italiæ, illud firmamentum imperii populi romani, illud ornamentum dignitatis. Illic Italiæ florem Galliam, hic optimorum civium florem: illic imperii firmamentum, hic optimorum civium robur dixit ». Strem.

nibus[8] numquam intermittis studia doctrinæ! semper aut ipse scribis aliquid, aut me vocas ad scribendum! Itaque hoc sum aggressus statim Catone[9] absoluto; quem ipsum numquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi tibi hortanti, et illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas esse duxissem: sed testificor, me a te rogatum, et recusantem, hæc scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum commune esse crimen, ut, si sustinere tantam quæstionem non potuero, injusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. In quo tamen[10] judicii nostri errorem laus tibi dati muneris compensabit.

XI. (xi.) Sed in omni re difficillimum est, formam (quæ χαρακτὴρ[1] græce dicitur) exponere optimi: quod aliud aliis videatur optimum. Ennio delector, ait quispiam, quod non discedit a communi more verborum. Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati, elaboratique sunt versus; multa apud alterum negligentius. Fac alium Attio. Varia enim sunt judicia, ut in Græcis; nec facilis explicatio, quæ forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita et

8. *In maximis occupationibus*. Adeo studio literarum deditum fuisse Brutum scribit Plutarchus, ut in castris daret operam legendis libris, et ante Pharsalicam pugnam, aliis de eventu pugnæ sollicitis, ipse Polybii epitomen componeret. Prust.

9. *Catone absoluto*. Non est hic *Cato Major*, seu liber de Senectute, sed laudatio Catonis Uticensis, qui, ne veniret in potestatem Cæsaris, ipse sibi manus intulerat: in quem Cæsar Anticatones edidit, ut Ciceronem refutaret. Streb.

10. *In quo tamen*. Si culpatur judicium meum, quod opus aggressus sim, cui efficiendo non eram idoneus: laudabitur quidem voluntas dandi tibi hujus muneris.

XI. 1. *Quæ* χαρακτήρ. *Quæ* restitui ex edd. pr. rectius foret *qui:* et sic rescripsissem, nisi et alibi reperissem, a Cicerone relativi genus etiam ad antecedens relativum referri, ut Top. 22, « descriptio, quam χαρακτῆρα Græci vocant », nisi et illuc corrigendum est *quem*, et hic *qui*. *Qui* tamen habet ed. Lips. (in margine *quæ*), nescio unde. Vulgatum *quod* est ab Aldo, quod nescio quare tamdiu toleratum sit. Ern. — Schütz. dedit *qui* cum ed. Tulich. et Lamb.

opaca; contra alios nitida[2], læta, collustrata delectant. Quid est[3], quo præscriptum aliquod, aut formulam exprimas, quum in suo quodque genere præstet, et genera plura sint? Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus; existimavique, in omnibus rebus esse aliquid optimum, etiamsi lateret; idque ab eo posse, qui ejus rei gnarus esset, judicari.

(XII.) Sed quoniam plura sunt orationum genera, eaque diversa, neque in unam formam cadunt omnia: laudationum, scriptionum[4], et historiarum, et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum[5], multique alii, qui sunt nominati sophistæ, reliquarumque rerum[6] formam, quæ absunt ab forensi contentione, ejusque totius generis, quod græce ἐπιδεικτικὸν[7] nominatur, quod quasi ad inspiciendum, delectationis

2. *Alios nitida... delectant.* Sic cum Fr. Gryph. et P. Manutio edidi. Ed. Ven. Med. habent »alius...delectatur». Sed ita «illa horrida, etc.» non sunt pluralia, quibus Cicero alibi in eadem re utitur. *Delectat* est ab Ald. et Junt. quod multo minus probandum. Ern. — *Delectat* etiam est in Pall. et Gallicano Gruteri.

3. *Quid est, quo... exprimas.* Lambin. «quid est, quod».—Int. quo argumento et qua ratione cogas nos unum verbum præscriptum sequi, quum plura genera probabilia sint. Ernest. — *Præscriptum.* Literarum characteres prius scripti, quos ludi magister pueris imitandos proponit. Prust.

4. *Laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium suasionum.* Lambin. «laudationum, suasionum, historiarum et talium scriptionum», in quo tamen *historiarum* delendum putabat. Lallem. Lambinum secutus est, nisi quod *et* ante *historiarum* non sustulit.

5. *Panegyricum.* In quo elaborando decem aut etiam quindecim annos Isocratem consumpsisse tradunt. Oratio ex suasione et laudatione mixta, cujus prima parte laudes Atheniensium exsequitur, altera eosdem ad bellum regi Persarum inferendum impellit. Prust.

6. *Rerum formam, quæ absunt.* Schützius *rerum* deleri velit. Lallem. voc. *formam* transponit ante verba «non complectar hoc tempore».

7. Ἐπιδεικτικόν. Quod quid differat a laudatione Quintil. III, 4, ostendit his verbis: «Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non ita demonstrationis vim habere, quam ostentationis videtur, et multum ab illo encomiastico differre. Nam ut continet laudativum in se genus, ita non intra hoc solum consistit. An quisquam negaverit panegyricos ἐπιδεικτικοὺς esse? Atqui formam suadendi habent, et plerumque de utilitatibus Græciæ loquuntur». Hæc ille. Unde scias ἐπιδεικτικὸν genus latius patere, quam quod laudativum vocatur. Staab.

causa comparatum est, non complectar hoc tempore. Non quo negligenda sit : est enim illa quasi nutrix ejus oratoris, quem informare volumus, et de quo molimur aliquid exquisitius dicere.

XII. Ab hac et verborum copia alitur, et eorum constructio, et numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati sententiarum; et arguti, certique, et circumscripti verborum ambitus conceduntur; de industriaque, non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur, ut verba verbis quasi demensa et paria[1] respondeant; ut crebro conferantur pugnantia[2], comparenturque contraria; et ut pariter extrema terminentur[3], eumdemque referant in cadendo sonum : quæ in veritate causarum et rarius multo facimus, et certe occultius. In[4] Panathenaico autem Isocrates ea studiose consectatum[5] fatetur. Non enim ad judiciorum certamen, sed ad voluptatem aurium scripserat.

XII. 1. *Demensa et paria respondeant.* Græce πάρισα. Exemplum præbet ipse Cic. in orat. pro lege Manilia, cap. 12, hac periodo : « Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit ».

2. *Pugnantia.* Græce ἀντίθετα. Pulchrum antithesis exemplum idem Cicero eadem orat. c. 10, tulit : « Cujus (Pompeii) adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita ».

3. *Pariter extrema terminentur.* Gr. ὁμοιοτέλευτα. Sic Cicero pro leg. Man. cap. 16 : « Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint ».

4. *In Panathenaico.* Isocratis oratione sic appellata, vel quod habita fuerit Panathenæis solemnibus feriis, vel quod Atheniensium omnia egregie facta, eorumque laudes ab ultima origine repetit. Eam orationem scripsit annos natus nonaginta quatuor, et in exordio fatetur Isocrates juniorem se rhetorum flosculos studiosius conquisivisse PAUST.

5. *Studiose consectatum.* Schützius rescribit *studio se* separatim, sicut antea dicitur, *de industria*, ut Brut. 8, *dedita opera*. Ernest. dedit *consequutum* ex ed. Ven. Med. ut est in marg. ed. Lips. Sed hæc correctio Schutzio non probatur. Idem Ernest. post *studiose* addi *se* cupiebat.

Hæc tractasse Thrasymachum Chalcedonium primum, et Leontinum ferunt Gorgiam; Theodorum inde Byzantium, multosque alios, quos λογοδαιδάλους [6] appellat in Phædro Socrates : quorum satis arguta multa, sed ut modo primumque nascentia, minuta, et versiculorum [7] similia quædam, nimiumque depicta [8]. Quo magis sunt Herodotus [9] Thucydidesque mirabiles : quorum ætas quum in eorum tempora, quos nominavi, incidisset, longissime tamen ipsi a talibus deliciis, vel potius ineptiis, abfuerunt. Alter enim sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluit; alter incitatior fertur, et de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum; primisque ab his (ut ait Theophrastus) historia commota est, ut auderet uberius, quam superiores, et ornatius dicere.

XIII. Horum ætati successit Isocrates, qui præter ceteros ejusdem generis laudatur semper a nobis, nonnumquam, Brute, leviter et erudite [1] repugnante te. Sed cedas [2] mihi fortasse, si, quid in eo laudem, cognoveris. Nam quum concisus ei Trasymachus mi-

6. Λογοδαιδάλους. Id est, artificiosi sermonis fabricatores. Vide Platon. in Phædro, cap. 112, p. 316 ed. Heindorf. Vocem græcam Cicero videtur exprimere voluisse, Brut. 31, voce latina « architecti verborum ».

7. *Versiculorum similia quædam.* Lambinus maluit *versicolorum*. Sed vulgata vera est. Conf. de Orat. lib. III, cap. 47. Sch.

8. *Depicta*. Sensus postulare videtur *astricta*. Sch.

9. *Herodotus Thucydidesque.* De his vide Quintil. X, 1, et Dionysium Hal. (τῶν ἀρχαίων ἐξέτασις), pag. 69 ed. 1586.

XIII. 1. *Leviter et erudite. Leviter* possim intelligere paullulum, sed verum esse puto *leniter*, quod magis sententiæ convenit et eruditæ disputationi. Ern. — Idem suadebat Muretus ut accommodatum ad naturam M. Bruti, qui benignitate summa fuit, teste in hoc libro Cicerone : et sic dedere Lallem. et Schützius. De Isocrate vide quid sentiat Dionys. Halic. περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων, et Philostratus in vita Sophistarum.

2. *Sed cedas mihi.* Correxi vulgatum *credas*, quod non aptum est h. l. *Cedas* respondet accurate verbo *repugnare*, quod præcessit. Itaque correctio necessaria fuit : si quis malit *credes*, quo ducit MS V. qui habet *eredes*, non repugnem. Ern. — Schütz. dedit *cedes*.

nutis numeris videretur, et Gorgias, qui tamen primi traduntur arte quadam verba vinxisse; Thucydides[3] autem præfractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus: primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. In quo quum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in scribendo principes exstiterunt, domus ejus officina habita eloquentiæ est. Itaque ut ego, quum a nostro Catone laudabar, vel reprehendi me a ceteris facile patiebar: sic Isocrates videtur testimonio Platonis aliorum judicia debere contemnere. Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri his ipsis verbis loquens Socrates: « Adolescens etiam nunc, o Phædre, Isocrates est; sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem? inquit ille. Majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiæ comparetur. Præterea ad virtutem major indoles: ut minime mirum futurum sit, si, quum ætate processerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc studet, tantum, quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui umquam orationes attigerunt; aut, si contentus his non fuerit, divino aliquo animi motu majora concupiscat. Inest enim natura philosophia in hujus viri mente quædam». Hæc de adolescente Socrates auguratur. At ea de seniore scribit Plato, et scribit æqualis, et quidem exagitator omnium rhetorum: hunc miratur unum. Me autem, qui Isocratem non diligunt, una cum Socrate et cum Platone errare patiantur.

Dulce igitur orationis genus, et solutum, et ef-

3. *Thucydides.* Nonius in *Rotundum* citat *Theodectes*, improbatque Lambinus: hæreu tamen. GRUTER. — Ernest. quem Schutzius sequutus est, reposuit *Theodorus.* Id nomen, inquit Ernestius, hic reponendum esse, dudum in Clave monui. Est enim hic tertius ex iis, quos ante nominarat. Thucydides non fuit in Sophistis. Nonius habet « Theodectes »; sed et hic alienus est ab hoc loco.

fluens, sententiis argutum, verbis sonans, est in illo epidictico genere [4], quod diximus [5]; proprium sophistarum; pompæ, quam pugnæ, aptius; gymnasiis et palæstræ dicatum; spretum et pulsum foro. Sed quod educata hujus nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat et roborat, non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere. Verum hæc, ludorum, atque pompæ: nos autem jam in aciem dimicationemque veniamus [6].

XIV. (XIII.) Quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quo modo: dicendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquanto secus, atque in tradenda arte dici solet. Nulla præcepta ponemus (neque enim id suscepimus), sed excellentis eloquentiæ speciem et formam adumbrabimus: nec, quibus rebus ea paretur, exponemus; sed qualis nobis esse videatur.

Ac duo breviter prima: sunt enim non tam insignia ad maximam laudem, quam necessaria, et tamen cum multis pæne communia. Nam et invenire, et judicare, quid dicas [1], magna illa quidem sunt, et tamquam animi instar in corpore; sed propria magis prudentiæ, quam eloquentiæ: qua tamen in causa est vacua [2] prudentia?

4. *Est in illo epidictico genere.* Schütz. dat *est* ἐπιδεικτικὸν, quia non verisimile est Ciceronem scripsisse « est genus... in genere », nec græcum vocabulum ἐπιδεικτικὸν latinis literis exarasse.

5. *Quod diximus; proprium soph.* Vulgo interpungitur « quod diximus proprium Soph. » minus apte. SCH.

6. *Veniamus.* Ernest. Schützius *descendamus.* Sic, inquit Ern. ex Ven. Med. dedi, quod est proprium in hoc verbum, pro quo Aldus non bene edidit *veniamus*, sequente Junta.

XIV. 1. *Quid dicas.* Schützius dat « quid et quo loco dicas ». Hoc, inquit, inserui sicut infra c. 16: « quum autem, quid et quo loco dicat, invenerit ». Nam Cicero dixerat: « ac duo breviter prima ». Itaque hic necesse erat primum inventionis, deinde dispositionis mentionem faceret. Idque confirmatur Quintilian. Procem. VIII, 9, 14.

2. *Qua tamen in causa est vacua prudentia?* Nihil abeunt ab hac scriptura Pall. neque Memmianus; nisi quod is *et vacua*. Pisanus habet: *quæ*

Noverit igitur hic quidem orator, quem summum esse volumus, argumentorum et rationum[3] locos. Nam quoniam, quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo, aut sitne, aut quid sit, aut quale sit, quæritur : sitne, signis; quid sit, definitionibus; quale sit, recti pravique[4] partibus: quibus ut uti possit orator, non ille vulgaris, sed hic excellens, a propriis personis et temporibus semper, si potest, avocat controversiam. Latius enim de genere, quam de parte disceptare licet : ut, quod in universo sit probatum, id in parte sit probari necesse. (XIV.) Hæc igitur quæstio, a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traducta, appellatur thesis[5]. In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utramque partem, ut ornatius et uberius dici posset[6], exercuit; idemque locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.

enim causa. Lambinus, *quæ tamen.* Gaut. — Locum vitiosum esse viderunt omnes : in conjecturis virorum doctorum optima est Phil. Melanchthonis : « quæ tamen qua in causa ». Fr. Gryph. « quæ enim in causa ». Ernest. — Locum sane difficilem sic opinor posse explicari ; ut sit correctio. Dixit invenire, judicare, propria magis prudentiæ esse, quam eloquentiæ. Tum subjungit, quasi corrigendo : sed tamen qua in causa esse potest eloquentia sine prudentia ? Nulla causa est, nullum genus dicendi, in quo eloquentia esse possit vacua, destituta prudentia. Est enim, quemadmodum infra dicetur cap. 21, « eloquentiæ, sicut ceterarum rerum fundamentum sapientia ». Anonym.

3. *Rationum.* Schützius scripsit *actionum*, quia rationum nihil aliud esset ac *argumentorum.*

4. *Quale sit, recti pravique partibus*, etc. Deest verbum aliquod, ut « docetur », « demonstratur », « cognoscitur ».

5. *Thesis.* Schütz. græce hanc vocem scribit, quia semper hoc modo scriptam Cicero posuit, ut Top. c. 20, et infra cap. 37. *Thesis* est propositio generalis, *hypothesis*, propositio definita tempore et personis.

6. *Dici posset.* Lego *posset*, ut melius se habeat ratio latinæ linguæ, quia in constructione præcedit *exercuit*, verbum perfecti temporis. Et ita legitur in MS Harleiensi, qui penes est honoratissimum comitem Oxonii. Pearcius. — Sic dedit ed. Gryph. et Ern. et Schütz.

XV. Facile igitur hic noster (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam[1] de foro, sed doctissimum et perfectissimum quærimus), quoniam loci certi traduntur, percurret omnes; utetur aptis generatim; discet, ex quo emanent[2] etiam, qui communes appellantur loci. Nec vero utetur imprudenter hac copia, sed omnia expendet[3] et seliget. Non enim semper, nec in omnibus causis, ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt. Judicium igitur adhibebit; nec inveniet solum quid dicat, sed etiam expendet. Nihil enim est[4] feracius ingeniis, iis præsertim, quæ disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fœcundæ et uberes, non solum fruges, verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus: sic interdum ex illis locis, aut levia quædam, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur; quorum ab oratoris judicio delectus magnus adhibebitur[5]. Alioqui quonam modo ille in bonis

XV. 1. *Rabulam.* Vide de hac voce Brut. cap. 63. Videtur vox illa Quintiliani tempore multo odiosior fuisse ac Ciceronis ætate, ut patet ex his Inst. Or. XII, 9: « si a vero bono in rabulam latratoremque convertitur ».

2. *Quoniam loci certi traduntur, percurret omnes; utetur aptis generatim; discet, ex quo emanent.* Ernest. Schütz. sic legunt, « percurr. omnes, utetur aptis, generatim dicet: ex quo emanant ». Primum, inquit Ernest. e codd. ser. dedimus *dicet* pro *discet*, quod nihili est h. l. mutata etiam interpunctione, ut est in ed. Ven. Lips. nisi quod ut MS V. *dicat* habet ut *utatur, percurrat*: deinde *emanant* ex ed. Ven. Med. Ald. Junt pro *emanent*, quod natum est, dum librarii terminationem superioribus similem reddere vellent. Sensus est: deliget communes locos, qui causæ optimæ conveniant: rem a singulis personis et temporibus avocabit ad genus universum: et ex hoc ipso reperiet opportunitatem locos communes quærendi et inveniendi. Ern. — Schützius verba *utetur... loci* spuria judicat.

3. *Omnia expendet.* Schützius dat « idonea exquiret ». Officium, inquit, *expendendi* deinde memoratur. Neque recte poterat dici, *omnia* seliget, sed idonea *tantum*. Sic dicitur de Off. II, 18: « in deligendis idoneis judicium se diligentiam adhibere ».

4. *Nihil enim est.* Schützius dat: « nihil est enim ». Gu. 1, *nihil est* omisso *enim*: Gu. 2, *nihil enim* omisso *est*.

5. *Adhibebitur. Alioqui quonam modo.* Sic interpunximus, ut fecit jam Fr. Gryph. quum in vulg. *alioqui* adhæreat præcedentibus: ubi quum stare non possit, quidam delevere, ut

hærebit et habitabit suis? aut molliet dura, aut occultabit, quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit? aut abducet animos, aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit, quam illud, quod obstabit[6]?

(xv.) Jam vero ea, quæ invenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id secundum erat de tribus. Vestibula nimirum honesta, aditusque ad causam faciet illustres : quumque animos prima aggressione occupaverit, infirmabit, excludetque contraria; de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora[7].

Atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus. Sed, ut ante dictum est, in his partibus, etsi graves atque magnæ sunt, minus et artis est, et laboris.

XVI. (xvi.) Quum autem, quid et quo loco dicat, invenerit, illud est longe maximum, videre, quonam modo. Scitum est enim, quod Carneades[1] noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Charmadam[2] autem eodem etiam modo[3] dicere. Quod si in

MS V. edd. Med. Ald. Lips. Victor. sed si delemus, hiat oratio. Ern. — Schötzios Ern. sequitor.

6. *Obstabit*. Au *obstet*, vel *obstabat?* Ern.

7. *Inculcabitque leviora*. Idem præceptum dedit de Orat. II, 77. Vid. Herenn. III, 10.

XVI. 1. *Carneades*. Hic est philosophus Ciceronis ac Bruti familiaris, qoem non confundas cum Carneade illo novæ Academiæ conditore.

2. *Charmadam*. Sic hoc loco codd. scr. qoidam. Vide de Or. II, 88. Edd. pr. *Carneades*. Ern. — Groterus dedit *Charmidam*. Est hoc, inquit, a conjectaneo Victorii, qoum offendisset in soo vetere *Charmadam*, quæ scriptura item in Palat. quint. Nam quart. *Carniadam*, sext. *Charniadem*, vulgata *Carneadam*; male, ot docebêris a doctissimo illo Italorum, Var. Lect. lib. XXXII, cap. 24.

3. *Eodem etiam modo*. Sic Pall. et Memm. habent, recte. Gaut.—Contra hoc Schützio ineptom videtur. Nam, inquit, si Charmadas *eadem* dixisset quæ Clitomachus, et « eodem etiam modo », nihil prorsos inter utrumque interfuisset. Ideo Schütz. dedit « quodam etiam modo » deleto *dicere*. Hoc, inquit, est certa quadam ratione et arte dicere. Sic Brut. 40 : « ut dicantur a me quodam modo ». De Orat.

philosophia tantum interest, quemadmodum dicas, ubi res spectatur, non verba penduntur: quid tandem in causis existimandum est, quibus totis moderatur oratio[4]? Quod quidem ego, Brute, ex tuis literis sentiebam, non te id scitari, qualem ego in inveniendo et in collocando summum esse oratorem vellem; sed id mihi quærere videbare, quod genus ipsius orationis optimum judicarem. Rem difficilem, dii immortales! atque omnium difficillimam. Nam quum est oratio mollis, et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas: tum et naturæ variæ, et voluntates, multum inter se distantia effecerunt genera dicendi.

Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam. Distincta alios et interpuncta intervalla, moræ, respirationesque delectant. Quid potest esse tam diversum? tamen est in utroque aliquid excellens. Elaborant alii in lenitate et æquabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi. Ecce aliqui duritatem et severitatem quamdam verbis, et orationis quasi mœstitiam sequuntur; quodque paullo ante divisimus[5], ut alii graves, alii tenues, alii temperati vellent videri, quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur.

XVII. (XVII.) Et, quoniam cœpi jam cumulatius

III, 10: «Ergo hæc et agenda sunt ab oratore, et dicenda quodam modo». Expunxi autem verbum *dicere*, post *modo* repetitum, quia illud *quodam modo* fere in clausula ponitur, quod bene nuper monuit Gœrenzius ad Cic. Acad. II, 24, 76. Sed in hac correctione Schützius ab eodem Gœrenzio ad Academic. lib. II, cap. 24, et a J.V. *Le Clerc* reprehenditur.

4. *Quibus totis moderatur oratio.* Quarum exitus omnino pendet ab oratione.

5. *Divisimus... genera esse diximus.* Schutzius transponit verba *divisimus* et *diximus*, alterumque in alterius luco ponit, quia *divisimus* minus bene refertur ad *vellent videri.*

hoc munus augere, quam a te postulatum est (tibi enim tantum de orationis genere quærenti respondi etiam breviter de inveniendo et collocando), ne nunc quidem solum de orationis modo dicam, sed etiam de actionis: ita prætermissa pars nulla erit; quandoquidem de memoria nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium [1].

Quo modo autem dicatur, id est in duobus, in agendo, et in eloquendo. Est enim actio quasi corporis quædam eloquentia [2], quum [3] constet e voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Itaque ille perfectus [4], quem jamdudum nostra indicat oratio, utcumque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit sonum: de quo plura dicerem, si hoc præcipiendi tempus esset, aut si tu hoc quæreres; dicerem etiam de gestu, cum quo junctus est vultus. Quibus omnibus, dici vix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. Nam et infantes [5], actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum tulerunt; et diserti, deformitate agendi, multi infantes putati sunt: ut jam non sine causa

XVII. 1. *Quæ communis est multarum artium.* Quæ non soli oratori, sed multis etiam est necessaria.

2. *Quasi corporis quædam eloquentia.* Sic de Orat. III, 59, « est enim actio quasi sermo corporis ».

3. *Quum constet e voce atque motu.* Ed. Ven. « et voce et motu ». Pro *quum* puto legendum esse *quæ*. Est enim definitio, non ratio. Ernest. — *E voce atque motu*, quorum alter, inquit Quintilianus, XI, 3, oculos, altera aures movet, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus.

4. *Ille perfectus.* Lambinus, « perfectus ille, quem jamdudum nostra indicat oratio ».

5. *Infantes.* Actionem plurimum valere probant eventus. Nam et *infantes*, id est, infacundi, rudesque dicendi, ut Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona et decora pronuntiatione, eloquentiæ fructum et gloriam tulerunt. Et *diserti*, quibus e diverso opponuntur *infantes*, deformitate agendi, hoc est, indecora et fœda pronuntiatione, a multis infantes et indiserti putati sunt: cujusmodi L. Cottam dicit Cicero fuisse. Strbs.

Demosthenes tribuerit et primas, et secundas, et tertias actioni. Si enim eloquentia nulla sine hac; hæc autem, sine eloquentia, tanta est: certe plurimum in dicendo potest.

XVIII. (XVIII.) Volet igitur ille, qui eloquentiæ principatum petet, et contenta voce, atrociter dicere; et summissa, leniter; et inclinata, videri gravis; et inflexa[1], miserabilis. Mira est enim quædam natura vocis: cujus quidem e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, gravi, tanta sit, et tam suavis varietas perfecta in cantibus. Est autem[2] in dicendo etiam quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus[3], pæne canticum; sed ille, quem significat Demosthenes, et Æschines, quum alter alteri objicit vocis flexiones. Dicit plura etiam[4] Demosthenes, illumque sæpe dicit voce dulci[5] et clara fuisse. In quo illud etiam notandum mihi videtur ad studium persequendæ suavitatis in vocibus. Ipsa enim natura[6], quasi modu-

XVIII. 1. *Et inflexa*. Schütz. corrigit *et flexa*. Nam, inquit, in miserationibus orator utitur voce flexa et circumducta. Cf. Quintil. XI, 3, 170. Aliud est, quum dicitur de Orat. II, 46, 198, « inflexa ad miserabilem sonum voce ». Neque vero hic commode poneretur *inflexa*, quod statim sequitur *inflexo*, alia significatione.

2. *Est autem... cantus*. A natura datur vox, ab arte flexus, a flexu gignitur cantus. Qui si temperatus est in actione decet oratorem maxime in affectibus movendis. Staeb. — Tales sunt, inquit Quintilianus, XI, 3, illæ inclinationes vocis quas invicem Demosthenes atque Æschines exprobrant, non ideo improbandæ; quum enim uterque alteri objiciat, palam est, utrumque fecisse.

3. *Non hic e Phrygia... rhetorum epilogus*. Sensus est: non hic, quo rhetores e Phrygia et Caria utuntur in epilogis, ut sit pæne canticum. Sed videtur addendum *quorum* post *canticum*. Nam epilogus ipse non est cantus, sed pronuntiatur voce canente, unde *canticum* dicitur. Ern.

4. *Dicit plura etiam*. *Dicit* sine dubio vitiosum est et ex altero membro repetitum: quod et sensit Lambinus: qui repetit *objicit*, quod est sane aptius. Sed melius intelligitur, deleto *dicit*. Ern. — Schützius maluit loco *dicit* ponere *et huic*, scilic. Æschini, quis hoc concinnius respondet verbis « alter alteri ».

5. *Voce dulci*. Vide de Corona, cap. 79, 98. Ern.

6. *Ipsa enim natura*. Cantus hic in oratione, sicut cetera omnia, cepit a natura seminarium, arte et humana

laretur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, nec a postrema syllaba citra tertiam[7]: quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem sequatur industria. Ac vocis quidem bonitas optanda est: non est enim in nobis; sed tractatio atque usus in nobis. Ergo ille princeps variabit et mutabit; omnes sonorum, tum intendens, tum remittens, persequetur gradus.

Idemque motu sic utetur, nihil ut supersit[8] in gestu. Status erectus et celsus; rarus incessus, nec ita longus; excursio moderata, eaque rara[9]; nulla mollitia

industria colendum. Natura modulata est hominum orationem, certasque voces ad agendum dedit; et ut impetu quodam proferrentur animo concepta, et aurem ferirent, in omni verbo posuit acutam vocem, nec una plus, ut esset varietas: nec a postrema syllaba citra tertiam, ne quid spiritus laboraret. Omne verbum aut unius est syllabæ, aut duarum, aut trium, pluriumve. Si in verbo trium syllabarum pluriumve fuerit accentus in tertia ab extrema, is semper erit acutus, ut φιλόσοφος, dominus. Si fuerit accentus in secunda a fine, aut acutus erit, ἀνθρώπῳ, virili, λόγος, deus; aut circumflexus, ut σημεῖον, μοῦσα, Romanus, Roma. Quod igitur inflexus ex acutu est et gravi, non defuerit accentus, si ponetur inflexus. In ultima nunc est acutus, βασιλεύς, dux; nunc circumflexus, βοῦς, bos. Nihil refert an unius sint syllabæ verba, an vero plurium. Numquam gravis erit ultima, nisi quum acuta ceperit aliam ab ultima sedem, propter quod verbum mutarit accentum, ut ὁ βασιλεὺς ἔφη, dux loquutus est. Jam gravis hic est pro acuta. Ergo natura in omni verbo posuit acutam vocem, quæ quum altius ederetur, et reliquæ summissius consonarent, jucundam e varietate cieret modulationem. Interim unum verbum duos habet accentus acutos, sed unum ab alio verbo ducit, ut φιλόσοφοί τε, duminive. An acutam vocem dicit eam quæ clarius auditur, magisque ferit aures, non illam tantum, quam proprie dicimus acutam? Stabb.

7. *Citra tertiam.* Ernest. dat *ultra.* Hoc, inquit, sine hæsitatione edidi: adeo res est manifesta. Vult dicere, tantum tres syllabas ultimas acui voce, id quod tirones sciunt: numquam quartam nempe *a postrema*: ab hac enim hic numerandi initium. Vide Quintilian. I, 5, 30. Hoc vitium non animadversum esse, et tam diu toleratum, miror. Ern. — Sed Ernestius reprehenditur a Spaldingio ad Quint. I, 5, 30, recte, ut videtur Schutzio et J. V. L. Vide *Marmontel*, *Élémens de Littérature*, verbo *accent.*

8. *Nihil ut supersit.* Schützius dat « nihil ut desit, aut supersit ». Quasi sensus ratione postulante, et ex Quintil. IX, 4, 84: « si quidquam supersit aut desit ».

9. *Excursio moderata, eaque rara.* Cleo, dux Atheniensis, primus morem

cervicum[10]; nullæ argutiæ digitorum; non ad numerum articulus cadens; trunco magis toto se ipe moderans, et virili laterum flexione[11], brachii projectione in contentionibus, contractione in remissis. Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam affert tum dignitatem, tum venustatem? in quo quum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio. Nam ut imago est animi, vultus; sic indices oculi: quorum et hilaritatis, et vicissim tristitiæ modum res ipsæ, de quibus agetur, temperabunt.

XIX. (XIX.) Sed jam illius perfecti oratoris et summæ eloquentiæ species exprimenda est: quem hoc uno excellere, id est oratione[1], cetera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inventor, aut compositor, aut actor, hæc complexus est omnia; sed et græce ab eloquendo ῥήτωρ, et latine eloquens dictus est. Ceterarum enim rerum, quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat; dicendi autem, id est, eloquendi, maxima vis soli huic conceditur. Quamquam enim et philosophi quidam ornate loquuti sunt (siquidem et Theophrastus[2] divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit[3], et Xenophontis voce Musas quasi loquutas

attulit oratoribus in Rostris huc et illuc sese movendi et decurrendi. Qua de re vide Brut. cap. 38.

10. *Nulla mollitia cervicum.* Dixit rectum casum *mollitia*, non *mollities*, propter literam sequentem: et *cervicum*, non *cervicis*, quod illud verbum singulariter rarius usurparetur. Nam primus Hortensius *cervicem* singulari numero dixisse fertur. Stres.

11. *Et virili laterum flexione*, etc. Quintil. XI, 3: « Latera cum gestu consentiant: facit enim aliquid et totius corporis motus: adeo ut Cicero plus illo agi quam manibus ipsis, putet ». Vide ibidem de vultu.

XIX. 1. *Id est oratione.* Hoc Schützius, ut glossema, expunxit.

2. *Theophrastus.* Qui quidem, quum primum Platonem magistrum sequutus esset, ad Aristotelem transivit, qui hujus ingenium et pulcherrimum sermonem admiratus, *Theophrastum* eum cognominavit, quum antea *Tyrtamus* diceretur.

3. *Aristoteles Isocratem ipsum la-*

ferunt; et longe omnium, quicumque scripserunt aut loquuti sunt; exstitit et suavitate et gravitate[4] princeps Plato): tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenses habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt, quam incitare. Sic de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur[5]; ut in eo ipso, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, secernere. Mollis est enim oratio philosophorum, et umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec vincta[6] numeris, sed soluta liberius. Nihil iratum[7] habet,

cessivit. Vide Quintil. III, 1. Ex Tusc. I, 4; et Orat. III, 35, Pearcius hic legendum esse putabat: « Aristotelem Isocrates ipsum lacessivit ». Nempe Aristoteles in Isocratem convertit paullum immutando versum Sophoclis in Philoctete, αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν.

4. *Et suavitate et gravitate.* Volgo pessima oratione: « exstitit et gravitate princeps Plato ». Nizolius quidem legit: « exstitit et copia dicendi et gravitate »; Lambinus, « et ubertate et gr. » Præstat autem quod Grut. e MSS eruit « et suavitate et gravit. » Scu. — Si *et* intelligas *etiam*, nihil desit. Nempe Theophrastus et Isocrates, copia et suavitate, Plato etiam gravitate excellit. Ern. — Vide Quintil. I, 1.

5. *Loquuntur.* Hoc abest Gu. 1. Fortasse igitur Cicero scripsit, « quam incitare, de rebus placatis... capiendi ». Scu.

6. *Vincta.* Sic edidi pro vulgato *juncta*, quia est proprium in ea re et perpetuum Ciceronis verbum, quod et accurate verbo *soluta* opponitur. *Verba* quidem dicuntur *jungi*, ut mox cap. seq. sed non *numeris*, verum collocando ita, ut ne ultima et prima aspere concurrant, aut fiat hiatus, etc. Numeris autem vincitur oratio, sicut apud poetas maxime, sic et suo modo apud oratores. Post et cap. 25, clare sunt *vincta numerorum*. In hac tanta evidentia necesse fuit recipere *vincta*, etsi nullis libris auctoribus. *Vincta* et *juncta* sæpe ut *vis* et *jus* commutantur in edd. pr. Sic supra cap 13, in « arte quadam vinxisse verba » ed. Med. habet *junxisse*. Ern.

7. *Nihil iratum.* Id est, quod iram concitet audienti: nihil invidum, quod invidiam moveat: nihil atrox, quod exaggeret facinus: nihil mirabile, quod audienti afferat stuporem nihil astutum, quod capiat fallatque disceptatorem: sed est casta sine popularium opinionum corruptela, ornatos veritatis illius naturalis, virgo incorrupta quodam modo, simplex oratio, integerrima virtutis indagatrix. Intellige orationem Platonis, Xenophontis, Theophrasti, et optimorum,

nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. Itaque sermo potius, quam oratio, dicitur. Quamquam enim omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio[8] signata nomine est.

Sophistarum, de quibus supra dixi, magis distinguenda similitudo videtur, qui omnes eosdem volunt flores, quos adhibet orator in causis, persequi. Sed hoc differunt, quod, quum sit his propositum non perturbare animos, sed placare potius, nec tam persuadere, quam delectare, et apertius id faciunt, quam nos, et crebrius; concinnas magis sententias exquirunt, quam probabiles; a re sæpe discedunt, intexunt fabulas, verba apertius[9] transferunt, eaque ita disponunt, ut pictores varietatem colorum; paria paribus referunt, adversa contrariis, sæpissimeque similiter extrema definiunt.

XX. (xx.) Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate, et regio sæpe, aut pugna describitur; interponuntur etiam conciones et hortationes: sed in his tracta quædam et fluens expetitur, non hæc contorta et acris oratio. Ab his non multo secus, quam a poetis, hæc eloquentia, quam quærimus, sevocanda est.

Nam etiam poetæ quæstionem[1] attulerunt, quidnam

non istorum qui se vocant philosophos, quum sint tamen infantissimi. Oratio eloquentis invidet, atrociter adanget, admirationes inducit, nolentem trahit, se commiscet populari contagione, ut ad sanitatem reducat: audax irrumpit, et tamquam virago et Amazonum fortissima aditum rumpit, quæritque victoriam. Strebæ.

8. *Hoc proprio signata nomine est.* Scripsit sine dubio Cicero *proprie:* quod et alibi in adjectivum mutatum notavimus, sicut alia adverbia. Ern.

9. *Apertius.* Schützius contra libros dat *audacius*, quasi sensu postulante, et quod sic cap. 59.

XX. 1. *Poetæ quæstionem.* Id est, ut dubitaremus, effecerunt, quidnam esset illud quo ipsi differrent ab oratoribus. Numero maxime videbantur antea, et versu, tunc quum Homerus, Hesiodus, Euripides aliique Veteres

esset illud, quo ipsi differrent ab oratoribus : numero maxime videbantur antea, et versu; nunc apud oratores jam ipse numerus increbruit. Quidquid est enim, quod sub aurium mensuram aliquam cadit, etiamsi abest a versu (nam id quidem orationis est vitium), numerus vocatur, qui græce ῥυθμὸς dicitur. Itaque video visum esse nonnullis, Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen, quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam comicorum poetarum[2]; apud quos, nisi quod versiculi sunt, nihil est aliud quotidiani dissimile sermonis. Nec tamen id est poetæ maximum : etsi est eo laudabilior, quod virtutes oratoris persequitur, quum versu sit adstrictior. Ego autem, etiamsi quorumdam grandis et ornata vox est poetarum, tamen in ea[3] quum licentiam statuo majorem esse, quam in nobis, faciendorum jungendorumque verborum; tum etiam nonnullorum voluptati[4] vocibus magis, quam rebus inserviunt. Nec vero, si quid est[5] unum inter eos simile (id autem

scripserunt ante tempora Thrasymachi et Isocratis, qui primi numeros invenerunt. Ut autem cetera, sic etiam numerus poeticus ab oratorio differt. In illo certi atque numerati pedes. In hoc pedes quidem sunt, sed neque certi, neque numerati. In illo certa spatia, certi ordines, certique fines : oratorio numero neque certa spatia, neque certi ordines, neque certi fines, sed ad aurium mensuram longis et brevibus ad finem usque decurrit. STREB.

2. *Quam comicorum poetarum.* Jam Horatius dubitari dixit an fabulæ comicæ poemata essent, Sat. I, 4, 45 : « Idcirco quidam comœdia, necne, poema Esset, quæsivere; quod acer spiritus, ac vis Nec verbis, nec rebus inest : nisi quod pede certo Differt sermoni, sermo merus ».

3. *Tamen in ea.* Schützius malit *tamen in eis.*

4. *Nonnullorum voluptati.* Sic Aldus bene pro *voluntati*, quem Junta secutus est. Sic cap. 48, « voluptate aurium morigerari » : sed et *nonnullorum* vitiosum est, ut sensit Lambinus, qui substituit *auditorum*, sensu bene. ERN. — Sch. dedit « nonnulli aurium voluptate », quod J. V. L. placet.

5. *Nec vero, si quid est.* Unum inter eos simile est, judicium, electioque verborum, quod utrique, ut ante diximus, electis verbis, compo-

est judicium, electioque verborum[6]), propterea ceterarum rerum dissimilitudo intelligi non potest : sed id nec dubium est; et, si quid habet quæstionis, hoc tamen ipsum ad id, quod propositum est, non est necessarium.

Sejunctus igitur orator a philosophorum eloquentia[7], a sophistarum, ab historicorum, a poetarum, explicandus est nobis[8], qualis futurus sit.

XXI. (XXI.) Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quærimus) is, qui in foro, causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare, necessitatis est; delectare, suavitatis; flectere, victoriæ; nam id unum ex omnibus ad obtinendas causas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo; in quo uno vis omnis oratoris est. Magni igitur judicii, summæ etiam facultatis esse debebit moderator ille, et quasi temperator hujus tripartitæ[1] varietatis : nam et judicabit, quid cuique opus sit; et poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiæ, sicut reliquarum rerum, fundamentum, sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre. Πρέπον appellant hoc Græ-

sitis, modificatis, numeroque comprehensis utuntur. Quod accipe dictum de elocutione : alioqui multa sunt inter eos similia, multaque dissimilia, tum in inventione, tum in collocatione, sed id nihil habet quæstionis, id est, controversiæ : et si quid habet, ad id quod propositum est, non est necessarium : quoniam de elocutione, non de inventione et dispositione proposita quæstio est. **Sterr.**

6. *Id autem..... verborum.* Hæc Schützius, ut glossema, expunxit.

7. *Eloquentia.* Gothofr. conjecit legendum, vel *locutione*, vel *loquentia.* Sen.

8. *Explicandus est nobis.* Orator *explicari* non satis bene dicitur, saltem duriuscule. Credo Ciceronem scripsisse *explicandum est.* Lapsus causa in promptu est. Ern.

XXI. 1. *Tripartitæ.* Schutz. *tripertitæ.*

ci : nos dicamus sane decorum[2]; de quo et præclare multa[3] præcipiuntur, et res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modo in vita, sed sæpissime et in poematis[4], et in oratione peccatur.

Est autem, quid deceat, oratori videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum; semperque in omni parte orationis, ut vitæ, quid deceat, est considerandum : quod et in re, de qua agitur, positum est, et in personis et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum, longe et late patentem, philosophi solent in officiis tractare, non quum[5] de recto ipso disputant (nam id quidem unum est), grammatici in poetis, eloquentes[6] in omni et genere et parte causarum. Quam enim indecorum est, de stillicidiis quum apud unum judicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus; de majestate populi romani summisse et subtiliter!

XXII. Hic genere toto[1] : at persona alii peccant, aut sua, aut judicum, aut etiam adversariorum; nec re solum, sed sæpe verbo. Etsi sine re[2] nulla vis verbi

2. *Decorum*. Offic. I, 40, decorum est « scientia earum rerum, quæ agentur, aut dicentur, suo loco collocandarum ».

3. *De quo et præclare multa*. Sic Strebæus. Melius vulg. « de quo præclare et multa ». Sch.

4. *Poematis*. Cod. 7703, *poematibus*; 7708, *poemate*. J. V. L.

5. *Non quum..... unum est*. Hæc Schutz. uncis inclusit, ut insititia.

6. *Eloquentes*. Schützius rescripsit *rhetores*, quia Cicero loquitur de magistris eloquentiæ, non de oratoribus. Schützium recte damnat Gœrenz. ad Acad. I, 2. J. V. L.

XXII. 1. *Hic genere toto*. Obscurum : si scribas « hi genere toto », scil. qui de majestate populi subtiliter dicunt, peccant genere toto : « at persona alii peccant », sensus erit probus.

2. *Etsi sine re*. Videtur excidisse *etenim* ante *etsi*, vel *enim* post. Ern. — Schütz. *enim* postposuit cum Lambino.

est, tamen eadem res sæpe aut probatur, aut rejicitur, alio atque alio elata verbo. In omnibusque rebus videndum est, quatenus : etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum[3]. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent, quid esset satis.

(XXII.) Magnus est[4] locus hic, Brute, quod te non fugit, et magnum volumen aliud desiderat. Sed ad id, quod agitur, illud satis : quum hoc decere[5] (quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis, minimis et maximis), quum hoc, inquam, decere dicamus, illud non decere, et id usquequaque, quantum sit, appareat; in alioque ponatur, aliudque totum sit, utrum decere, an oportere dicas (oportere enim, perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est, et omnibus : decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personæ; quod quum in factis sæpissime, tum in dictis valet, in vultu denique, et gestu, et incessu); contraque item dedecere (quod si poeta fugit ut maximum vitium, qui peccat etiam, quum probam orationem affingit improbo, stultove

3. *Magis offendit nimium, quam parum*. Vide Hor. Sat. I, 1, 106. Facilius enim est perfectam rationem assectari, si, qua ad illam itur, via incedis, quam retro pedem legere si semel justos fines supergressus es. J.V. L.

4. *Magnus est locus hic*. Sic edidi pro *esset;* nam sequitur *desiderat:* et sic habet Strebæus in Comment. Fr. Gryph. « est et h. l. » sed *et* locum non habet. Ern. — Schützius reposuit *esset*, quod est in Gu. 1, 2, defenditque Heusingerus hoc sensu : magnus esset locus hic, nisi ageremus.

5. *Quum hoc decere*, etc. Locus hic, usque ad finem capitis, est difficilis ad intelligendum, propter crebras, longiores etiam parentheses, vulgo non animadversas, nec in libris notatas. Sunt autem tres : prima in principio : « quod semper... maximis » : altera, « oportere enim... incessu » : tertia, « quod si... putemus » ; quæ maxime fefellit; eam indicat *sed*, quod post parentheses est pro *igitur, inquam*. In ejus principio *quod si* non est argumentantis, sed pro, quod negotium, sc. τὸ *dedecere*. Series sententiæ est : *Quum hoc* (aliud) *decere dicamus* (sic enim scribendum, non *dicimus*, ut Grut. quia sequitur *et appareat*), *hoc* (aliud) *dedecere*, idque magnum sit

sapientis; si denique pictor ille[6] vidit, quum immolanda Iphigenia tristis Calchas esset, mœstior Ulysses, mœreret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari[7]; si denique histrio[8], quid deceat, quærit : quid faciendum oratori putemus?); sed, quum hoc tantum sit, quid in causis earumque quasi membris faciat, orator viderit : illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

XXIII. (XXIII.) Sequitur, ut cujusque generis nota quæratur, et formula. Magnum opus, et arduum, ut sæpe jam diximus : sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus; nunc quidem jam, quocumque feremur, danda nimirum vela sunt. Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam vocant atticum.

Summissus est, et humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus, quam opinione, differens. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas, imitabilis illa quidem videtur esse existimanti; sed nihil est experienti minus. Etsi enim

usquequaque : aliud porro *decere* et *oportere*, item contra *dedecere* (idque fugiant omnes artifices), sequitur oratorem et in causis totis et in partibus videre debere quid deceat, et genus dicendi rebus accommodare.

6. *Si denique pictor ille.* Ern. emendat *deinde*, quia sequitur « si denique histrio »; sed non desunt alia exempla particulæ *denique* sic repetitæ; ut Acad. II, 44, ubi vide Gœrenzii notam. SCH. — *Pictor ille.* Timanthes, pictor ingeniosissimus, cujus est tabella Iphigeniæ stantis ad aras et perituræ : de qua Plinius, lib. XXXV, cap. 10. PRUST.

7. *Quoniam... non posset imitari.* Vide *Lemierre*, in poemate *de la Peinture*, lib. III, ubi hanc tabellam, ut fuisse videtur, describit. *Voltaire* Timanthis dolum vituperavit. Sed *Diderot*, qui in his artibus judicandis longe peritior erat, Timanthem laudavit, cum Cicerone, Plinio, Val. Maximo, et ceteris Veteribus.

8. *Si denique histrio.* Alludit ad verbum Roscii « caput artis, decere », de Orat. I, 29. J. V. L.

non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiamsi illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valitudine. Primum igitur eum tamquam e vinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam, ut scis, oratori numeri (de quibus mox agemus) observandi ratione quadam, sed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi. Solutum quiddam sit, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quasi coagmentare negligat. Habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re, hominis, magis quam de verbis, laborantis. Sed erit videndum de reliquis[1], quum hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus, conglutinatioque verborum. Illa enim ipsa contracta et minuta[2] non negligenter tractanda sunt; sed quædam etiam negligentia est diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullæ inornatæ, quasi[3] id ipsum deceat: sic hæc subtilis oratio etiam incompta delectat. Fit enim quiddam in utroque[4], quo sit venustius, sed non ut appareat. Tum removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum; ne calamistri quidem adhibebuntur. Fucati vero

XXIII. 1. *Sed erit videndum de reliquis.* Sed alia ei supererunt curanda.

2. *Contracta et minuta. Contracta* ex hiatu: *minuta*, non periodica, sed membra et incisa; nam opponuntur *circuitus* et *conglutinatio verborum*. Ernest.

3. *Quas id ipsum.* Palatinorum duo pr. et sext. *quasi*, egregie: ideo enim potissimum non sese ornant, quia ipso videantur formosiores. Sic Tacitus de Poppæa, lib. XIII Annalium, c. 25: « velata parta oris, ne satiaret aspectu, vel quia sic decebat ». Gaut. — *Quas* recte dedere Aldus et Junta, quum in edd. pr. esset *quasi*, quod in MSS repertum placuit Grut. male: litera ultima adhæsit e sequenti verbo. Si *quasi* verum esset, sensus præcedentis non esset perfectus, legendumque foret *laudantur*, aut simile quid. MS V. habet *quas*. Ernest. — Cui Schützius assentitur.

4. *In utroque.* In contracto et minuto, sive in muliere quæ dicitur inornata, et in subtili oratione incompta.

medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur; elegantia modo, et munditia remanebit. Sermo purus erit, et latinus; dilucideque planeque dicetur; quid deceat, circumspicietur.

XXIV. (xxiv.) Unum aderit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud, suave[1], et affluens; acutæ crebræque sententiæ ponentur, et nescio unde ex abdito erutæ, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit usus oratoriæ quasi supellectilis. Supellex est enim quodam modo nostra, quæ est in ornamentis, alia rerum, alia verborum. Ornatus autem verborum, duplex: unus simplicium, alter collocatorum. Simplex[2] probatur, in propriis usitatisque verbis, quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat[3]; in alienis, aut translatum, aut sumptum[4] aliunde, ut mutuo; aut factum ab ipso, aut novum[5], aut priscum, et inusitatum: sed etiam inusitata, ac prisca, sunt in propriis, nisi quod

XXIV. 1. *Unum aderit... ornatum illud, suave.* Lambinus vidit vulgatam «ornatum illud suave» ferri non posse: reposuit igitur conjectura, ut opinor, «ornamentum illud suave». At quum MSS habeant *ornatum*, sic legendum esse punctis solum mutatis censeo «unum aderit, quod quartum n. T. in o. laudibus ornatum, illud suave et affluens». Potius enim Cicero videtur dixisse «quartum ornatum» quam «ornatum suave». PEARC.

2. *Simplex probatur.* Schütz. corrigit «simplicium probatur», dicitque sensum esse: *simplicium* verborum, in propriis usitatisque verbis, probatur id quod aut optime sonat, aut rem maxime explanat.

3. *Explanat; in alienis.* Omnino hic locus vitiosa interpunctione laboravit, quam nos correximus. Vulgo «explorat. In alienis». ERN.

4. *Aut sumptum.* Sic sine dubio legendum est, pro vulg. *aut factum*, quia sequitur *ut mutuo*: sed mutuo non fit aliquid, sed sumitur. Unde «mutuationes verborum», supra Orat. III, 38. Infra cap. 62: «verbum a simili mutuari». Sic in fine cap. «si res nullum habet nomen, docendi causa sumptum videtur». Vitium ortum e sequente, «aut factum ab ipso». Itaque non dubitavi sic corrigere. ERN. — Schützius dedit *et sumptum* cum Lambino, quod et Pearcio placuerat, quia non diversæ sunt res, id quod sumptum sit aliunde, et id quod translatum sit.

5. *Aut novum.* Schützius scribit *et novum* quasi sensu postulante: et hoc jam Pearcius senserat: disjungi, inquit,

raro utimur. Collocata autem verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. Nam sententiarum ornamenta, quæ permanent, etiamsi verba mutaveris, sunt illa quidem permulta, sed, quæ emineant, pauciora.

Ergo ille tenuis orator, modo sit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, et in transferendis verecundus, et parcus in priscis[6], reliquisque ornamentis et verborum et sententiarum demissior; translatione fortasse crebrior, qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum: siquidem est eorum, « gemmare vites, sitire[7] agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta[8] ». Nihil horum[9] parum[10] audacter, sed aut simile est illi, unde

non debere videntur, voces *factum* et *novum* : quæ enim *facta* sunt ab ipso ideo sunt *nova*. Nec aliter Cicero de Or. II, 38 : « Novantur verba quæ ab eo qui dicit ipso gignuntur ac fiunt, vel conjungendis verbis... vel sine conjunctione ». Aut igitur legamus cum Lambino, *ut novum*, aut, ut ego malim, *et novum*. Utrovis modo rectius se habebit sententia, quam si sequamur MS Harl. qui deleto *aut* exhibet « aut factum ab ipso novum ».

6. *Et parcus in priscis, reliquisque.* Ita ex veterrima editione Rivius, firmatque Memmianus. Postea editi « et parcus et in priscis, reliquisque », quod et in Pall. Grut.

7. *Sitire agros.* Ed. Ven. *lascivire*, melius, ut opinor : nam *sitire* est poeticum ; *lascivia* de agris, pecoribus, etiam vulgo dicebatur. Ern.—Schütz. dedit *lascivire*, addens auctoritatem cod. Guelf. et probante Schneidero.

8. *Gemmare vites... luxuriosa frumenta.* Hæ translationes similiter gallico sermone usitantur, in quo vulgo dicitur, ut vertit J. V. L. *les yeux de vigne, des prairies altérées, une campagne riante*. Sed non ita facile in vulgari sermone contra quod fiebat apud Latinos ut ex h. l. patet, gallice dicitur *le luxe des blés*, quod verbum non nisi apud poetas receptum est, ex quo *Lafontaine* hoc usurpavit, lib. IX, fab. II, iterumque admisit *Delille*, Georg. I, 112 : « Il livre à ses troupeaux le vain luxe des herbes ».

9. *Nihil horum..., sed aut. Horum* potest referri ad exempla quæ præcedunt : sed quia sequentia non ferunt satis, melius est ad totum genus referre. Quidquid ex illo genere dicitur, habet plerumque multum audaciæ in transferendo : *sed* tamen fertur, quia aut nititur perspicua similitudine, aut quia necessitas coegit. Hic est sensus loci a brevitate subobscuri. Ern.

10. *Parum audacter.* Schutzius dat *partum aud.* quod J. V. L. se intelligere negat.

transferas; aut, si res suum nullum habet nomen, docendi causa sumptum, non ludendi, videtur. Hoc ornamento liberius paullo, quam ceteris, utetur hic summissus; nec tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplissimo.

XXV. (XXV.) Itaque illud indecorum (quod quale sit, ex decoro debet intelligi) hic quoque apparet, quum verbum aliquod altius transfertur, idque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci, quasi aliquos gestus orationis, σχήματα appellant (quod idem verbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur), adhibet quidem hic subtilis (quem, nisi quod solum, ceteroquin recte quidam[1] vocant atticum), sed paullo parcius. Nam, sicut[2] in epularum apparatu, a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem videri volet; eliget, quibus utatur. Sunt enim pleræque aptæ[3] hujus ipsius oratoris, de quo loquor, parcimoniæ. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt, paria paribus relata[4], et similiter conclusa[5], eodemque pacto cadentia, et im-

XXV. 1. *Recte quidam.* Sic pro *quidem* : illi scilicet quos sæpe reprehendit Cicero, non omnes. Sic edd. Ven. Med. Ald. Junt. Lips. Gryph. Ern.

2. *Nam, sicut.* Ed. Med. Ald. Lips. Junt. Gryph. *Nam, si ut in epul.* nec hoc male. In vulgata interpungendum post *nam*, sicut fecimus. Ern.

3. *Sunt enim pleræque aptæ.* Non est quo referatur *pleræque*. Pertinet autem hoc totum ad illa σχήματα. Itaque scripserim *pleraque apta* : idque firmant sequentia: nisi velis intelligere *figuræ* ex verbo græco. Ern.— Schutz. corrigit : «Non sunt enim peræque apta». Causa, inquit, præcipiendi, ut orator tenuis ex istis ornamentis eligat, quibus utatur, in eo est, quia non sunt peræque apta ejus parcimoniæ : quod deinde confirmatur his verbis : «nam illa... huic acuto fugienda sunt».

4. *Paria paribus relata.* Πάρισον Græci dicunt quum membrum unum alteri prope ex æquo respondet. Cujusmodi est istud Ciceronis ad Quint. Fratrem, lib. II, epist. 2 : «Tu vero ut me appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare velim». Proust.

5. *Similiter conclusa.* Quum voces

mutatione literæ[6] quasi[7] quæsitæ venustates; ne elaborata concinnitas, et quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemque si quæ verborum iterationes[8] contentionem aliquam, et clamorem requirent, erunt ab hac summissione orationis alienæ: ceteris promiscue poterit uti; continuationem verborum modo relaxet[9], et dividat, utaturque verbis quam usitatissimis, translationibus quam mollissimis; etiam illa sententiarum lumina assumat[10], quæ non erunt vehementer illustria. Non faciet rempublicam loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans una complexione devinciet. Valentiorum hæc laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut exspectanda, aut postulanda: erit enim ut voce, sic etiam oratione suppressior. Sed pleraque ex illis[11] convenient etiam huic tenuitati; quamquam iisdem ornamentis utetur horridius: talem enim inducimus.

Accedet[12] actio non tragica, nec scenæ, sed modica[13] jactatione corporis, vultu tamen multa confi-

simili modo clauduntur ut in illis versiculis ab Hadriano imperatore moriente, ut refert Spartianus, compositis: «Animula, vagula, blandula Hospes, comesque corporis, Quæ nunc abibis in loca Pallidula, rigida, nudula, Nec, ut soles, dabis jocos». et plenæ sunt talibus Ciceronis orationes. Cf. Catil. I, 1 et 4; ad Herenn. IV, 14, etc.

6. *Immutatione literæ.* Sic «hæc res potius oneri fuit, quam honori»: tale et illud Ovidii de Arte Am. I, 244: «Et Venus in venis, ignis in igne fuit».

7. *Quasi quæsitæ.* Lambinus delet *quasi*, quod sane melius abest, ac fortasse inter verba *quoddam* et *aucupium* transponendum. Sch.

8. *Iterationes.* Sic «occidi, occidi, non Sp. Melium», pro Milone, c. 27,

9. *Continuationem verborum modo relaxet.* Id est, interponat membra periodis et breviores faciat. Ern.

10. *Assumat.* Schütz. *assumet.*

11. *Ex illis*, scil. sententiarum luminibus. Cf. supra «etiam illa sentent. lum. assumat».

12. *Accedet.* Vulgo *accedit*, quod esse vitiosum facile quisque diligens lector sentiat: nam futura præcedunt «non faciet... erit... utetur»: sic et in sqq. Ern.

13. *Modica.* Hoc vocabulum est actionis epitheton, i. q. modica in corpore jactando. Sch.

cieus : non hoc, quo dicuntur os ducere, sed illo, quo significant ingenue, quo sensu quidque pronuntient.

XXVI. (XXVI.) Huic generi orationis adspergentur etiam sales, qui in dicendo nimium quantum[1] valent : quorum duo genera sunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque : sed altero in narrando aliquid venuste, altero in jaciendo, mittendoque ridiculo[2] : cujus genera plura sunt; sed nunc aliud agimus. Illud admonemus tamen, ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit; nec subobscœno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum[3]; nec in calamitatem, ne inhumanum; nec in facinus, ne odii locum risus occupet; neque aut sua persona, aut judicum, aut tempore alienum : hæc enim ad illud indecorum referuntur. Vitabit etiam quæsita, nec ex tempore ficta, sed domo allata : quæ plerumque sunt frigida. Parcet et amicitiis, et dignitatibus; vitabit insanabiles contumelias; tantummodo adversarios figet, nec eos tamen semper, nec omnes, nec omni modo. Quibus exceptis, sic utetur sale et facetiis, ut ego ex istis novis atticis talem cognoverim neminem, quum id certe sit vel maxime atticum.

Hanc ego judico formam summissi oratoris, sed magni tamen, et germani attici : quoniam quidquid est salsum[4] aut salubre in oratione, id proprium at-

XXVI. 1. *Nimium quantum.* Sic post Gruterum multi : alii, ut Lall. prætulere *mirum quantum.* J. V. L.

2. *Mittendoque ridiculo.* In hoc Schützio videtur esse frigida tautologia : ideo corrigit *remittendo*, quod est cavillationi salse respondere, quodque Quintilianus, Inst. Or. VI, 3, 45, appellat *repercutere.*

3. *Nec subobscœno, ne mimicum; nec petulanti, ne improbum.* Hæc absunt in ed. Lallem. — *Ne mimicum.* Hoc bene Aldus cum Junt. dedit pro *inimicum*, quod est in MSS et edd. prioribus. Ed. Lips. pariter *mimicum* habet, sed *nec* pro *ne*, ut Ven. item Gryph. etc. Ern.

4. *Salsum.* Sic h. l. Quintilianus legit, VI, 3, 18. Lallem. dedit *sanum.* Sch.

ticorum est; e quibus tamen non omnes faceti: Lysias satis, et Hyperides[5]; Demades[6] præter ceteros fertur. Demosthenes minus habetur; quo quidem mihi nihil videtur urbanius: sed non tam dicax fuit, quam facetus. Est autem illud acrioris ingenii, hoc majoris artis.

XXVII. (XXVII.) Uberius est aliud, aliquantoque robustius[1], quam hoc humile, de quo dictum est; summissius autem, quam illud, de quo jam dicetur, amplissimum. Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis[2] autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum; quam autem illud ornatum, copiosumque, summissius. Huic omnia[3] dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est, in hac orationis forma, suavitatis. In qua multi floruerunt apud Græcos: sed Phalereus Demetrius[4] meo judicio præstitit ceteris; cujus oratio quum sedate placideque

5. *Hyperides.* Quem dulcem et acutum Quint. vocat. Inter ejus celeberrimas orationes erat, quam habuit pro meretrice Phryne impietatis rea. Sed tamen, si credas Quint. II, 15: « Phrynem non Hyperidis actione, quamquam admirabili, sed conspectu corporis.... putant periculo liberatam ».

6. *Demades.* E nauta factus est orator; non doctrina, sed ingenio pollebat: magnam apud Philippum præ eloquentia habebat auctoritatem: alii ab Antipatro, alii a Cassandro eum occisum esse dicunt. Hujus operum nihil jam supererat, quum Cicero scriberet.

XXVII. 1. *Aliquantoque robustius.* Se, non qua vim, quæ ab hoc genere abest, ut paullo post dicit, sed qua formam orationis, quæ est in eo genere orationis latior, ornatior et numerosior. Ern. — De hoc styli genere vid. *Rollin*, *Traité des études*, lib. III, cap. 3, art. 1, sect. 3; *Marmontel*, *Éléments de Littérature*, verbo *tempéré*.

2. *Suavitatis.* Schützius dat *sanguinis. Suavitatem*, inquit, in hoc genere esse postea dicitur: nec bene opponitur *suavitas nervis*. Ut de genere tenui dictum erat, « id non plurimi sanguinis esse », c. 23, sic in genere medio *nervorum* vel minimum, *sanguinis* plurimum esse dicitur. Atque sic Quintilianus, Institution. Orat. lib. X, cap. 1, 60, in Archilocho dicit: « esse plurimum sanguinis atque nervorum ».

3. *Huic omnia.* Fortasse excidit *fere*. Sch.

4. *Phalereus Demetrius.* Hic est ultimus Atticorum oratorum. Vid. in Bruto.

loquitur[5], tum illustrant eam, quasi stellæ quædam, translata[6] verba, atque immutata.

Translata ea dico, ut sæpe jam, quæ per similitudinem ad aliam rem[7], aut suavitatis, aut inopiæ caussa, transferuntur. Mutata[8], in quibus pro verbo proprio[9] subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit[10], quum dixit Ennius, « arcem et urbem orbas[11] »; alio modo, si pro patria arcem dixisset : et « horridam Africam terribili tremere tumultu » quum dicit, pro Afris immutat Africam[12]. Hanc hypallagen rhetores, quia quasi summutantur[13] verba pro verbis; metonymiam[14] gram-

5. *Loquitur.* Schütz. ex conjectura Purgoldi *labitur.*

6. *Translata.* Sic cudd. omnes nostri. Ibi et infra vulgo *tralata*. J. V. L.

7. *Ad aliam rem.* Sic cudd. omnes nostri. Vulgo *ab alia re.* J. V. L.

8. *Mutata.* Sch. emendat *immutata*, probabiliter. J. V. L.

9. *Pro verbo proprio subjicitur.* Schutzius « pro verbo proprio proprium subjicitur », conferrique jubet de Orat. III, 42.

10. *Tamen alio modo transtulit.* Alia est translatio, quum sumit Ennios *arcem* pro Capitolio, alia, si sumeret *arcem* pro patria. Prima translationis modus refertur ad synecdochen, qua genus ponitur pro specie : alter ad metaphoram, qua propter similitudinem res una substituitur alteri : ut enim arx et defendit et defendi debet, sic patria cives tuetur eamque singuli debent tueri. Damus fortasse plusculum conjecturæ; sed quid aliud in evolvendis veterum fragmentis exspectes? Proust.

11. *Arcem et urbem orbas; alio modo, si pro patria arcem dixisset.* Pal. pr. et sec. qui hic primum auspicantur suum oratoris initium, veriorem, mea sententia, lectionem continent : « ardent urbem orbam; alio modo, si patriam ardere dixisset » : loquitur enim de Roma a Gallis incensa, civibusque suis viduata, qui in Capitolium refugerant : hinc liquet quid sentire debeamus de Lambini editione, quæ nobis supposuit « arce et orbe orba sum, etc. » e Tusc. III, 19; conjecturam esse scilicet plus quam humanam. Gruter. — Ernest. correctioni Gruteri assentitur; Schützius autem Lambinum sequutus est, dicens translationem hic esse in voce *orba*. Idem Lambinus « pro patria arcem et urbem dix. » quod placet Schützio.

12. *Pro Afris immutat Africam.* Apud Grut. *immutate*, quod ei placet. Placeret et mihi, si verbum esset, unde hoc adverbium penderet. Ern.

13. *Quia quasi summutantur.* Pithœi liber *sumunt tamen*. Pall. ambo *sumunt tantum* : forte, *submittantur*, adnotatum Gulielmio. Grut.

14. *Metonymiam.* Hanc vocem

matici vocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi hæc ipsa subjungit, et abusionem, quam κατάχρησιν vocant: ut, quum minutum dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis[15] propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet[16]. Jam quum fluxerunt[17] plures continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc[18] Græci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte; genere melius ille, qui ista omnia[19] translationes vocat. Hæc frequentat Phalereus maxime, suntque dulcissima: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores.

In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latæ eruditæque disputationes ab eodem explicantur[20], et loci communes sine contentione dicuntur. Quid multa? e philosophorum scholis tales fere evadunt: et, nisi coram erit comparatus ille fortior, per se hic, quem dico, probabitur. Est enim[21] quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes ver-

græce Sch. scribit, ut supra *hypallagen.*

15. *Verbis propinquis.* Ut, quum Virgilius dicit *equum ædificant*, pro *fabricantur*; quæ sunt propinqua verba, quia ex eodem opificio sunt. Juvenalis *ædificare caput* pro *exstruere*, ornando, comendo. Ern.

16. *Vel quod decet.* Ut quum verbo humili et sordido substituitur aliud honestum. MS V. edd. Ven. Lips. *licet.* Ern.

17. *Jam quum fluxerunt.* Pall. iidem *Jam confluxerunt*, ut forte perierit ob similitudinem *quum*, rescribendumque sit, *Jam quum confluxerunt*, ut dudum notatum aliis. Gaut. — Sed hoc Ernest. non necessarium dicit.

18. *Genus hoc.* Pro his Sch. *hanc* verius esse putat.

19. *Qui ista omnia transl.* Cod. 7703, *qui omnia tamen transl.* J. V. L.

20. *Explicantur... dicuntur.* Sch. cum Guelf. 3, probante Heusingero « explicabuntur... dicentur », quia hoc est præcipientis.

21. *Est enim... et expolitum genus.* Heusingero videbatur legendum: « Est autem quoddam etiam insigne et florens orationis pictæ et expolitæ genus »; in quo tamen *autem* minime

borum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum; sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.

XXVIII. (xxviii.) Tertius est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cujus ornatum dicendi et copiam admiratæ gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere passæ sunt; sed hanc eloquentiam, quæ cursu magno, sonituque ferretur, quam suspicerent omnes, quam admirarentur, quam se assequi posse diffiderent. Hujus eloquentiæ est tractare animos, hujus omni modo permovere. Hæc modo perfringit, modo irrepit in sensus; inserit novas opiniones, evellit insitas. Sed multum interest inter hoc dicendi genus et superiora. Qui in illo subtili et acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret, hoc uno perfecto, magnus orator est, si non maximus; minimeque in lubrico versabitur, et, si semel constiterit[1], numquam cadet. Medius ille autem, quem modicum et temperatum voco, si modo suum illud satis instruxerit, non extimescet[2] ancipites dicendi incertosque casus; etiam, si quando minus succedet, ut sæpe fit, magnum tamen periculum non adibit: alte enim cadere non potest. At vero hic noster, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, si ad hoc unum est natus, aut in hoc solo se exercuit,

placet. Nam particula *enim* rationem significat, cur antea dixerit : « e philosophorum scholis tales fere evadunt », ac non potius *tales* simpliciter. Sch.

XXVIII. 1. *Si semel constiterit, numquam cadet.* Eleganter pro, si recte et e lege generis sui dicere cœperit. Ductum est ab histrionibus. Ernest.

2. *Non extimescet.* Sic est scribendum, non *extimescit;* nam est inter media futura « numquam cadet... non adibit ». Sensus est : non timebit, aut timere debet, ne frigidus, tumidus fiat, aut deficiat. Ern.

aut huic generi studet[3] uni, nec suam copiam cum illis[4] duobus generibus temperavit[5], maxime est contemnendus. Ille enim summissus, quod acute et veteratorie dicit, sapiens jam; medius, suavis; hic autem copiosissimus, si nihil est aliud, vix satis sanus videri solet. Qui enim nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, præsertim quum causæ partim totæ sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, si is[6] non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur.

XXIX. (XXIX.) Tenemus igitur, Brute, quem quærimus; sed animo : nam manu si prehendissem, ne ipse quidem sua tanta eloquentia mihi persuasisset, ut se dimitterem. Sed inventus profecto est ille eloquens, quem numquam vidit Antonius. Quis est igitur is? Complectar brevi, disseram pluribus. Is enim est eloquens, qui et humilia subtiliter, et magna[1] graviter, et mediocria temperate potest dicere.

Nemo is, inquies, umquam fuit. Ne fuerit : ego enim, quid desiderem, non, quid viderim, disputo; redeoque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formam et speciem : quam etsi non cernimus, tamen animo tenere possumus. Non enim eloquentem[2] quæ-

3. *Studet uni*. Schütz. dat *studeat* cum Guelf. 3.

4. *Cum illis gen*. Sch. delet *cum* auct. Guelf. 3.

5. *Temperavit*. Fero, sed tamen melius foret *temperat*, quia præcedit « huic generi studet uni ». ERN.

6. *Si is... inflammare rem*. De re vid. ad Orat. II, 52. Melius ceterum esset *is si*. Ita enim melius responderet antecedentibus : « qui enim nihil potest ». ERN.

XXIX. 1. *Et magna*. Schütz. dat *et alta* ex Gu. 3, ut elegantius, quod opponitur præcedenti *humilia*.

2. *Non enim eloquentem quæro*. Fortasse Cicero addidit : *qui fuerit*, vel *qui vixerit* : nisi forte legendum : « non enim hominem quæro », sicut infra § 112 : « quando quidem de genere, non de homine quærimus ». SCH. — Nihil mutandum. *Eloquentem* eodem sensu eademque vi dixisset qua dixisset *hominem*, quæ vox subauditur.

ro, neque quidquam mortale[3], et caducum, sed illud ipsum, cujus qui sit compos, sit eloquens : quod nihil est aliud, nisi eloquentia ipsa, quam nullis, nisi mentis oculis videre possumus. (XXX.) Is erit igitur eloquens, ut idem illud iteremus, qui poterit parva summisse, modica temperate, magna graviter dicere. Tota mihi causa pro Cæcina[4] de verbis interdicti fuit: res involutas definiendo explicavimus; jus civile laudavimus; verba ambigua distinximus. Fuit ornandus in Manilia lege[5] Pompeius : temperata oratione ornandi copiam persequuti sumus. Jus omne retinendæ majestatis Rabirii[6] causa continebatur : ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At hæc interdum temperanda et varianda sunt. Quod igitur in accusationis quinque[7] libris non reperitur genus? quod in Aviti? quod in Cornelii? quod in plurimis nostris defensionibus? quæ exempla selegissem, nisi vel nota esse arbitrarer, vel posse eligere[8], qui quærerent. Nulla est enim ullo in genere laus oratoris[9], cujus in nostris orationibus non sit aliqua, si non perfectio, at

3. *Neque quidquam mortale.* Idea ex mente Platonis nec mutationi, nec corruptioni obnoxia est : orator autem caducus et mortalis. PAUST.

4. *Causa pro Cæcina.* Quam habuit, ut videtur anno U. C. 684.

5. *Fuit ornandus in Manilia lege.* Quam orationem habuit anno Urbis cond. 687.

6. *Rabirii causa.* Rabirium perduellionis reum Cicero defendit anno U. C. 690. Deerat hujus orationis peroratio, quam nuper Romæ inventam a Niebuhr. J. V. L. primus in suam ed. intulit.

7. *In accusationis quinque libris.* Edidi cum Lambino *quinque* pro vulgato *septem*, ut volebat etiam Hotomannus ad Div. in Verr. pr. *septem* est a Barzizio, sequuto consuetudinem exemplarium in Verrinis, quæ initium numerandi faciunt a Divinatione in Cæcilium. Cicero quidem ipse infra, cap. 62, librum secundum accusationis facit eum, in quo est de laudibus Siciliæ. ERNEST. — Verum esse *quinque* J. V. *Le Clerc* collegit etiam ex fine cap. 49.

8. *Vel posse eligere.* Sch. dat « vel ipsi possunt eligere », quod eruit e vestigiis Guelf. 3, ubi est : « vel opes possent legere ».

9. *Laus oratoris.* In Gu. 3 abest *oratoris*. SCH.

conatus tamen, atque adumbratio. Si non[10] assequimur; at, quid deceat, videmus.

Nec enim nunc de nobis, sed de re dicimus : in quo tantum abest, ut nostra miremur, ut usque eo difficiles ac morosi simus, ut nobis[11] non satisfaciat ipse Demosthenes; qui quamquam unus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non semper implet aures meas : ita sunt avidæ et capaces, et semper aliquid immensum infinitumque desiderant.

XXX. Sed tamen, quoniam et hunc tu oratorem cum ejus studiosissimo Pammene, quum esses Athenis, totum diligentissime cognovisti, neque eum dimittis e manibus, et tamen nostra etiam lectitas : vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari; illum posse, nos velle, quocumque modo causa postulet, dicere. Sed ille magnus; nam et successit ipse magnis, et maximos oratores habuit æquales : nos magnum fecissemus, si quidem potuissemus, quo contendimus, pervenire, in ea urbe, in qua, ut ait Antonius, auditus eloquens nemo erat. Atqui, si Antonio Crassus eloquens visus non est, aut sibi ipse, numquam Cotta visus esset, numquam Sulpicius, numquam Hortensius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpicius, non multa graviter Hortensius[1]. Superiores magis ad omne genus apti, Crassum[2] dico, et Antonium. Jejunas igitur hujus multiplicis, et æquabiliter in omnia genera fusæ orationis aures civitatis accepimus; easque nos primi, quicumque eramus, et quan-

10. *Si non assequimur.* Sic duo codd. nostri 7703, 7704, ut et Gud. 1. Vulgo : *non assequimur.* J. V. L.

11. *Ut nobis non s. i. Dem.* Videtur excidisse *interdum*; cf. Quint. X, 1, 24. Sch.

XXX. 1. *Cotta... Sulpicius... Hortensius.* De Cotta et Sulpicio, vid. Brut. cap. 55; de Hortensio, cap. 88 et sqq.

2. *Crassum.* De quo vid. Orator, cap. 38.

tulumcumque dicebamus, ad hujus generis [dicendi] audiendi incredibilia[3] studia convertimus.

Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum[4] ? quæ nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire cœpimus. « Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant[5]; ita jactantur fluctibus, ut numquam alluantur[6]; ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant », et quæ sequuntur. Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione, laudati[7]. Ab hac indole jam illa matura : « Uxor generi, noverca filii, filiæ pellex[8] ». Nec vero hic unus erat[9] ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus[10]. Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundantia[11] multa habet attenuata, quædam etiam paullo hilariora[12], ut pro Avito, pro Cor-

3. *Ad hujus generis [dicendi] aud. incr. st.* Hæc esse a Cicerone sic scripta « dicendi audiendi », numquam crediderim : *dicendi* est sine dubio e glossa. Ern. — Sch. hoc delevit cum Gu. 3.

4. *De supplicio parricidarum.* Exsolat istud totum e Pall. pr. et sec. Grut. sicut et Pithœano, et Gu. 3, quod abesse potuisse visum est Grutero, Schutzio et J. V. L. Locus est pro Roscio Amerino, cap. 26; cf. Quint. XII, 6.

5. *Terram non tangant.* Sic edidi cum Aldo, Junt. Gryph. pro *terra non tangat*, quod et in MSS repertum est, et ad orat. pro Roscio Am. probat Hotomannus. Sic et ed. Lips. Ern. — *Terram non tangant* etiam est in duobus Pall. et Pithœano : sed *terra non tangat* in codicibus a J. V. L. collatis.

6. *Alluantur.* Ern. dedit *abluantur*, quod est in ed. Ven. Med. Ald. et tuetur ad orat. pro Roscio Am. Græv. — Idem est in Pall. duobus et Pithœano. Sch. dedit *alluantur.*

7. *Laudati.* Lamb. *laudata.* Sch.

8. *Filiæ pellex.* Pro Cluentio Avito, cap. 70.

9. *Hic unus erat.* Sch. cum Gu. 3, *hic erat unus.*

10. *Omnia diceremus.* Idem Schutzius cum eodem Gu. 3, « diceremus omnia ».

11. *Ipsa enim... redundantia multa.* Fortasse legendum : « ipsa enim illa (sc. oratio) pro Roscio in juvenili redundantia multa habet, etc. »

12. *Hilariora, ut pro Avito.* Sic

nelio, compluresque aliæ : nemo enim orator tam multa, ne in Græco quidem otio, scripsit, quam multa sunt nostra; eaque hanc ipsam habent, quam probo, varietatem.

XXXI. (XXXI.) An ego Homero, Ennio, reliquis poetis, et maxime tragicis concederem, ut ne omnibus locis eadem contentione uterentur, crebroque mutarent, nonnumquam etiam ad quotidianum genus sermonis accederent; ipse numquam ab illa acerrima contentione discederem? Sed quid poetas divino ingenio profero? histriones eos vidimus [1], quibus nihil posset in suo genere esse præstantius, qui non solum in dissimillimis personis satisfaciebant, quum tamen in suis versarentur, sed et comœdum in tragœdiis, et tragœdum in comœdiis admodum placere vidimus. Ego non elaborem? Quum dico me [2], te, Brute, dico: nam in me quidem jampridem effectum est, quod futurum fuit. Tu autem eodem modo omnes causas ages? aut aliquod causarum genus repudiabis? aut in iisdem causis perpetuum et eumdem [3] spiritum sine ulla commutatione obtinebis? Demosthenes quidem, cujus nuper inter imagines tuas ac tuorum (quod eum, credo, amares), quum ad te in Tusculanum ve-

certe rescripsit Cicero, non «hilsriora. At pro Avito». Nam id nullum sensum habet. *Hilariora* snot, nt pro Roscio locus de accusatoribus, de causis parricidii, et pro Avito, de notis censoriis et alia. ERN. — Si tameo vulgata lectio placeat, hoc modo locus constituatur : «at pro Avito... aliæ (nemo enim... nostra) hanc ipsam». SCH.

XXXI. 1. *Histriones eos vidimus*. Sic edidi pro *videmus*, hic et paullo post : nam et de mortuis loquitur, et sequitur *post*. Sic et edidit Aldus, Junt. Gryph. et in altero loco habet ed.Ven.Med. Ald. Lips. ed.Ven.Med. habet primo loco *audimus*. Si esset *audivimus*, non displiceret, propter varietatem : et forte *audiimus* contractum esset in *audimus* : sed tamen magis de actione sermo est universa, quam de sola pronuntiatione. ERN. — *Audimus* ed. Omnib. SCH.

2. *Quum dico me*. Guelf. 3 exhibet, «Me quum dico, te, Brute, dico». SCH.

3. *Perpetuum et eumdem*. Schütz. sensus causa delevit.

nissem, imaginem ex ære vidi, nihil Lysiæ subtilitate cedit, nihil argutiis et acumine Hyperidi, nihil lenitate Æschini, et splendore verborum. Multæ sunt ejus totæ orationes subtiles, ut contra Leptinem; multæ totæ graves, ut quædam Philippicæ; multæ variæ, ut contra Æschinem, falsæ legationis, ut contra eumdem pro causa Ctesiphontis. Jam illud medium quoties vult, arripit, et a gravissimo discedens[4], eo potissimum delabitur. Clamores tamen tum movet, et tum in dicendo plurimum efficit, quum gravitatis locis utitur.

Sed ab hoc parumper abeamus; quandoquidem de genere, non de homine quærimus: rei potius, id est, eloquentiæ vim et naturam explicemus. Illud tamen, quod jam ante diximus, meminerimus, nil nos præcipiendi causa esse[5] dicturos, atque ita potius acturos, ut existimatores videamur loqui, non magistri[6]. In quo tamen longius sæpe[7] progredimur, quod videmus, non te hæc solum esse lecturum, qui ea multo, quam nos, qui quasi docere videamur, habeas notiora; sed hunc librum, etiamsi minus nostra commendatione, tuo tamen nomine divulgari necesse est[8].

XXXII. (XXXII.) Esse igitur perfecte eloquentis puto,

4. *Discedens.* Schützius corrigit *descendens*, ut metaphoræ constantia servetur: sic *ascendere* et *delabi* opponuntur, Partit. or. cap. 12.

5. *Causa esse dicturos.* Ern. delet *esse* cum edd. pr. Ven. Med. idque melius sonare dicit.

6. *Ut exist... non magistri.* Infra cap. 33, « judicem esse me, non doctorem volo ». In Gu. 3, est « existimatione videamur ..... magisterio », quod ex Interpretatione Grammatici fluxit. Sch.

7. *Sæpe progr. Sæpe*, quod vulgo abest, addidit Sch. e Gu. 3, J.V. L. e tribus suis codd.

8. *Divulgari necesse est.* Scribendum videtur *esse*, ne constructio non constet: videmus, non te solum esse lecturum, sed hunc librum etiam divulgari necesse esse. Nisi Cicero variavit orationem, ne *esse* ter concurreret. In ed. Ven. abest *commendatione*, sed est tamen *nostra*, non *nostro*, ut ad *nomine* referatur, quod non displiceret. Ern.

non eam solum[1] facultatem habere, quæ sit ejus propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus atque finitimam, dialecticorum scientiam assumere. Quamquam aliud videtur[2] oratio esse, aliud disputatio; nec idem loqui esse[3], quod dicere: attamen utrumque in disserendo est[4]. Disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit; oratorum autem, dicendi et ornandi. Zeno quidem ille, a quo disciplina stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam quum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticam aiebat ejusmodi esse; quum autem diduxerat, et manum dilataverat[5], palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque[6] etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticæ: ut hoc videlicet differant inter se, quod hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic summo omnem, quæ ad dicendum trahi possit[7], loquendi rationem esse notam: quæ quidem res[8] (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habet[9] docendi viam. Nam et ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima disserendi; et postea, qui

XXXII. 1. *Solum*. Schützius *tantum* cum Gu. 3.

2. *Quamquam aliud videtur... ornandi. Zeno quidem*. Hunc locum sic expressit Lambinus: « quamquam enim aliud videatur esse oratio, aliud disputatio: nec idem loqui esse, quod dicere: et quamquam disputandi ratio, et loquendi, dialecticorum sit, oratorum autem dicendi et ornandi: attamen utrumque in disserendo est. Zeno quidem ».

3. *Loqui esse*. Sch. delevit *esse* cum Gu. 3.

4. *In disserendo est. Disp. ratio*. Schütz. dat: « in disserendo est, ut disp. ratio ».

5. *Dilataverat*. Sch. cum Gu. 3, *dilatarat*.

6. *Atque etiam ante*. Schütz. delet *etiam* cum Gu. 3.

7. *Trahi possit*. *Trahi*, i. e. assumi. Nihil igitur opus erat ex edit. Ven. revocari lectionem *tradi*, quod fecit Ernest. Scн. — Cui J. V. L. assentitur.

8. *Quæ quidem res*, etc. Scilicet dialectica.

9. *Habet*. Camer. cum aliis *habuit*. Scн.

dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo eum censeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non esse earum rerum omnino rudem; sed vel illa antiqua, vel hac Chrysippi[10] disciplina institutum[11]: noverit primum vim, naturam, genera verborum, et simplicium, et copulatorum; deinde quot modis quidque dicatur; qua ratione, verum falsumne sit, judicetur; quid efficiatur e quoque; quod cui[12] consequens sit, quodque contrarium; quumque ambigue multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi, explanarique oporteat. Hæc tenenda sunt oratori: sæpe enim occurrunt. Sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

XXXIII. (xxxiii.) Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur et via, primum constituendum est, quid quidque sit (nisi enim inter eos, qui disceptant[1], convenit, quid sit illud, de quo ambigitur, nec recte disseri, nec umquam ad exitum perveniri potest): explicanda est sæpe verbis mens nostra de quaque re, atque involutæ rei[2] notitia definiendo aperienda est; siquidem definitio est oratio, quæ, quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime. Tum, ut scis, explicato genere cujusque rei, videndum est, quæ sint ejus generis sive formæ[3], sive partes, ut in

10. *Chrysippi.* Chrysippus, Cleanthis discipulus, ingenio erat acuto et disputationis amanti; opus de logica composuerat, quod multi apud Veteres fiebat; dicebantque, si dii ratiocinatione uterentur, non aliter ac Chrysippus eos ratiocinaturos esse.

11. *Institutum : noverit.* Schützius cum Gu. 3, probante Heusingero, *institutus, noverit.*

12. *Quod cui consequens sit, quodque.* Sch. recepit e Gu. 3, « quid cuique e. s. quidque ».

XXXIII. 1. *Disceptant.* Recte sic Guelf. 3. Vulgo *discepteut.* Sch.

2. *Involutæ rei.* Schützius dat *involuta* cum Gu. 3. Etsi, inquit, Cicero alibi etiam *res involutas* dicit, hoc loco tamen eidem verbo, cui adhæret *aperienda est*, tribui debet *involuta.* Cf. Tusc. Disp. IV, 24.

3. *Quæ sint ejus generis sive for-*

eas tribatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus esse eloquentem, ut definire rem possit, neque id faciat tam presse et anguste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet; sed quum explanatius, tum etiam uberius[4], et ad commune judicium popularemque intelligentiam accommodatius. Idemque etiam, quum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque prætermittatur, neque redundet, partietur ac dividet. Quando autem, aut quomodo id faciat[5], nihil ad hoc tempus: quoniam, ut supra dixi, judicem me[6] esse, non doctorem volo.

Nec vero dialecticis modo sit instructus, sed habeat omnes philosophiæ notos et tractatos locos. Nihil enim de religione, nihil de morte[7], nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de virtutibus, aut vitiis, nihil de officio [8], nihil de dolore, nihil de voluptate, nihil de perturbationibus animi, et erroribus, quæ sæpe cadunt in causas, sed jejunius aguntur; nihil, inquam, sine ea scientia, quam dixi, graviter, ample, copiose dici et explicari potest.

XXXIV. (xxxiv.) De materia loquor orationis etiam

mæ. Generis cujusque hæ sunt partes. Logici species, formas appellant rhetores. Exempli gratia, virtus est genus, cui subsunt partes justitia, prudentia, fortitudo et temperantia. Pr.

4. *Tum etiam uberius*. Nempe duo sunt definitionis species : alia quæ proprie *definitio* dicitur brevitatemque præsertim sectatur, philosophisque est idonea : altera quæ proprie dicitur *descriptio*, nonnullosque rerum characteres amplectitur, oratoribusque ideo magis convenit.

5. *Quando autem, aut quomodo id faciat*. Schützius dat cum Gu. 2, « quando autem id faciat, aut quomodo ».

6. *Me esse*. Schützius cum Gu. 3, *esse me*.

7. *Nihil de morte*. Hæc verba, si genuina sunt, loco suo mota videntur, et post verba *nihil de dolore* ponenda. In Gu. 3 est *nihil de more*, quod probat Heusingerus, et sic cod. J. V. L. 7703.

8. *Nihil de virtutibus, aut vit. nihil de officio*. Hæc absunt ab editione Lallem.

nunc, non ipso de genere dicendi. Volo enim prius habeat orator rem, de qua dicat, dignam auribus eruditis, quam cogitet, quibus verbis quidque dicat, aut quo modo. Quem etiam, quo grandior sit, et quodam modo excelsior, ut de Pericle dixi supra, ne physicorum quidem esse ignarum volo. Omnia profecto, quum se a cælestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet. Quumque illa divina cognoverit, nolo ignoret ne hæc quidem humana. Jus civile teneat, quo egent causæ forenses quotidie. Quid est enim turpius, quam legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere, quum sis legum et civilis juris ignarus? Cognoscat etiam rerum gestarum et memoriæ veteris ordinem, maxime scilicet nostræ civitatis; sed et[1] imperiosorum populorum, et regum illustrium : quem laborem nobis Attici nostri levavit labor[2]; qui conservatis[3] notatisque temporibus, nihil quum illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. Nescire autem, quid antea, quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. Quid enim est ætas hominis, nisi memoria rerum[4] veterum

XXXIV. 1. *Sed et imp.* Sch. cum Gu. 3, *sed etiam imp.*

2. *Attici... labor.* Atticus annales composuerat, quibus septem sæcula continebantur, in iisque diligentissimam chronologiam adhibuerat. Vide vitam Attici in Cornelio Nepote.

3. *Conservatis.* Legendum videbatur Gulielmio *coacervatis.*

4. *Nisi memoria rerum veterum cum superiorum.* Ita Pall. omnes, nisi quod Pal. pr. et sec. *superioribus.* Vulgata, « nisi cum memoria ». Memmius solum habet : « nisi cum memoria veterum iterum contexatur », omissis ceteris. GRUT. — Schützius dat : « nisi ea memoria rerum veterum cum superioribus contexitur » : « nisi ea » (sc. ætas hominis) reposuit e Gu. 3, et post *superioribus*, subintelligit *ætatibus.* — Quomodo differant res veteres a superioribus non intelligo, quum superiora dicantur quæcumque sunt præterita; adeoque non minus vetera, quam proxime, ut ita dicam, superiora. Videtur omnino hoc velle Cicero, nihil esse vitam hominis ad comparandam prudentiam, si ea tantum teneamus quæ vidimus, et ab oculatis testibus audivimus : sed oportere ea,

cum superiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorumque prolatio summa cum delectatione et auctoritatem orationi affert, et fidem.

XXXV. (xxxv.) Sic igitur instructus veniet ad causas: quarum habebit genera primum ipsa cognita. Erit enim ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo non aut res controversiam faciat, aut verba. Res, aut de vero, aut de recto, aut de nomine. Verba, aut de ambiguo, aut de contrario. Nam si quando aliud in sententia videtur esse, aliud in verbis, genus est quoddam ambigui, quod ex præterito verbo [1] fieri solet: in quo, quod est ambiguorum proprium, res duas significari videmus.

Quum tam pauca sint genera causarum, etiam argumentorum præcepta pauca sunt [2]. Traditi sunt, e quibus ea ducantur, duplices loci: uni e rebus ipsis, alteri assumpti [3]. Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorem [4] orationem: nam ipsæ quidem res in perfacili cognitione versantur. Quid enim jam sequitur, quod quidem artis sit, nisi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor, aut erigatur, aut [5] paret se ad

quæ tempore nostro contigerunt, cum superioribus veteribusque contexi, ut seriem totius historiæ animo comprehensam teneamus. Verum, ut hoc diceretur, oporteret scribi: « quid est ætas hominis nisi memoria rerum nostrarum cum superiorum ætate contexitur? » aut *recentiorum* loco *superiorum*: sed prius magis placet. Videtur primum oscitans librarius pro *nostrarum* scripsisse *vestrarum*, ob soni et significationis affinitatem, aut etiam ob similitudinem aspectus. Quum vero vocis *vestrarum* nullus esset sensus in hoc loco, grammatici ex ea fecisse videntur *veterum*, quod tam manifesto ineptum est. CLERICUS, *Art. crit.*

XXXV. 1. *Ex præterito verbo.* Sc. quo addito res plana futura est. ERN.

2. *Arg. præcepta pauca sunt. Traditi sunt, e quibus ea duc.* Sic Pall. posteriores: quippe pr. et sec. item Pith. « præcepta tradita sunt, e quibus ea duc. » GRUT. — Lallem. omisit *ea*.

3. *Assumpti.* Sc. extrinsecus.

4. *Admirabiliorem.* Sch. cum Gu. 3, *mirabiliorem*.

5. *Aut paret se ad discendum.* Ern.

discendum? rem breviter exponere, et probabiliter, et aperte, ut, quid agatur, intelligi possit? sua confirmare? adversaria evertere? eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur quod sit consequens iis, quæ sumentur ad quamque rem confirmandam? post omnia perorationem inflammantem, restinguentemve[6] concludere.

(xxxvi.) Has partes quemadmodum tractet singulas, difficile dictu est hoc loco: nec enim semper tractantur uno modo. Quoniam autem non, quem doceam, quæro, sed quem probem: probabo primum eum, qui, quid deceat, videbit. Hæc enim sapientia maxime adhibenda eloquenti est, ut sit temporum, personarumque moderator. Nam nec semper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus[7], nec omnibus eodem modo dicendum arbitror.

XXXVI. Is erit ergo eloquens, qui ad id[1], quodcumque decebit, poterit accommodare orationem. Quod quum statuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet; nec satura jejune, nec grandia mi-

correxit *aut* in *ut*. Hoc, inquit, fidenter correxi; nam « parare se ad disc. » pertinet non ad oratorem, ut præcedentia, sed ad auditorem, qui erigendus est, ut paret se ad discendum, ut velit audire. Similis forma orationis sequitur: « rem breviter exponere, etc. ut, quid agatur, intelligi possit ». *Aut* et *ut* præsertim in vicinia sæpe confundi reperi in libris. Miror hoc nec Victorium, nec Lambinum vidisse. Ern. — Sed Schützius Ernest. reprehendit. Tria enim, inquit Sch. quum sint, quæ præstare debeat exordium, ut benivolum, ut attentum, ut docilem faciat auditorem, primum h. l. verbis « aut concilietur auditor »; alterum his « aut erigatur », tertium illis « aut paret se ad discendum » exprimitur.

6. *Perorationem inflammantem, restinguentemve concludere.* Schütz. dat: « peroratione animos inflammantem restinguentemve concludere », quia absurdum esse censet « perorationem concludere », et v. *inflammantem* subjecto carere non posse.

7. *Nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo.* Lall. habet: « nec pro omnibus eodem modo », omissis ceteris. — *Nec omnibus*, supple *oratoribus*.

XXXVI. 1. *Qui ad id, quodc.* Abest *id* ed. Ven. Ern.

nute, nec item contra; sed erit rebus ipsis par et æqualis oratio. Principia verecunda, non elatis incensa[2] verbis, sed acuta sententiis, vel ad offensionem adversarii, vel ad commendationem sui. Narrationes credibiles, nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatæ dilucide. Dein si tenues causæ, tum etiam argumentandi tenue filum et in docendo, et in refellendo; idque ita tenebitur, ut, quanta ad rem, tanta ad orationem fiat accessio[3]. Quum vero causa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ possit expromi: tum se latius fundet orator, tum reget et flectet animos, et sic afficiet, ut volet, id est, ut causæ natura, et ratio temporis postulabit.

(XXXVII.) Sed erit duplex omnis ejus[4] ornatus ille admirabilis, propter quem ascendit[5] in tantum honorem eloquentia. Nam quum omnis pars orationis esse debet laudabilis, sic ut verbum nullum, nisi aut grave, aut elegans excidat; tum sunt maxime luminosæ, et quasi actuosæ[6] partes duæ: quarum alteram in universi generis quæstione pono, quam, ut supra dixi, Græci appellant θέσιν: alteram in augendis amplificandisque rebus, quæ ab eisdem αὔξησις est nominata. Quæ etsi æquabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen in communibus locis maxime excellet; qui communes appellati, quod videntur multarum iidem esse causarum, sed proprii singularum esse[7] debebunt.

2. *Incensa.* Haud aliter Pall. omnes et Pith. Recepta lectio *intensa*, alias *intenta*. GRUT. — Schützius dedit *intensa* cum Gu. 3. Nizol. Camerar. quod est, *tumida*, *inflata*.

3. *Quanta ad rem... accessio.* Quo major res et grandior fiet, eo grandior fiat oratio.

4. *Sed erit duplex omnis ejus ornatus*, etc. Schütz. delevit *omnis*.

5. *Ascendit.* Gu. 3, *descendit*, in quo Schützius latere dicit veram lect. *escendit.*

6. *Actuosæ.* Ita Pall. omnes et Gallicani: Nonius tamen duobus locis inculcat nobis *jactuosæ*.

7. *Sed proprii singularum esse deb.* I. e. ita tractari, ut illi causæ pro-

At vero illa pars orationis, quæ est de genere universo, totas causas sæpe continet: quidquid est enim illud, in quo quasi certamen est controversiæ, quod græce κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, ut traducatur ad perpetuam quæstionem, atque ut de universo[8] genere dicatur: nisi quum de vero[9] ambigetur; quod quæri conjectura solet. Dicetur autem non peripateticorum more (est enim illorum exercitatio elegans jam inde ab Aristotele constituta), sed aliquanto nervosius; et ita de re communia[10] dicentur, ut et pro reis multa leniter dicantur, et in adversarios aspere.

Augendis vero rebus, et contra abjiciendis, nihil est, quod non perficere possit oratio; quod et inter media argumenta faciendum est, quotiescumque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, et pæne infinite in perorando.

XXXVII. (XXXVIII.) Duo sunt[1], quæ, bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum est, quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturas[2], et ad mores, et ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum; alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, jucundum, ad benivolentiam conciliandam paratum: hoc, vehe-

prii esse, non loci communes videantur, itaque contexti cum causa, ut ejus partes, et nati e causa, non illati videantur. ERN.

8. *Ut de universo.* Vulgo abest *ut*, quod Schützius e Gu. 3, edit. Camerar. et J. V. L. e suis codicibus addiderunt.

9. *De vero amb.* Quum quæretur, an res sit necne, an quid factum sit, necne.

10. *Communia.* Quæ e locis communibus sumpta erunt.

XXXVII. 1. *Duo sunt.* Schützius dat *duo restant*, ex Gu. 3, qui habet *duo res sunt.* Quum jam, inquit, superiore capite duo nominasset, quæ admirabilem eloquentiam facerent, non poterat hic quasi de integro incipere *duo sunt.*

2. *Ad naturas.* Sch. cum Gu. 3, *ad naturam.*

mens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur; quod quum rapide fertur[3], sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos, mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe adversarios de statu omni dejecimus. Nobis pro familiari reo[4] summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina[5] in senatu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi quum cœpisset Curio pater respondere, subito assedit[6], quum sibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod, etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant : in quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quæ qualiacumque in me sunt; me enim ipsum[7] pœnitet, quanta sint; sed apparent in orationibus : etsi carent libri spiritu illo[8], propter quem majora eadem illa quum aguntur, quam quum leguntur, videri solent.

XXXVIII. Nec vero miseratione solum mens judicum permovenda est (qua nos ita dolenter uti sole-

3. *Quod quum rapide fertur*. Gu. 3, « quod enim rapide fertur ». Ern.

4. *Pro familiari reo*. Id est, Verre, qui erat Hortensio familiaris admodum, ut patet e Verrinis, maxime act. I in Verr. Ern.

5. *Catilina... obmutuit*. Sallustius tamen refert non omnino Catilinam obmutuisse, sed primum senatores obsecratum esse, ne fidem Ciceroni adhiberent, sibi inimicissimo, et qui hujus conjurationis fabulam finxisset, ut sibi servatæ patriæ gloriam adscisceret : sed in his fremitum indignationis omnium exortum, Catilinamque ab omnibus parricidam, sicarium, hostem patriæ interpellatum fuisse, ita ut furore commotus exclamaverit se non solum periturum esse, sed multos secum in exsilio suo tracturum.

6. *Subito assedit, quum*, etc. Vid. Brut. cap. 60.

7. *Me enim ipsum pœnitet*. Delevi *non*, quod et in MSS duobus Gruteri repertum non est. Sed magis motus sum, primum, quia est manifesta allusio ad illud Terentianum : « me pœnitet, quantum hic fiat », in Heaut. et est formula modeste de se loquentis, quum negatio addita jactationem habeat, quæ a Cicerone et h. l. est aliena. Ern. — Cui assentiuntur Sch. et J. V. L.

8. *Spiritu illo*. Inspiratione illa quæ actionem adjuvat.

mus, ut puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus; ut alia in causa, excitato reo nobili, sublato etiam filio parvo[1], plangore et lamentatione complerimus[2] forum): sed etiam est faciendum[3], ut irascatur judex, mitigetur, invideat, faveat, contemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, satietate afficiatur[4], speret, metuat, lætetur, doleat: qua in varietate, duriorum, accusatio[5] suppeditabit exempla; mitiorum, defensiones meæ. Nullo enim modo animus audientis aut incitari, aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit: dicerem perfectum, si ita judicarem, nec in veritate crimen arrogantiæ extimescerem. Sed, ut supra dixi, nulla me ingenii, sed magna vis animi inflammat, ut me ipse non teneam. Nec umquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perveniret oratio.

Uterer exemplis domesticis[6], nisi ea legisses; uterer alienis vel latinis, si ulla reperirem; vel græcis, si deceret. Sed Crassi perpauca sunt, nec ea judiciorum; nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpicii; dicebat melius, quam scripsit, Hortensius. Verum hæc vis, quam quærimus, quanta sit, suspicemur, quoniam exemplum non habemus; aut, si exempla sequimur, a Demosthene sumamus, et quidem perpetuæ dictionis, ex eo loco, unde, in Ctesiphontis judicio, de suis factis, consiliis, meritis in rempublicam aggressus est

XXXVIII. 1. *Sublato etiam filio parvo*. Quod præstitit, quum pro P. Sulla peroraret cap. 31: « Hic vos orat, judices, parvus, ut se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis, etc. »

2. *Complerimus*, pro vulgato *compleremus*, ex ed. Ven. Mediol. et quia præcedit *tenuerimus*. Vulgatum est ex Aldina; in quam errore operarum venisse credo. ERNEST. — Omnes codd. Reg. *compleremus*. J. V. L.

3. *Sed etiam est faciendum*. Schützius cum Gu. 3, « sed est faciendum etiam ».

4. *Satietate afficiatur*. Pro quo Gu. 3 habet *tædeat*.

5. *Accusatio*. Contra Verrem.

6. *Domesticis*. Sumptis ex operibus meis.

dicere. Ea profecto oratio in eam formam, quæ est insita in mentibus nostris, includi sic potest, ut major eloquentia non requiratur[7].

XXXIX. (xxxix.) Sed jam forma ipsa[1] restat, et character ille qui dicitur: qui qualis esse debeat, ex ipsis, quæ supra dicta sunt, intelligi potest. Nam et singulorum verborum, et collocatorum lumina attigimus: quibus sic abundabit, ut verbum ex ore nullum, nisi aut elegans, aut grave exeat; ex omnique genere frequentissimæ translationes[2] erunt, quod eæ propter similitudinem transferunt animos, et referunt, ac movent huc et illuc; qui motus cogitationis, celeriter agitatus, per se ipse delectat. Et reliqua, ex collocatione verborum[3] quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornamentum[4] orationi. Sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenæ, aut fori, appellantur insignia; non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina, et quodam modo insignia: quum aut duplicantur iteranturque verba, aut breviter[5] commutata

7. *Non requiratur.* Gu. 3, « ne requiratur quidem ».

XXXIX. 1. *Forma ipsa restat.* Quæ maxime oratorem efficit, sc. styli genus perfectum.

2. *Translationes.* De his vid. ad Heren. IV, 34.

3. *Et reliqua, ex collocatione verborum.* Tullium ab his ipsis verbis ad finem usque capitis, quod proxime sequitur, describit Quintilianus, IX, 1, apud quem τεχνικὰ hæc omnia diligenter, ut solet, expedit vir singulari doctrina, Claudius Capperonnerius, quo non ῥητορικώτερος alter.

4. *Ornamentum.* Sic codd. nostri 7703, 7708, et Schütz. ex Gu. 3. Vulg., *ornatum.*

5. *Breviter commutata.* Conjeci *leviter*, nempe una v. c. littera, syllaba mutata, ut in παρωνομασίᾳ, vid. ad Herenn. IV, 2, ubi quidem occurrit *brevis commutatio:* sed ibi de mutatione syllabæ longæ in brevem, i. e. de specie, sermo est, hic autem de toto genere: in quo *leviter* aptius. Sic Orat. II, 63, est de eadem re « parva verbi immutatio »: quo tamen fortasse vulgatum defendi potest, quia *parvi homines* etiam *breves* dicuntur: sed in genere tropico non sic, ut opinor: sed v. c. *injuria parva* est *levis.* Ern. — In eamdem conj. inciderat Gesnerus ad Quint. IX, 1, apud quem itidem legitur *breviter.* Fortasse Cicero *breviter* hic posuit

ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur sæpius oratio, aut in idem conjicitur, aut in utrumque[6], aut adjungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter unum verbum non in eadem sententia[7] ponitur; aut quum similiter vel cadunt verba, vel desinunt; aut multis modis contrariis[8] relata contraria; aut quum gradatim sursum versus reditur[9]; aut quum, demptis conjunctionibus, dissolute plura dicuntur; aut quum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, ostendimus; aut quum corrigimus[10] nosmet ipsi, quasi reprehendentes; aut si est aliqua exclamatio[11] vel admirationis, vel conquestionis; aut quum ejusdem nominis casus sæpius commutatur[12].

(XL.) Sed sententiarum ornamenta[13] majora sunt; quibus quia frequentissime Demosthenes utitur, sunt qui putent, idcirco ejus eloquentiam maxime esse laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus sine quadam

pro *paullulum*, quo utitur de Orat. III, 54, 206. Sicut Cæsar de Bell. Gall. II, 30, *brevitatem corporum* dixit pro *parvitate*. Sch.

6. *Aut in utrumque*. Abest *in* a tribus codd. Regiis, opportune. J. V. L. — Schützius *in* delevit, ut subintelligatur *fit*.

7. *In eadem sententia*. Lamb. « in eamdem sententiam ».

8. *Aut multis modis contrariis rel. c.* Schützius cum Gu. 3, « aut quum aut contrariis rel. c. »

9. *Aut quum gradatim sursum versus reditur*. Pall. duo et Pith. *redditur*, unde faciebat *receditur* Gulielmius: postea tamen maluisse videtur « sursus versus cedere », ut ait ex illo Plauti Epidico : « cœpi sursum vorsum ad illas pauxillatim accedere ». Gaut.

10. *Aut quum corrigimus nosmet ipsi*. Sic edidi, primum ex lege grammatica, deinde consuetudine Ciceronis in hoc ipso genere. Sic mox « ipse se revocet », item « sibi ipse respondeat ». Cf. quæ cap. 52 extr. diximus, et in hac ipsa sententia ad lib. III de Orat. cap. 53. Ern. — Schutzius *nosmet ipsos* cum Gu. 3, et Quintil. IX, 1.

11. *Aliqua exclamatio*. Ed. Veneta *explicatio*, quod considerandum puto. Ern.

12. *Commutatur*. Quintil. Instit. Orat. lib. IX, cap. 1, habet *commutantur*. Sch.

13. *Sententiarum ornamenta*. De his vid. Quintil. lib. VIII, cap. 6; lib. IX, cap. 1 et 3, et *Rollin*, *Traité des Études*, tom. II.

conformatione sententiæ dicitur[14]; nec aliud quidquam est, dicere, nisi omnes[15], aut certe plerasque aliqua specie illuminare sententias : quas quum tu optime, Brute, teneas, quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantum notetur locus[16].

XL. Sic igitur dicet ille, quem expetimus, ut verset sæpe multis modis[1] eamdem et unam rem, et hæreat in eadem commoreturque sententia; sæpe etiam ut extenuet aliquid; sæpe ut irrideat[2]; ut declinet a proposito deflectatque sententiam; ut proponat, quid dicturus sit; ut, quum transegerit jam aliquid, definiat; ut se ipse revocet; ut, quod dixit, iteret; ut argumentum ratione concludat; ut interrogando urgeat; ut rursus quasi[3] ad interrogata sibi ipse respondeat; ut contra, ac dicat[4], accipi et sentiri velit; ut addubitet, quid potius, aut quo modo dicat; ut dividat in partes; ut aliquid relinquat ac negligat; ut ante præmuniat; ut in eo ipso, in quo reprehendatur,

14. *Nullus... locus... dicitur.* Sic habent MSS quidam, in his Vit. et ed. Rom. Consentit Quintilianus locum hunc commemorans. Itaque sic edidi. Alii inde ab ed. Ven. habent *edicitur*, in quo hæsere multi varie correctionem tentantes. Litera prima adhæsit ex ultima verbi proximi. Fr. Gryph. *educitur*, male. Sensus est : omnibus sententiis figuram aliquam dat, per quam a vulgari forma discrepet et suavior certe et elegantior fiat. Ern. — Quidam etiam *inducitur.*

15. *Nisi omnes.* Ed. Ven. *aut omnes*, melius. Ern.

16. *Notetur locus.* Schützius, *notetur modus.* Nusquam enim, inquit, quo loco adhibendæ sint figuræ, Cicero dicit, sed modos breviter recenset sententias illuminandi. In Gu. 3 est « quid attinet nominibus uti, aut exemplis? tantummodo notetur locus ».

XL. 1. *V. s. multis modis eamdem ... sententia.* Rivius conjicit : « ut verset sæpe multis modis eadem, et in una re hæreat, in eademque commoretur sententia ». Pall. posteriores, « eadem, ut unam in rem hæreat, in eamdem commoretur sententiam » : priores et Pith. « eadem et unam rem, et hæreat in eadem commoreturque sententiam », quomodo vulgo editi, nisi quod ii *eamdem.* Gaut.

2. *Irrideat.* Cod. Reg. 7703, ut Gu. 3, *redeat.*

3. *Quasi.* Hoc verbum Sch. delevit omissum Gu. 3.

4. *Ac dicat.* Cod. Reg. 7703, *dicatur*; 7704, *quam dicat.* J.V. L.

culpam in adversarium conferat; ut sæpe cum iis, qui audiunt, nonnumquam etiam cum adversario quasi deliberet; ut hominum sermones[5] moresque describat; ut muta quædam loquentia inducat; ut ab eo, quod agitur, avertat animos; ut sæpe in hilaritatem risumve[6] convertat; ut ante occupet, quod videat[7] opponi; ut comparet similitudines; ut utatur exemplis; ut aliud alii tribuens dispertiat; ut interpellatorem coerceat; ut aliquid reticere se dicat; ut denuntiet, quid caveant[8]; ut liberius quid audeat; ut irascatur etiam; ut objurget aliquando, ut deprecetur, ut supplicet, ut medeatur, ut a proposito declinet aliquantulum, ut optet, ut exsecretur; ut fiat iis, apud quos dicet[9], familiaris. Atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequatur; brevitatem, si res petet: sæpe etiam rem dicendo subjiciet oculis; sæpe supra feret, quam fieri possit; significatio sæpe erit major, quam oratio; sæpe hilaritas, sæpe vitæ naturarumque[10] imitatio.

XLI. Hoc in genere (nam quasi silvam vides) omnis eluceat oportet eloquentiæ magnitudo. (XLI.) Sed hæc, nisi collocata, et quasi structa, et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt.

De quo quum mihi deinceps viderem esse dicen-

5. *Sermones moresque.* Schützius cum Quintil. l. l. « mores sermonesque ».

6. *Risumve.* Ed. Ven. « risumque ». Ern.

7. *Quod videat opponi.* In Ven. *videat* est correctum *putet*, non male. Ern. — Ed. Camerar. *putat.* Sch.

8. *Caveant.* Scil. *judices.* Quintil. et ed. Omnib. *caveat.* Sch. — *Caveat* et omnes J. V. L. codd.

9. *Apud quos dicet.* Gu. 3 et noster cod. 7703, « apud quos dicat ». J. V. L.

10. *Naturarumque imitatio. Naturæque* ed. Ven. Ern. — De his omnibus figuris vid. Quint. VIII, 6, IX, 1, 2, 3, et *Rollin*, *Traité des Études*, tom. II. — His libris quos adiri jubet J. V. L. addenda est ipsius Rhetorica, ubi fusius et planius de figuris dixit.

dum, etsi movebant jam me illa[1], quæ supra dixeram, tamen iis, quæ sequuntur, perturbabar magis. Occurrebat enim, posse reperiri non invidos solum, quibus referta sunt omnia, sed fautores etiam mearum laudum[2], qui non censerent ejus viri esse[3], de cujus meritis tanta senatus judicia fecisset, comprobante populo romano, quanta de nullo[4], de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus si nihil aliud responderem, nisi, me M. Bruto negare roganti noluisse, justa esset excusatio, quum et amicissimo et præstantissimo viro, et recta et honesta petenti, satisfacere voluissem. Sed si profitear[5] (quod utinam possem!), me studiosis dicendi præcepta, et quasi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum : quis tandem id justus rerum æstimator[6] reprehenderet? Nam quis umquam dubitavit, quin in republica nostra primas eloquentia tenuerit semper, urbanis, pacatisque rebus; secundas, juris scientia? quum in altera, gratiæ, gloriæ, præsidii plurimum esset; in altera, persequutionum, cautionumque præceptio; quæ quidem ipsa auxilium ab eloquentia sæpe peteret, ea vero repugnante vix suas regiones finesque defenderet. Cur igitur jus civile docere semper pulchrum fuit, hominumque clarissimorum discipulis floruerunt domus; ad dicendum si quis acuat, aut adjuvet in eo

XLI. 1. *Jam me illa.* Schützius cum Gu. 3, « me jam illa ». Camerar. habet « etsi movebant etiam, quæ supra dixeram ».

2. *Mearum laudum.* Schützius, « laudum mearum », cum Gu. et Camerar.

3. *Ejus viri esse.* Lambin. « ejus esse viri ».

4. *Quanta de nullo.* Hæc populi et senatus romani de se judicis Cicero refert in Pisonem, cap. 3.

5. *Sed si profitear.* Ern. quem Sch. sequutus est, scripsit *profiterer*, quia imperfecta præcedunt et sequuntur statim « possem, ferrent, reprehenderet », nec ullo modo inter hæc media præsens ferri possit.

6. *Æstimator.* In quibusdam edd. *existimator*, minus bene. Sch.

juventutem, vituperetur? Nam si vitiosum est dicere ornate, pellatur omnino e civitate eloquentia : sin ea non modo eos[7] ornat, penes quos est, sed etiam universam rempublicam; cur aut discere turpe est, quod scire honestum est[8], aut, quod nosse pulcherrimum est, id non gloriosum docere?

XLII. (XLII.) At alterum factitatum est[1], alterum novum. Fateor : sed utriusque rei causa est. Alteros enim respondentes audire sat erat, ut ii, qui docerent, nullum sibi ad eam rem tempus ipsi seponerent[2], sed eodem tempore et discentibus satisfacerent, et consulentibus; alteri, quum domesticum tempus in cognoscendis componendisque causis, forense in agendis, reliquum in se ipsis reficiendis omne consumerent, quem habebant instituendi aut docendi locum? Atque haud scio, an plerique nostrorum oratorum[3] ingenio plus valuerint, quam doctrina : itaque illi dicere melius, quam præcipere; nos contra[4] fortasse possumus.

7. *Sin ea non modo eos.* Similia exempla notavi; sed tamen melius foret aut *hos* scribi, pro quo sæpe reperi in edd. *eos*, sicut contra *eos* pro *hos*, aut omnino deleri. Mox ed.Ven. pro *nosse* habet *noscere*. Ern.

8. *Honestum est.* Schützius *est* ut concinnitati numeroque contrarium delevit cum Gu. 3.

XLII. 1. *Factitatum est.* Sch. delet *est* cum Gu. 3.

2. *Ipsi seponerent.* Quod valeat *ipsi* non assequor. Ern. — Schützius corrigit *ipsum;* quia vis pronominis non in persona jurisconsulti est, sed in tempore ad eam rem seposito.

3. *An plerique n. oratorum ing. p. v.* Accedit Muretus codici Alexandri Glorierii, in quo erat amplius, « oratorum, contra atque nos, ingenio p. v. » et vero sic quoque refert exemplar Pithœanum, eratque in Pal. pr. ac sec. « oratorum esse atque nos » : sed tamen vix admiserim, nihil variantibus Pall. ceteris. Grut. — Idem est in ed. Lips. sed hoc Ern. glossam sapere et e sequentibus factum esse putat. Lallem. edidit *contra atque nos.*

4. *Nos contra fortasse possumus. At dig. docere non habet.* Hæc lectio est ab Aldo, unde sumpsit ed. Lips. ut opinor, et optimam esse putamus. MSS et ed. pr. valde hic variant, nulla commoda sententia, v. c. ed.Ven. « nos contra fortasse possumus ad dignitatem melius docere. Non habet certe ». Ubi margo delet *melius.* Ern. — Nihil adjiciunt membranacei no-

At dignitatem docere non habet. Certe, si quasi in ludo: sed si monendo, si cohortando, si percunctando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo; nescio[5], docendo etiam aliquid aliquando si possis meliores facere, cur nolis? An, quibus verbis sacrorum alienatio[6] fiat, docere honestum est [ut est[7]]: quibus ipsa sacra retineri defendique possint, non honestum est?

At jus profitentur etiam, qui nesciunt; eloquentia autem, illi ipsi, qui consequnti sunt, tamen se valere dissimulant[8]; propterea quod prudentia[9] hominibus grata est, lingua suspecta. Num igitur aut latere eloquentia potest; aut id, quod dissimulat[10], effugit; aut est periculum, ne quis putet in magna arte et gloriosa, turpe esse docere alios id, quod ipsi fuerit honestissimum discere? Ac fortasse ceteri tectiores:

atri, quare non possumus aduuere Glorieriano libro addenti « possumus melius docere », etsi id probet Muretus, Var. Lect. lib. XII, cap. 20. Gruter. — Quatuor e nostris codd. addunt *melius* ante *docere*: sic et jam Gu. 1, unde Schneider. Ep. ad Langer. pag. 54 conjecerat, « nos contra fortasse melius docere possumus. At dignitatem non habet. Certe, si quasi, etc. » J. V. L.

5. *Nescio, docendo.* Vulgata erat *nescio cur non docendo*, ubi Ern. *cur non* delevit, ut manifeste ineptum et vitiosum, miratus VV. DD. in hoc non offendisse.

6. *Sacrorum alienatio.* Ad hunc locum intelligendum necessarium est scire, apud Romanos fuisse non solum agros publicos religioni sacros, quos lex XII Tab. inalienabiles decreverat, sed etiam tales fuisse privatos agros, ipsos quoque religioni consecratos. Inde Cic. de Legg. II, 9, dicit: « sacra privata perpetua manento ».

7. *Ut est.* Hoc est additum a Rivio, ut opinor, ex ed. Ven. in qua delevit manus docta, et pro eo scripsit *si*, ut ad sequentia pertineat. Non necessario receptum; uncis inclusi. Ernest. — Sch. delevit cum Gu. 3.

8. *Eloquentia autem. . . tamen se valere dissimulant.* Sic hic locus exhibetur in edd. Ven. Med. Ald. Junt. quod nescio cur mutatum sit in vulgatis in « eloquentiam... tamen ea se val. diss. » Ern. — Schützius dat: « eloquentiam autem qui consequuti sunt, ipsi tamen ea se v. d. » Gu. 3, « eloquentiam enim ipsi, qui cons. sunt, tamen ea se v. d. »

9. *Prudentia.* Var. lectio in ed. Ven. *pudentia.* Ern.

10. *Aut id, quod dissimulat, effugit.* Scribe, « dissimulatur, effugit », sc. notitiam hominum. Ern.

ego semper me didicisse præ me tuli. Quid enim possem [11], quum et abfuissem domo [12] adolescens, et horum studiorum causa mare [13] transissem, et doctissimis hominibus referta domus esset, et aliquæ fortasse inessent in sermone nostro doctrinarum notæ? quumque vulgo scripta nostra legerentur, dissimularem me didicisse? Quid erat, cur probarem [14], nisi quod parum fortasse profeceram?

XLIII. Quod quum ita sit, tamen ea, quæ supra dicta sunt, plus in disputando, quam ea, de quibus dicendum est, dignitatis habuerunt. De verbis enim componendis, et de syllabis propemodum dinumerandis et dimetiendis loquemur : quæ etiamsi sunt, sicuti mihi videntur, necessaria, tamen fiunt magnificentius, quam docentur. Est id omnino verum, sed proprie in hoc dicitur [1] : nam omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices stirpesque non item; sed esse illa sine his non potest. Me autem sive pervagatissimus ille versus, qui vetat,

Artem pudere proloqui, quam factites,

11. *Quid enim possem... dissimularem me.* Hujus loci constructio est manifesta vitiosa. Sed corrigendi multiplex ratio est, nec certi quid sine libris esse posset : nam potest corrigi « quid enim (omisso *possem*) dissimularem »; item « qui enim possem dissimulare ». Ern. — Hanc ultimam corr. Schützius præbuit, quum esset in duobus Gu. « quid... dissimulare ».

12. *Quum et abfuissem domo ad.* J. V. L. addidit *domo* e suis MSS, ut jam Schützius e Gu. 3, qui Schützius præterea delet *et*, et scribit *afuissem*.

13. *Mare.* Schützius *maria* cum Gu. 3.

14. *Quid erat, cur probarem.* Hoc quoque vix rectum est. Strebæus interpretatur locum tamquam sit : *quis erat, cui probarem*, quod nemo bonus judex probet. An fuit « quid erat, quo probarem ». Ern. — Schützius tamen Strebæi lectionem exhibuit, idem delet *quod* ante *parum*. — Vertit intp. gallicus : « que puis-je craindre en convenant de mes travaux si-non de passer pour un homme qui en a mal profité ». Nobis verus hic sensus esse videtur; sed desideratur aliquid initio sententiæ, videlicet *et* aut *præterea*.

XLIII. 1. *Est id omnino verum... dicitur.* Hæc Schützius uncis inclusit, ut spuria.

dissimulare non sinit, quin delecter[2]; sive tuum studium hoc a me volumen expressit: tamen eis, quos aliquid[3] reprehensuros suspicabar, respondendum fuit. Quod si ea, quæ dixi, non ita essent[4]; quis tamen se tam durum agrestemque præberet, qui hanc mihi non daret veniam, ut, quum meæ forenses artes, et actiones publicæ[5] concidissent, non me aut desidiæ, quod facere non possum; aut mœstitiæ, cui resisto, potius, quam literis, dederem? quæ[6] quidem me antea in judicia atque in curiam deducebant, nunc oblectant domi[7]. Nec vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, sed multo etiam gravioribus et majoribus: quæ si erunt perfectæ, profecto forensibus nostris rebus[8] etiam domesticæ literæ respondebunt. Sed ad institutam disputationem revertamur.

XLIV. (XLIV.) Collocabuntur igitur verba, aut ut inter se quam aptissime cohæreant extrema cum primis[1], eaque sint quam suavissimis vocibus[2]; aut ut

2. *Quin delecter.* Non puto sic Ciceronem dedisse. Edd. Ven. Med. Lips. *qui delectet :* unde colligam *quid delectet.* Ern. — Melius *id quo delecter.* Sch.

3. *Quos aliquid rep. susp. resp. fuit.* Schützius transposuit *aliquid* ante *respondendum*, virgula post *suspicabar* servata.

4. *Quod si ea, quæ dixi, non ita essent.* Si ea quæ dixi ad me excusandum falsa essent.

5. *Et actiones publicæ.* Postquam, Pompeio exstincto, post pugnam Pharsalicam, Cicero afflictam esse vidit senatus auctoritatem, neque jam sibi licere vel publicis rebus curas impendere, quum armati imperarent, neque forensibus causis vacare, secessit in villas suas ubi operibus philosophicis operam impendit, in iis studiis publicarum calamitatum nactus solatium.

6. *Quæ quidem*, etc. Ed. Ven. « quæ quidem antea in i. a. in curiam deducebantur ». Ern.

7. *N. o. domi. Nec vero.* Schützius virgulam solum posuit post *domi*, quia in verbis *nec vero... rebus*, intelligi debet e præcedentibus *oblectant.*

8. *Forensibus nostris rebus.* Sch. delet *rebus* ut glossema. Sensus enim, inquit, est : literis forensibus, i. e. orationibus a me editis respondebunt libri philosophici.

XLIV. 1. *Cum primis.* Forsan legendum : « cum sequentibus primis », sicut paullo infra, et Quintil. IX, 4, 33.

2. *Sint quam suavissimis vocibus.* Id est, sono et accentu suaves. Vide

forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum; aut ut comprehensio numerose et apte cadat. Atque illud primum videamus, quale sit; quod vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat[3] structura quædam, nec tamen fiat operose : nam esset quum infinitus, tum puerilis labor; quod apud Lucilium scite exagitat in Albucio Scævola,

> Quam lepide lexeis compostæ? ut tesserulæ omnes
> Arte pavimento [4], atque emblemate vermiculato.

Nolo tam minuta hæc[5] constructio appareat : sed tamen stylus exercitatus efficiet[6] facile hanc viam componendi. Nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus, aut hiulcas voces efficiat, aut asperas. Quamvis enim suaves gravesque sententiæ, tamen si inconditis[7] verbis efferuntur[8], offendent aures; quarum est judicium superbissimum. Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui[9] vocales nolit con-

supra cap. 18. Nam *vox* h. l. est affectio verborum. Ed. Veo. *ea, quæ sint.* Ern.

3. *Ut fiat structura.* Ern. Lallem. Sch. « ut fiat quasi str. » ut videator *quasi* vitio operarum in ed. J. V. L. excidisse. Ed. Veo. « est enim quasi structura quædam : nec id tamen fiet op. »

4. *Arte pavimento.* Legendum videtur *Endo pavimento*, ut et de Orat. III, 43, quod multi post Lambinum posuerunt. J. V. L. —Vid. Brut. 35; Fin. I, 3.

5. *Tam minuta hæc.* Sch. Gu. 3, *hæc tam minuta.*

6. *Efficiet.* Legendum opinor *inveniet.* Sch.

7. *Inconditis verbis.* Gu. 3, « incondite positis verbis ». Sch.

8. *Efferuntur, offendent.* Aut *efferantur* legendum, aut *offendunt*, ut habet ed. Asc. 1; sed, ut opinor, non consulto. Ern. — Sch. dedit *offendunt*, ut MS Gu.

9. *Qui vocales nolit conjungere.* Sic edidimus cum Aldo, Junta, et sic est necessario legendum, si *nolit* verum est, quod libri omnes constanter exhibent. Edd. pr. habent *quin*, quod in vulgatis est, idque late defendit Victorius, V. L. XII, 7, exemplis omnibus alienis, i. e. omnibus in quibus *quin* est sine negatione sequente, quæ hic est in *nolit* : *quin nolit* est, *qui velit*, quod est alienissimum. Virum

jungere. In quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit; etsi id magister ejus Isocrates[10] : at non Thucydides : ne ille quidem, haud paullo major scriptor, Plato; nec solum in his sermonibus, qui dialogi dicuntur, ubi etiam de industria id faciendum fuit, sed in populari oratione, qua mos est Athenis laudari in concione eos, qui sint in prœliis interfecti; quæ sic probata est, ut eam quotannis, ut scis, illo die recitari necesse sit : in ea est crebra ista vocum concursio[11], quam magna ex parte, ut vitiosam, fugit Demosthenes.

XLV. (XLV.) Sed Græci viderint; nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis; indicant omnes

doctissimum in errorem induxit hoc, quod *conjungere vocales* intellexit *concurrere*, ut hiatus fiat : quum sit *contrahere*, nempe elidenda altera vocali : nam opponitur *distrahere*, quod est per hiatum sine elisione pronuntiare. Una ratio conservandi *quin*, est ut legamus *velit :* et essem pronior in hanc partem, si libri juvarent. Ern. — Quem Sch. sequitur. Est *conjungere* et *contrahere* Græcis συναλείφειν, a quo est συναλοιφή, quod Eustathius κρᾶσιν et συναίρεσιν recte interpretatus est : *distrahere* autem διαιρεῖν, et συγκρούειν et διασπᾷν. Utriusque rei luculentum exemplum est apud Demetrium in aureolo libro περὶ Ἑρμηνείας, ubi διαιρεθέντα δὲ καὶ συγκρουσθέντα, inquit, εὐφωνότερα, ὡς τὸ, πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐστιν· εἰ δὲ συναλείψας εἴποις, καλά ἐστιν. Hoc eo dixi, quod Victorius in variis lectionibus et commentariis in hunc Demetrium, et qui Victorium sequitur Lambinus, corrigunt « quin voc. solit conj. » Video quid velint : quod si illis conceditur, quid fuerit Cicerone ipso rusticius? in ipso ingressu primæ ep. ad Lentulum : « Ego omni officio ac potius pietate erga te », et quæ sequuntur; ut mittam alia ejusmodi infinita. Ac prope eram oblitus Lambinum pro *vocem* et *voces* ibidem reponere *vocalium* et *vocales*. Certe immerito : sic enim vocalis *I* in Ausonii monosyllab. *vox*, et a Terentiano *E vocula* dicitur : et sic poeta vetus apud Athenæum in griphis, l. X : « τὸ ω τῶν ἑπτὰ φωνῶν, etc. quippe quod eæ literæ, ut ait Plato in Theæteto, quum de vocalibus disputaret, φωνὴν μόνην ἔχουσι. Faber. in Acad. I, 1. Vid. et Turneb. Adv. VIII, 3.

10. *Etsi id m. ej. Isocrates.* Schützius cum Gu. 3, « Etsi idem magister ejus Isocrates fecerat ». Quatuor e MSS J. V. L. addunt quoque *fecerat*.

11. *Vocum concursio.* Int. literarum, quas nos vocales dicimus : supra cap. 23 est *concursus vocalium*,

poetæ, præter eos, qui, ut versum facerent, sæpe hiabant : ut Nævius,

> Vos, qui accolitis Histrum fluvium, atque Algidam.

Et ibidem,

> Quam numquam vobis Graii, atque Barbari.

At Ennius semel [1],

> Scipio invicte........

Et quidem nos [2],

> Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.

Hoc idem nostri sæpius non tulissent, quod Græci laudare etiam solent. Sed quid ego vocales [3] ? sine vocalibus sæpe brevitatis causa contrahebant, ut ita dicerent, « multi' modis, vas' argenteis [4], palmi' et crinibus [5], tecti' fractis ». Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? nam ut duellum, bellum, et duis, bis, sic Duellium eum, qui Pœnos classe devicit, Bellium [6] nominaverunt, quum superiores appellati essent semper [7] Duellii. Quin etiam verba sæpe contrahuntur, non usus causa, sed aurium. Quomodo enim vester

nec tamen inde corrigam hic *vocalium*. Ern.

XLV. 1. *At Ennius semel*. Gu. 3, « At Ennius sæpe ». Sch.

2. *Et quidem nos*. In poemate græco Arati, quem Cicero versibus latinis expresserat in juventute.

3. *Sed quid ego vocales ? s. v.* Sic primus interpunxit Victorius, eaque interpunctio recte recepta *est*. In edd. *erat* « sed quid *ego*? voc. » sine sensu. Ceterum id refer ad superiora : « nemo ut tam rusticus sit, qui vocales conjungere nolit ». Ern.

4. *Vas' argenteis*. Lambinus dabat *argentei' vasis*. J. V. L. mallet *vasi' argenteis*.

5. *Palmi' et crinibus*. Hæc est vera lectio. Attius enim, qui Euripidis Phœnissas latinas fecerat, his verbis expresserat græca καὶ χερσὶ καὶ κόμαισι Eurip. Phœn. v. 324. Itaque frustra Lamb. quem Ern. sequutus est, correxit *passi et crinibus*. Sch.

6. *Bellium*. *Bilium* vult Paulus Merula ad Ennium, qui consulatur. Gaut.

7. *Appellati essent semper*. *Essent appellati* sine *semper* Gu. 3.

Axilla[8], Ala factus est, nisi fuga literæ vastioris? quam literam etiam e maxillis[9], et taxillis, et vexillo, et paxillo, consuetudo elegans latini sermonis evellit. Libenter etiam copulando verba jungebant, ut «sodes», pro, «si audes»; «sis», pro, «si vis». Jam in uno, «capsis[10]», tria verba sunt: «ain'», pro, «aisne»; «nequire», pro, «non quire»; «malle», pro, «magis velle»; «nolle», pro, «non velle». «Dein» etiam sæpe, et «exin», pro, «deinde» et «exinde» dicimus. Quid illud[11]? non olet unde sit, quod dicitur, «cum illis», «cum» autem «nobis» non dicitur, sed «nobis cum?» quia si ita diceretur, obscœnius concurrerent literæ, ut etiam modo, nisi «autem» interposuissem, concurrissent. Ex eo est «mecum[12]», et «tecum»: non,

8. *Vester Axilla, Ala factus est.* Vel potius, *Ahala*, ut in omnibus historicis legitur, C. Servilius Ahala magister equitum, jussu dictatoris Cincinnati occidit Sp. Melium regni affectandi reum, anno Romæ 317. Vide Liv. IV, 14; Catilin. I, cap. 1; pro Milone, cap. 27. Brutus ex illo Ahala ortus erat per matrem Serviliam, atque adoptatus fuerat ab avunculo suo Q. Servilio Cæpione. Inde patet nil certius esse quam correctionem Lipsii *vester* pro *noster*, quod in edd. vett. legitur. J. V. L. — Plerisque lexicographis imposuit hic locus. *Axillam* interpretati sunt minutam alam: absurde. Viri proprium nomen est, qui Axilla primum, deinde Ahala, postea Hala, denique Ala dictus est. Prust.

9. *Maxillis.* Muretus maluit e Glorieriano *axillis*, Var. Lect. libro XII, cap. 20, ut mox pro *paxillo* reponendum autumabat *pauxillum*, præter membranaceos tamen nostros. Gaut. — Pro *maxillis*, *malas*, pro *taxillis*, *talos*, pro *vexillis*, *vela*, pro *paxillis*, *palos* dicimus. Prust.

10. *Capsis.* Nempe *capsis* Cicero dictum putat pro *cape si vis*, quod non concedit Quintilianus, I, 5, 66; se profecto *capsis* fuit antiqua forma perfecti conj. pro *ceperis*. Sch. — Sed J. V. L. dicit conjici posse *capsis* esse pro *capesis*, in quo vox e, ut brevis, rapida pronuntiatione fere omitteretur.

11. *Quid illud?* etc. Schützius verba hæc usque ad finem capitis ἀπροσδιόνυσα esse contendit, uncisque inclusit, quia bis omissis reliqua cum superioribus optime cohærent: sed J. V. L. observat sic sæpe Ciceronem aliena spargere et evagari licentius.

12. *Ex eo est mecum.* Quæret aliquis, cur ergo dicimus mecum, tecum, secum, quicum, vobiscum, et cetera id genus, quæ nullam fugiunt αἰσχρολογίαν: «ut esset, inquit, simile illis nobiscum, etc.» Hoc igitur ad effugiendum cacophaton, illa ad

« cum me » et « cum te », ut esset simile illis « vobiscum » atque « nobiscum ».

XLVI. (XLVI.) Atque etiam a quibusdam sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt : nam pro[1], « deum atque hominum fidem », « deorum » aiunt. Ita credo[2] : hoc illi nesciebant; an dabat hanc licentiam[3] consuetudo? Itaque idem poeta[4], qui insitatius contraxerat, « Patris mei[5] meum factum pudet », pro « meorum factorum »; et « Texitur[6]; exitium examen rapit.... » pro « exitiorum » : non dicit, « liberum », ut plerique loquimur, quum, « cupidos liberum », aut, « in liberum loco », dicimus, sed, ut isti volunt,

Neque tuum umquam in gremium extollas liberorum ex te genus [7],

et idem,

Namque Æsculapi liberorum [8].......

At ille alter[9] in Chryse, non solum,

Cives, antiqui amici majorum meum,

analogiam quamdam reperta sunt. Cicero de Oratore : « Noluimus, *cum me* et *cum te* dicere, ne eidem compositioni adjungendum esset *cum nobis*. Sed potius *mecum* et *tecum* et *secum* et *nobiscum* diximus cum præpositione, quæ facit obscœnum, assidue postposita ». Strab.

XLVI. 1. *Nam pro, « deum a. h. f. » Pro*, non *proh!* ut est in aliis exemplis : in *proh! pro* addendum esset, quod non bene sonaret. Ern.

2. *Ita credo : hoc illi nesciebant.* Schützius dat : « id, credo, illi nesciebant », ut *credo* ironice positum sit. Ad hunc locum respicit Quintil. II, 6, 18.

3. *Licentiam consuetudo.* Schützius cum Gu. 3, « consuetudo licentiam » : male nobis posita hic videtur interrogationis nota; nam *an* pendere poteat a *nesciebant*.

4. *Idem poeta*. Sc. Ennius.

5. *Patris mei*, etc. De sententia horum et sequentium versiculorum, auctore me, nemo vehementer laboraverit. Desumpti sunt ex veteribus poetis, quorum carmina maximam partem periere. Prust.

6. *Texitur*, etc. Ex Ennii Cassandra. Vid. de Divinat. I, 31. J. V. L.

7. *Genus*. Versiculus ex Ennii Thyeste depromptus esse videtur. Sch.

8. *Namque Æsculapii liberorum*. Enniani versiculi hemistichium. Vide Tusc. Dispp. II, 17. Sch.

9. *At ille alter*. Sic dedi pro *et ille alter*, ut commemorat Victor. XIX, 2, et est in MS Vit. ed. Ven. Med. Lips. Fr. Gryph. etc. Nam est diver-

quod erat usitatum; sed durius etiam,

> Consilium [10], augurium, atque extum interpretes.

Idemque pergit,

> Postquam prodigium horriferum, portentum pavos:

quæ non sane sunt in omnibus neutris usitata. Nec enim dixerim tam libenter, « armum judicium », etsi est apud eumdem,

> Nihil ad te de judicio armum accidit [11]?

quam « armorum ». Jam (ut censoriæ [12] tabulæ loquuntur) « fabrum », et « procum », audeo dicere, non « fabrorum », et « procorum ». Planeque, « duorum virorum judicium », aut, « triumvirorum capitalium », aut, « decemvirorum litibus [13] judicandis », dico numquam. Atqui dixit Attius,

> Video sepulcra, dua [14] duorum corporum.

Idemque,

> Mulier una duum virum.

Quid verum sit, intelligo : sed alias ita loquor, ut

sum a priori, non simile aut conjunctum. — *Ille alter*, nempe Pacuvius. Sch.

10. *Consilium. Consilium socii* Camer. e. al. Sch.

11. *Accidit.* Ex Pacuvii tragœdia *armorum judicium.* Sch.

12. *Jam, ut censoriæ tabulæ.* Lectionem istam contra novatores retinet, et defendit Turnebus d. c. 5, qui adeatur: habent tamen Pal. priores et Pith. « accedit quam centuriam fabrum et procum, ut censoriæ tabulæ loquuntur, audeo, etc. » posteriores « accidit, quam centuriam, ut cens. tab. loq. fabrum, etc. » Gaut. — Commentarii et literæ censorum, in quas referunt civium nomina, et singulorum censum. Sunt et censoriæ tabulæ, quibus ignominiosi notantur, in quos a censoribus subscriptum est. Stran.

13. *Litibus jud.* Muretus ait se in MS reperisse *stlitibus.* In quo? quando scripto? etc. Hic in MSS non magnum momentum est. Nec Ciceronis ætate dicebant *stlitibus.* Antiquarii illa correctio est. Ern.

14. *Dua.* Antiquo more dictum. Quam in rem Quintilianus, lib. I, cap. 5 : « quid quod, inquit, quædam, quæ singula procul dubio vitiosa sunt, juncta sine reprehensione dicuntur? Nam et *dua*, et *tre* et *pondo* diversorum generum sunt barbarismi : at *duapondo* et *trepondo* usque ad nostram ætatem ab omnibus dictum est, et recte dici Messalla confirmat ». Prust.

concessum est, ut hoc, vel, « Proh deum » dico, vel, « Proh deorum »; alias, ut necesse est, quum « trium virum », non « virorum »; quum « sestertium nummum », non « nummorum », quod in his consuetudo varia non est.

XLVII. (XLVII.) Quid, quod sic loqui, « nosse, judicasse », vetant[1]; « novisse », jubent, et « judicavisse? » quasi vero nesciamus, in hoc genere et plenum verbum recte dici, et imminutum usitate. Itaque utrumque Terentius[2],

> Eho, tu cognatum tuum non noras?

Post idem,

> Stilphonem, inquam, noveras?

« Siet », plenum est; « sit », imminutum[3] : licet utare utroque : ergo ibidem[4],

> Quam cara sint, quæ post carendo intelligunt,
> Quamque attinendi magni dominatus sient.

Nec vero reprehenderim,

> Scripsere alii rem[5].

Et « scripserunt[6] », esse verius sentio : sed consuetudini auribus indulgenti libenter obsequor. « Idem campus habet », inquit Ennius; et, « In templis isdem »,

XLVII. 1. *Vetant*. Sc. ii de quibus init. cap. præced. dixit : « atque etiam a quibusdam sero jam emendatur antiquitas, qui hæc reprehendunt, etc. »

2. *Terentius*. Phormio, III, 2, 35 et 41.

3. *Imminutum*. Imminuta et diminuta vim eamdem habent apud latinos scriptores; sed a rhetoribus et grammaticis bifariam distribuuntur. *Imminuta* sunt vocabula, quibus aliqua syllaba per syncopen seu concisionem detracta est : quibus vocabulis respondent *plena*, ut *maxilla* plenum est, *mala* imminutum vocabulum. *Diminuta* minuunt significationem rerum, et numerum augent syllabarum, ut *homulus*, *homunculus*, *homuncio*. Iis opponuntur integra, ut *homo*.

4. *Ergo ibidem*. Apud alium poetam eodem loco. Sch. — In his duobus versibus occurrunt una *sint* et *sient*.— *Sint, quæ*. J. V. L. in s. ed. *sintque, post*.

5. *Scripsere alii rem*. Ex Ennii versiculo, de quo vid. Brut. cap. 19.

6. *Et scripserunt*. Sch. « etsi scrips. »

probavit. At, « eisdem[7] », erat verius; nec tamen, « eisdem », opimius : male sonabat, « iisdem ». Impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret. Et « pomeridianas[8] quadrigas », quam « postmeridianas », libentius dixerim; et « mehercule », quam « mehercules ». « Non scire » quidem barbarum jam videtur; « nescire », dulcius. Ipsum[9] « meridiem », cur non « medidiem ? » credo, quod erat insuavius. Una præpositio est, ABS[10], eaque[11] nunc tantum in accepti tabulis manet; ne his quidem omnium[12] : in reliquo sermone mutata est. Nam « amovit » dicimus, et « abegit », et « abstulit », ut jam nescias, abne verum sit[13], an abs. Quid si etiam « abfugit » turpe visum est; et « abfer » noluerunt, « aufer[14] » maluerunt? quæ præpositio[15], præter hæc duo verba, nullo alio in verbo reperitur[16]. « Noti » erant, et « navi », et « nari »; quibus quum IN præponi oporteret, dulcius

7. *At, eisdem... male sonabat, iisdem.* Schützius dat : « at *isdem* erat verius; sed tamen opimius. Male sonabat *iisdem* ». Cicero, inquit Sch. hoc significat, pro *idem* in genere masculino verius fuisse *isdem*, sed tamen opimius, ob duas consonantes *sd*, *in templis isdem* Ennium dixisse, quia male sonabat « iisdem ». Sic apud nos meri recepti sunt in usum solœcismi ob soni mollitudinem; nec diximus *ma épée*, *ma ame*, sed *mon épée*, *mon ame*.

8. *Pomeridianas.* Vid. Clav. in *postmeridianas*. Ern.

9. *Ipsum merid.* Ipsum non commodum est : an fuit *item* ? Ern.

10. *Una præpositio est, abs.* Sic edidimus pro *ab*, cum R. Stephan. Lambin. et aliis, quod et defendit Gesnerus in Thes. et sic apud poetas antiquiores Plaut. Lucr. Edd. Ven. Lips. plane omittunt. Ern. — Ceterum h. l. respexit Quint. I, 5, 69, apud quem nunc legitur : « quum præpositio sit absola » : legendum autem videtur *abs sola*. Sch. — Apud Sch. legitur *quæ* pro *eaque*.

11. *Eaque.* Schützius dat simpliciter *quæ*.

12. *Ne his quidem omnium.* Ed. Med. Asc. 1, Lips. « æneis quidem ». Id factum videtur ex « ac ne hisq. » Ern.

13. *Abne verum sit, an abs.* Schützius dat : « a ne verum sit, an ab, an abs. »

14. *Aufer maluerunt.* Schützius inserit « aufugit et » ante « auf. mal. » ut temere vulgo omissum.

15. *Quæ præpositio.* Nempe præpositio *au* non reperitur, nisi in *aufer* et *aufugio*. Sch.

16. *Reperitur.* Ed. Ven. *reperietur*.

visum est, « ignoti, ignavi, ignari » dicere, quam ut veritas postulabat. « Ex usu » dicunt, et « e republica », quod in altero vocalis excipiebat, in altero esset asperitas, nisi literam sustulisses; ut, « exegit, edixit, effecit [17], extulit, edidit » : adjuncti verbi [18] primam literam præpositio commutavit; ut « suffugit [19], summutavit, sustulit ».

XLVIII. (XLVIII.) Quid in verbis junctis [1]? quam scite « insipientem », non « insapientem ? » « iniquum », non « inæquum ? » « tricipitem », non « tricapitem ? » « concisum », non « concæsum ? » Ex quo quidam « pertisum » etiam volunt : quod eadem consuetudo non probavit. Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto ? « inclytus [2] » dicimus brevi prima litera, « insanus » producta; « inhumanus » brevi, « infelix » longa : et, ne multis, quibus in verbis eæ primæ literæ sunt, quæ in « sapiente », atque

17. *Effecit, extulit, edidit.* Sic cum Lambino edidimus, quamquam contra libros, in quibus est « refecit, retulit, reddidit ». Ern.

18. *Adj. verbi pr. lit. præpositio comm.* Ern. inquit : at hoc non est in exemplis propositis, nec in sequentibus; in quibus potius *adjuncti verbi* prima litera præpositionem commutavit, ut « e rep. ex usu, effecit, etc. » e *submuto* fieret *summuto*, e *substulit*, *sustulit*. Ergo etiam sic locus corrigendus videtur. Schützius totum locum sic repræsentavit : « ut, exegit, edixit, extulit, edidit : at in « effecit » adjuncti verbi prima litera præpositionem commutavit ». J. V. L. quoque *effecit* loco inopportuno positum esse censet.

19. *Suffugit. Subegit*, quod hujus loco in vulgatis reperitur, est alienum, in quo præpositio nihil mutat. Ex ed. Lips. dedi *suffugit;* quæ et *summovit* habet pro *summutavit.* Ern.

LXVIII. 1. *Quid in v. j.* An vero exempla præcedentis *exegit*, etc. *suffugit*, etc. non sunt juncta, id est, composita ? Vereor ne locus sit interpolatus. Nam omnino totus hic locus in libris antiquis scr. et edd. ita varie et vitiose scriptus est, ut nihil supra. Ernest.

2. *Inclytus dicimus b. p. l.* Hoc totum nobis mirabile est, quia veram pronuntiationem Veterum nescimus, Nec eodem modo res a viris doctis explicatur. Vide Strebæum ad hunc locum, pag. 817, et viros doctos ad Gell. II, 17, ubi hunc locum commemorat. Sed Gellius habet *indoctus* pro *inclytus*, in MSS et edd. quod ego Ciceroni restituendum puto : nam et in libris reperitur sic, ut in ed. Lips. Ernest.

« felice », producte[3] dicitur ; in ceteris omnibus breviter : itemque « composuit, consuevit ; concrepuit, confecit ». Consule veritatem, reprehendet ; refer ad aures, probabunt. Quære, cur? ita se dicent juvari: voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipse, quum scirem ita majores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali[4], adspiratione uterentur, loquebar sic, ut « pulcros[5], Cetegos, triumpos, Cartaginem » dicerem : aliquando, idque sero[6], convicio aurium quum extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi. « Orcivios[7] » tamen, et « Matones, Otones, Cæpiones, sepulcra, coronas, lacrymas » dicimus, quia per au-

3. *Producte dicitur.* Int. litera prima : *itemque composuit* int. *in* comp. Et notandum, Ciceronem posuisse duo paria verborum, in quibus alterum brevem, alterum longam haberet primam syllabam. Ernest. — Schützius dat « producte dicitur in ; in ceteris ». Quod J. V. L. non probat.

4. *Nusquam, nisi in vocali.* Huc pertinent quæ Fabius, lib. I, cap. 5, tradit de aspiratione : « Parcissime ea Veteres usi etiam in vocalibus, quum *ædosque ircosque* dicebant. Diu deinde servatum ne consonantibus aspiraretur, ut in *Graccis* et *triumpis*. Erupit brevi tempore nimius usus, ut *choronæ, chenturiones, præchones*, adhuc quibusdam inscriptionibus maneant. Qua de re Catulli nobile epigramma est : « Chommoda dicebat, si quando commoda vellet Dicere, et hinsidias Arrius insidias, etc. » Pa...

5. *Pulcros.* Et ita certe legimus adhuc in quibusdam MSS et inscriptionibus, *pulcer, pulcra, pulcrum.* J. V. L.

6. *Aliquando, idque sero.* Consuetudo et usus aspirandi veteribus Romanis fuit, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, ut « homo, inhumanus, vehicula, trahebat ». Hanc veluti legem sequutus Cicero, reclamante populo, dicebat sine aspiratione « pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem », et cetera id genus. Aliquando tamen, idque sero, quum veritas, id est, vera loquendi ratio extorta esset homini aurium convicio, hoc est, auribus ipsius indignantibus, et tacite convicientibus, illa sicciora durioraque sentiri, tum cœpit ire per viam publicam, et cum populo dicere *pulchros, Cethegos*, etc. quæ nunc quoque scribendo servamus aspiratione mollita : sed ut plerisque pronuntiatio est, aspiratio non auditur. « Usum, inquit, populo concessi, scientiam mihi reservavi ». Ex arte præceptisque scientia comparatur, a qua si loquendi consuetudo dissentit, tum censet consuetudini plus et auribus quam scientiæ parendum. Strba.

7. *Orcivios.* Sunt, ut opinantur, *Orcinii*, qui et *Orchinii*, ut in or. pro

rium judicium semper[8] licet. « Burrum[9] » semper Ennius, numquam « Pyrrhum ». « Vi patefecerunt Bruges », non « Phryges » : ipsius antiqui declarant libri; nec enim græcam literam adhibebant : nunc autem etiam duas[10]; et quum « Phrygum », et quum « Phrygibus » dicendum esset, absurdum erat aut tantum barbaris casibus[11] græcam literam adhibere, aut recto casu solum græce loqui : tamen[12] et « Phryges » et « Phrygum[13] » aurium causa dicimus. Quin etiam, quod jam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum, quorum eædem erant postremæ duæ literæ, quæ sunt in « optumus », postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur. Ita[14] non erat offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetæ novi. Ita enim loquebamur[15] : « Qui est omnibu' princeps », non, « omnibus princeps »; et « Vita illa dignu', locoque[16] », non « dignus ». Quod si indocta consuetudo tam est artifex suavitatis, quid ab ipsa tandem arte et doctrina postulari putamus ?

Hæc dixi brevius, quam si hac de re una dispu-

Cluent. MS Vit. *Oscinios*. Ed. Venet. *Oscivios*. Ern. — Schützius dedit *Orcinios* cum Streb. et Camer.

8. *Semper licet*. Schutz. delet *semper* cum Gu. 3.

9. *Burrum*. Sic voluit scribere Petrus Victorius, Var. Lectt. XIV, 3, neque aliter legitur in Pal. pr. aut sec. non *Purrum*, ut vulgo. Gaut. — Ernest. ex codd. Ven. revocavit *Purrum* : at apud Quintil. Inst. Orat. I, 4, 15, *Burrum*. Sch.

10. *Nunc autem etiam duas*, etc. Scil. *y* et *ph*, quæ respondent græcis υ et φ.

11. *Barbaris casibus*. Sunt Latini, qui apud Græcos non sunt. Nempe nominativus in *Phryges* et græcus et latinus est : genitivos et dativus non item ; aliter enim eos casus finiunt Græci, aliter Latini. Ern.

12. *Tamen et*. Schützius dat, *nunc tamen et*, dicitque *nunc* magis hic abesse non posse quam supra in verbis « nunc autem etiam duas ».

13. *Et Phrygum*. Sic omnino legendum, ut habet ed. Omnib. Vulg. *Pyrrhum*. Sch.

14. *Ita non erat offensio*. Schütz. corrigit « id non erat offensioni ».

15. *Loquebamur*. Sch. *loquebantur*, quia præcessit *detrahebant*.

16. *Vita illa dignu', locoque*. Integer versus affertur Tusc. II, 17, non 27, ut Schützius in utraque editione scriptum habet.

tarem (est enim hic locus late patens, de natura usuque verborum); longius autem, quam instituta ratio postulabat.

XLIX. Sed quia rerum, verborumque judicium, prudentiæ est; vocum autem, et numerorum, aures sunt judices; et quod illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem: in illis ratio invenit, in his sensus artem. Aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus, aut ars ejus conciliandæ reperienda.

Duæ sunt igitur res, quæ permulceant aures, sonus et numerus. De numero mox, nunc de sono quærimus. Verba (ut supra diximus) legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non ut poetæ [1], exquisita ad sonum, sed sumpta de medio. « Qua ponto ab Helles [2] », superat modum: at, « Auratos [3] aries Colchorum », splendidis nominibus illuminatus est versus: sed proximus inquinatus insuavissima [4] litera

XLIX. 1. *Sed ea non ut poetæ.* Refertur ad *legenda sunt*, unde intelligendum, legunt. Ern.

2. *Qua ponto ab Helles.* Sic pro vulg. *Qua pontus Helles*, edidi e Seneca, epist. 81, unde et Lipsius sic scribi volebat, cum Grutero: « Imperito Argis, regna mihi reliquit Pelops, Qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari Urgetur *Isthmos* ». Quod si e Nonio supra recepta est lectio, quidni multo magis Seneca auctor idoneus sit? Et *pontus* nullo modo rectum esse potest, quia ita non *superaret modum*, ut Cicero judicat: nam id est, nimis sonans esse hoc, quod nulla quidem vocalis obscura insit: quod secus in altero *Auratos aries*, etc. ubi sunt duæ *i* et *u*. At in vulgata lectione in *pontus* est talis vocalis; quod secus est in ea, quam recepimus. Ern.

3. *Auratos.* Alii MSS, *auratus*. J. V. L.

4. *Insuavissima litera finitus.* Sic Manutius, sic Lambinus; neque aliter Pal. pr. aut sec. et Pith. At antiquiores edd. *infinitus*, quod reformabat Gulielmius in *insignitus*. Pall. tamen posteriores habent *litera finis*. Gaut. — Strebæo placebat *infinitus*. Schutz. vocem omnino delet: et J. V. L. mendum inesse pronuntiat. *Insuavissima litera*, S nimirum, quæ, teste Halicarnasseo, libro de compositione nominum, ingratum efficit sonum, et si sæpius usurpetur, vehementer offendit: quare caute a Veteribus adhibita est. Porro *Asias*, ubi duplex *s*, genitivus est antiquus, ut *familias*, etc. Faust.

finitus, « Frugifera et ferta arva Asiæ tenet[5] ». Quare bonitate potius nostrorum verborum utamur, quam splendore Græcorum[6]; nisi forte sic loqui pœnitet, « Qua tempestate Paris Helenam[7] », et quæ sequuntur. Immo vero ista sequamur, asperitatemque fugiamus, « Habeo istam ego perterricrepam ». Itemque[8], « Versutiloquas malitias[9] ».

(XLIX.) Nec solum componentur verba ratione, sed etiam finientur[10], quoniam id judicium esse alterum aurium diximus. Sed finiuntur aut compositione ipsa, et quasi sua sponte, aut[11] quodam genere verborum, in quibus ipsis concinnitas inest : quæ sive casus habent in exitu similes, sive paribus paria redduntur, sive opponuntur contraria, suapte natura numerosa sunt, etiamsi nihil est factum de industria. In hujus concinnitatis consectatione[12] Gorgiam fuisse principem accepimus, quo de genere illa nostra sunt in

5. *Arva Asiæ tenet*. Ed. Ven. habet « Asiæ arva tenet ». Manus docta corr. *Asias* e MS, et addit *Asiæ* alias. Ern.

6. *Quam splendore Græcorum*. I. e. frequentia verborum, in quibus meræ vocales clarius sonantes, qua delectantur Græci, in primis poetæ. Ern.

7. *Helenam*. Plenior hic versus effertur Orat. III, 58.

8. *Itemque*. Legam *itemque* : nam ad poetam referre, qui dixerit idem, quod præcesserit et quod sequitur; id quidem non placet. Ernest. — Quem Schütz. sequutus est. Al. *Idem*.

9. *Versutiloquas malitias*. Cf. Or. III, 38, ubi idem versiculus plenus laudatur. Sch. — Hunc Attio tribuit Gœrenz. Fin. IV, 25.

10. *Componentur... finientur*. Gu. 3, « componantur... finiantur ». Sch. — *Ratione* valet *quadam* via vel cura : vox *componentur* spectat ad sonum : vox *finientur* ad *numerum* : nec ratio hic putanda est auribus opposita esse, ut supra.

11. *Et quasi sua sponte, aut quodam genere*. Schütz. transponit particulas « aut quasi sua sponte, et quodam genere », sensu, ut ait, postulante.

12. *In hujus conc. consectatione... principem*. Quia consectatio concinnitatis est in vitio, non satis ei aptum *principis* verbum videtur : sed *consectatione* fortasse vitiosum videatur, legendumque cum Lamb. *confectione*, quod ille se in MS reperisse dicit (nos in Vit.), et hoc dare fortasse voluisse edd. Ven. Med. quæ habent *consectione* : sed id potest etiam e compendio natum esse, aut vitio operarum, pro *consecutione*, quod habet edit. Lips. nec differt a *consectatione* : vel *consectatio* lenius dici atque in bonam par-

Miloniana[13] : « Est enim, judices, hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus. ». Hæc enim talia sunt, ut, quia referuntur ad ea, ad quæ debent referri, intelligamus, non quæsitum esse numerum, sed sequutum. Quod fit item in contrariis referendis; ut illa sunt, quibus non modo numerosa oratio, sed etiam versus efficitur[14] :

Eam, quàm nihil accusas, damnas.

« Condemnas », diceret, qui versum effugere vellet.

Bene quam meritam esse autumas[15], dicis male mereri.
Id[16], quod scis, prodest nihil; id, quod nescis, obest.

Versum efficit ipsa relatio[17] contrariorum : id esset in oratione numerosum, « Quod scis, nihil prodest; quod nescis, multum obest ». Semper hæc, quæ Græci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria, numerum oratorium necessitate ipsa efficiunt, et eum[18] sine industria.

Hoc genere antiqui jam ante Isocratem delectabantur, et maxime Gorgias; cujus in oratione plerumque efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes, ut illa sunt in quarto accusa-

tem, ut verbum *consectari* ipsum, vel *principem* dici de auctore, quod optimum videtur. Vide cap. 52. Ern.

13. *In Miloniana*. Cap. 3.

14. *Versus efficitur*. Nempe iambicus dimeter scazon. Ern. — Etenim iidem hi versus citantur in Topic. cap. 13.

15. *Esse autumas*. Sch. delet *esse* metri servandi causa. — In ed. Ven. additur *pro autumas :* voluit dare *æstimas*, quæ est glossa. Ern.

16. *Id*, *quod scis*. Sch. delet *id*.

17. *Ipsa relatio contrariorum*. Ed. Ven. « illa ratio contrariorum ». *Ratio* quidem dici hic posset : sed *relatio* magis proprie e formula « contraria referuntur contrariis ». Ern.

18. *Et eum*. Ed. Ven. *etiam*, quod Ernestio probatum Sch. adoptavit.

tionis[19] : « Conferte hanc pacem cum illo bello ; hujus prætoris adventum, cum illius imperatoris victoria; hujus cohortem impuram, cum illius exercitu invicto; hujus libidines, cum illius continentia : ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas». Ergo et hi numeri sint cogniti[20].

L. (L.) Genus illud tertium explicetur, quale sit, numerosæ et aptæ orationis : quod qui non sentiunt, quas aures habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio. Meæ quidem et perfecto completoque verborum ambitu gaudent, et curta sentiunt, nec amant redundantia. Quid dico meas? conciones sæpe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent. Id enim exspectant aures, ut verbis colligentur sententiæ. Non erat hoc apud antiquos. Et quidem nihil aliud fere non erat : nam et verba eligebant[1], et sententias graves et suaves reperiebant; sed eas aut vinciebant, aut explebant parum. Hoc me ipsum delectat[2], inquiunt. Quid si antiquissima illa pictura paucorum colorum, magis, quam hæc jam perfecta, delectet? illa nobis sit, credo, repetenda; hæc scilicet repudianda.

Nominibus veterum gloriantur. Habet autem, ut in ætatibus auctoritatem senectus, sic in exemplis antiquitas : quæ quidem apud me ipsum valet pluri-

19. *In quarto accusationis*. Verr. IV, 52.

20. *Sint cogniti*. Schütz. dat « sunt cogniti », quia Cicero dicit quid ipse exposuerit, non quid ab oratoribus cognoscendum sit; aliaque lectione infra cap. 56 dicitur : « sit igitur hoc cognitum ». Ceterum, addit Schütz. in ed. Camer. Gothof. legitur : « Ergo et hi numeri sunt cogniti etiam a Latinis », in quo postrema verba glossatori debentur; neque enim in ullo suorum manuscriptorum Gruterus reperit.

L. 1. *Eligebant*. Pal. pr. sec. Pith. *effingebant*, quod tamen non ausim sequi. GRUT.

2. *Hoc me ipsum delectat, inquiunt*. Sc. amo hoc ipsum, quod parum apud illos vinctæ, parum expletæ sint sententiæ. Objectio est ab illis qui se solos Atticos esse contendunt, quia tenues sunt et in sua concinnitate exiles. Vide cap. 9 supra.

mum; nec ego id, quod deest antiquitati, flagito potius, quam laudo, quod est : præsertim quum ea majora judicem, quæ sunt, quam illa, quæ desunt. Plus est enim in verbis et in sententiis boni, quibus illi excellunt, quam in conclusione sententiarum, quam non habent. Post inventa conclusio est, qua credo usuros veteres illos fuisse, si jam nota atque usurpata res esset : qua inventa, omnes usos magnos oratores videmus.

LI. Sed habet nomen invidiam, quum in oratione judiciali et forensi numerus latine[1], græce ῥυθμὸς, inesse dicitur. Nimis enim insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur, si etiam in dicendo numeri ab oratore quæruntur. Hoc freti isti, et ipsi infracta et amputata loquuntur, et eos vituperant, qui apta et finita pronuntiant. Si inanibus verbis, levibusque sententiis, jure; sin probæ res, lecta verba, quid est cur claudere[2] aut insistere orationem malint, quam cum sententia pariter excurrere? Hic enim invidiosus numerus nihil affert aliud, nisi ut sit apte verbis comprehensa sententia; quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, sæpe[3] natura : et quæ valde laudantur apud illos, ea fere, quia sunt conclusa, laudantur. Et apud Græcos quidem jam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur; nos nuper agnovimus. Ergo Ennio[4] licuit, vetera contemnenti, dicere :

LI. 1. *Numerus latine, græce.* Ern. delevit *latine*, ut ineptum, et quia similiter sine hoc verbo totum hoc est supra cap. 20. Ernest. Bipont. et Sch. sequuti sunt.

2. *Quid est cur claudere.* Ante Gruterum edebatur *claudicare*, quod ille tamquam e MSS correxit *claudere*. At sic edd. ante Aldum, qui *claudicare* tenuere, ut alia, induxit, morigeris nimis editoribus posterioribus. Nec tamen hic paruit editor Lips. nec Fr. Gryph. Ern. — Ceterum *claudere* hoc loco idem est ac *claudicare*. Sch.

3. *Sæpe natura.* Multi codd. nostri habent «sed plerumque casu, sæpe etiam natura». J. V. L.

4. *Ennio.* Hic Ennianus versus cum sequentibus citatur etiam in Brut. cap. 18. Sch.

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant;

mihi de antiquis eodem modo non licebit[5]: præsertim quum dicturus non sim[6], « Ante hunc », ut ille; nec quæ sequuntur, « Nos ausi reserare ». Legi enim audivique nonnullos, quorum propemodum absolute concluderetur oratio. Quod qui non possunt, non est eis satis non contemni; laudari etiam volunt. Ego autem illos ipsos laudo, idque merito, quorum se isti[7] imitatores esse dicunt, etsi in eis aliquid desidero; hos vero minime, qui nihil illorum, nisi vitium, sequuntur, quum a bonis[8] absint longissime.

(LI.) Quod si aures tam inhumanas, tamque agrestes habent, ne doctissimorum quidem virorum eos movebit auctoritas? Omitto Isocratem, discipulosque ejus, Ephorum et Naucratem: quamquam orationis faciendæ et ornandæ auctores locupletissimi, summi ipsi oratores[9], esse debeant. Sed quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior[10] Aristotele fuit? quis porro Isocrati est

5. *Mihi... non licebit.* Sic ista per interrogationem accipienda: alias sensus nullus est. Ern.

6. *Dicturus non sim.* Nempe primum odium habiturum erat, alterum invidiam. — *Ante hunc.* Vide Brut. cap. 18. Ern.

7. *Isti.* Intell. numerosæ orationis reprehensores. Ern.

8. *Quum a bonis.* Scilicet *illorum*. *Bonis* opponitur voci *vitium*.

9. *Summi ipsi oratores, esse debeant.* Hic delevi *que*, quod in *summi* adhæserat: facit enim ridiculum sensum: debent esse auctores orationis f. et o. *summique* oratores. Quid enim amplius? non simile hoc illi. Sed deleto *que* sensus optimus est, nos illos auctores f. et o. o. agnoscere et imitari debemus, quia ipsi sunt oratores summi, quorum exemplum imitari oportet. Delevit et margo ed. Ven. et Fr. Gryph. Deinde edit. Ven. *debebant*. Ern. — Schützius *debebant* cum Gu. 3 recepit, additque: conf. Heusingeri notam ad Cic. Off. III, 1, 9. Sensus autem est: quamquam illi, quum summi ipsi oratores essent, propterea etiam auctores locupletissimi faciendæ (i. e. fingendæ et excolendæ) et ornandæ orationis esse debebant.

10. *Quis acutior, quis in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior.* Sch. cum Heusingero emendat: « quis in rebus vel inveniendis acutior, vel judicandis acrior Aristotele fuit? quis porro Isocrati est adversatus impensius? Is, etc. »

adversatus impensius[11]? Is igitur versum[12] in oratione vetat esse, numerum jubet. Ejus auditor Theodectes[13], in primis (ut Aristoteles sæpe significat) politus scriptor, atque artifex, hoc idem et sentit et præcipit. Theophrastus vero, iisdem de rebus etiam accuratius. Quis ergo istos ferat, qui hos auctores non probent? nisi omnino hæc esse ab his præcepta nesciant[14]. Quod si ita est (nec vero aliter existimo), quid? ipsi suis sensibus non moventur[15]? nihilne eis inane videtur? nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans? In versu quidem theatra tota exclamant[16], si fuit una syllaba aut[17] brevior, aut longior. Nec vero multitudo pedes novit, nec ullos numeros tenet; nec illud, quod offendit, aut cur, aut in quo offendat, intelligit: et tamen omnium longitudinum et brevitatum in sonis, sicut acutarum

11. *Impensius.* Hoc est a Grutero, qui eduxit, ut sit, e tenebris Pal. pr. ac sec. neque aliter erat in Pith. ab Aldo *infensius*, quod est et in ed. Lips. Gryph. MS Vit. At edd. ante Aldum «etiam adversarius infensior», quod cur mutatum sit, non video. Ern.

12. *Is igitur versum.* Aristoteles, Rhetor. lib. III, cap. 8, de numero præcipit; ut dictionis forma neque versibus constet, neque numero careat. Proust. — Vide Quint. IX, 4.

13. *Theodectes.* E Lycia orator, Platonis, Isocratis et Aristotelis discipulus. Scripsit versu artem oratoriam: animum etiam ad poesim tragicam summa laude appulit. Obiit anno ætatis XLI. Floruit olympiade CIII. Suidas.

14. *Nesciant.* Sic edidi ex edd. pr. et Lips. At Aldus dedit vulgatum *nesciunt*, quod et MS Vit. habet, et sic correxit margo ed. Ven. Ern.

15. *Quid? ipsi suis sensibus non moventur?* Vulgatum, «quia ipsi suis sensibus non moventur», nullo modo rectum esse potest per sequentia; in quibus jubentur. Orationis sensus est: Si ita est, i. e. si hæc præcepta ignorant; et ita esse arbitror: sensibus tamen debent moveri, sentire, ista numerosa esse, pulchra et probanda: quæ non sint, in iis esse, quod contra sit. Ex his apparet legendum esse, ut dedimus; idque ita evidens judicavi, ut in textum recipere non dubitarem cum Lambino. Huc alludit lectio marginis ed. Ven. qui *quia* corr. *quod.* Ern. — Schützius dat præterea cum Gu. 3, *moveantur*, et mox *videatur.*

16. *Exclamant.* Lambinus corr. *reclamant*, ut de Orat. III, 50, etiam *exclamare* in hunc deteriorem sensum dicitur. Ern. — Schützius Lambinum sequitur.

17. *Syllaba aut brevior.* Addidi *aut*

graviumque vocum, judicium ipsa natura in auribus nostris collocavit[18].

LII. (LII.) Visne igitur, Brute, totum hunc locum accuratius etiam explicemus, quam illi ipsi, qui et hæc, et alia nobis tradiderunt? an his contenti esse, quæ ab illis dicta sunt, possumus? Sed quid quæro, velisne; quum literis tuis, eruditissime scriptis, te id vel maxime velle perspexerim[1]? Primum ergo origo, deinde causa, post natura, tum ad extremum usus ipse explicetur orationis aptæ atque numerosæ.

Nam qui Isocratem maxime mirantur, hoc in[2] ejus summis laudibus ferunt, quod verbis solutis numeros primus adjunxerit. Quum enim videret, oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate: tum dicitur numeros sequutus, quibus etiam in oratione uteremur[3], quum[4] jucunditatis causa, tum ut varietas occurreret satietati. Quod ab his[5] vere quadam ex parte, non totum, dicitur. Nam neminem in eo genere scientius versatum Isocrate, confitendum est: sed princeps inveniendi fuit Thrasymachus; cujus omnia nimis etiam exstant scripta numerose. Nam, ut paullo ante dixi, paria paribus adjuncta, et similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quæ sua sponte, etiamsi id non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit; sed his est usus intemperantius: id autem est genus[6], ut ante dictum

ex omnibus nostris libris. J. V. L.

18. *Collocavit.* De tota hac re conf. Quint. IX, 4. J. V. L. observat verba et sonos quasi lapides esse exstruendo ædificio destinatos, quos numerus et rhythmus in ordinem cogunt expoliuntque.

LII. 1. *Velle perspexerim.* MS V. *prospexerim.* Ern.

2. *Hoc in ejus summis laudibus ferunt.* Lambin. « in hoc eum summis laudibus ferunt ».

3. *Uteremur.* Gu. 3, *uteretur.*

4. *Quum jucunditatis.* Schützius, « tum jucunditatis ».

5. *Quod ab his.* Scil. qui hanc laudem Isocrati tribuunt.

6. *Id autem est genus.* Collocationis verborum, ut ante Cicero explicuit, cap. 44, triplex est genus: primum,

est, ex tribus partibus collocationis alterum. Horum uterque Isocratem ætate præcurrit : ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis faciendisque[7] verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem avidior est generis ejus, et his festivitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur : quas Isocrates (quum tamen audivisset in Thessalia adolescens senem jam Gorgiam) moderatius temperavit. Quin etiam se ipse tantum[8], quantum ætate procedebat (prope enim centum confecit annos), relaxarat a nimia necessitate numerorum : quod declarat in eo libro[9], quem ad Philippum Macedonem scripsit, quum jam admodum esset senex ; in quo dicit, sese minus jam servire numeris, quam solitus esset. Ita non modo superiores, sed etiam se ipse correxerat.

LIII. (LIII.) Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos principes, auctoresque, quos diximus[1], et origo inventa est[2] : causa quæratur. Quæ sic aperta est, ut mirer, veteres non esse commotos[3], præsertim quum, ut fit, fortuito sæpe aliquid concluse apteque dicerent : quod quum animos hominum, auresque pepulisset, ut intelligi posset, id, quod casus effudisset,

ut inter se verba aptissime cohæreant extrema cum primis : alterum, de quo hic agitur, ut ipsa verborum concinnitas conficiat orbem suum : tertium, ut comprehensio numerose cadat. PRUST.

7. *Faciendisque.* Abest ed. Ven. ERN.

8. *Se ipse tantum.* Hic Schutzius et in fine cap. ante *correxerat*, corrigit *se ipsum*; quasi vi oppositionis postulante.

9. *In eo libro.* In oratione ad Philippum, qua eum hortatur, ut præcipuis Græciæ urbibus reconciliatis, bellum Persis inferat. PRUST.

LIII. 1. *Quos diximus.* Sic recte edd. Med. Asc. Aldus *dicimus*, quod tamen et MS Vit. et ed. Ven. habent. *Diximus* servavit Fr. Gryph. ERN. — Cui Schutz. assentitur.

2. *Et origo inventa est.* Gu. 3, « origo inventa est » ; ut hæc ad apodosin referantur. Vulgatam defendit Gœrenz. ad Cic. de Fin. I, 7. SCH.

3. *Veteres non esse commotos.* Possit alicui in mentem venire *commonitos :* qui esse sensus h. l. debet, et non ita multo post est « natura admonente » : sed etiam *movere* sic dicitur. ERN.

cecidisse jucunde; notandum certe genus, atque ipsi sibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus aurium nuntio[4] naturalem quamdam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora et breviora judicat, et perfecta ac moderata semper exspectat. Mutila sentit quædam, et quasi decurtata, quibus, tamquam debito fraudetur, offenditur; productiora alia, et quasi immoderatius excurrentia, quæ magis etiam aspernantur aures: quod quum in plerisque, tum in hoc genere nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum. Ut igitur poetica et versus[5] inventus est terminatione aurium, observatione prudentium: sic in oratione animadversum est, multo illud quidem serius, sed eadem natura admonente, esse quosdam certos cursus conclusionesque verborum.

(LIV.) Quoniam igitur causam quoque ostendimus, naturam nunc (id enim erat tertium), si placet, explicemus: quæ disputatio non hujus instituti sermonis est, sed artis intimæ. Quæri enim potest, qui[6] sit orationis numerus, et ubi sit positus, et natus ex quo; et is unusne sit, an duo, an plures, quaque ratione componatur, et ad quam rem, et quando, et quo loco, et quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. Sed ut in plerisque rebus, sic in hac, duplex est considerandi via: quarum altera est longior, brevior altera, eadem etiam planior.

LIV. Est autem longioris prima illa quæstio, sitne

4. *Vel animus aurium nuntio.* Se ipse corrigit Cicero, ut significet non proprie aures ipsas audire, sed animum nostrum. De perceptionibus doctrinam suam explicat noster, Tuscul. Quæst. 1, cap. 20, ubi dicit sensus nihil aliud esse quam canales per quos ad animum rerum impressio transfertur.

5. *Ut igitur poetica et versus.* Sch. corrigit « ut ig. in poetica versus ».

6. *Qui sit.* Schutzius dat *ecqui sit*, quia sequitur « sitne omnino ulla numerosa oratio ».

omnino ulla numerosa oratio (quibusdam enim non videtur : quia nihil insit in ea certi, ut in versibus, et quod ipsi, qui affirment [1], eos [2] esse numeros, rationem, cur sint, non queant reddere)? Deinde, si sit numerus in oratione, qualis sit, aut quales; et e poeticisne numeris, an ex alio genere quodam; et, si e poeticis, quis eorum sit, aut qui (namque aliis unus modo, aliis plures, aliis omnes iidem videntur)? Deinde, quicumque sint [3], sive unus, sive plures; communesne sint omni generi orationis [4] (quoniam aliud genus est narrandi, aliud persuadendi, aliud docendi)? an dispares numeri cuique orationis generi accommodentur? Si communes, qui sint? si dispares, quid intersit, et cur non æque in oratione, atque in versu numerus appareat? Deinde, quod dicitur in oratione, numerosum, id utrum numero solum efficiatur, an etiam vel compositione quadam, vel genere verborum, an sit [5] suum cujusque, ut numerus intervallis, compositio vocibus, genus ipsum verborum [6] quasi quædam forma et lumen orationis appa-

LIV. 1. *Qui affirment.* Sic pro *affirmant* olim correxi ex analogia linguæ : post sic reperi in edd. ante Ald. et Lips. et MS Vit. Ern.

2. *Eos esse numeros.* Schütz. delet *eos.* In Gu. 3, « esse eos numeros, rationem ».

3. *Quicumque sint.* Lambinus primum corrigit *quotcumque*, non male : ego autem correxi *sint* pro *sunt*, ex lege, et quia supra *si sint ;* omnino locus est difficilis, quia nimis in longum procurrit, interpositis interdum sententiis, quæ alia forma quam reliqua exprimuntur, nec sunt animadversæ vulgo : unde varietas interpunctionis et lectionis nata est. Parentheses notavimus suis signis : deinde veram interpunctionem dedimus. Ernest. — Vulgatum *sunt* defendit Heusingerus. Cf. ejus ex fratre nepotis præfat. ad Cic. de Off. p. 55. Sch.

4. *Omni generi orationis.* Margo ed. Ven. « omnis generis orationi », quod Heusingero placebat : Gu. 3, « omni generis orationi ».

5. *An sit suum cujusque.* Vulgo *est.* In antecedente membro est « utrum efficiatur » : ergo necessarium in hoc *sit.* Vidit Lambinus. Ern.

6. *Genus ipsum verborum.* Schütz. emendat « genere ipso verborum », quod dicit manifestum esse ex antecedentibus. Lambinus totum locum ita constituit : « ut numerus in intervallis, compositio in vocibus, genus ipsum

reat; sitque[7] omnium fons compositio, ex eaque et numerus efficiatur, et ea, quæ dicuntur orationis quasi formæ et lumina, quæ (ut dixi) Græci vocant σχήματα? At non est unum, nec idem, quod voce jucundum est, et quod moderatione absolutum[8], et quod illuminatum genere verborum: quamquam id quidem finitimum est numero, quia per se plerumque perfectum est; compositio autem ab utroque differt, quæ tota servit gravitati vocum, aut suavitati.

Hæc igitur fere sunt, in quibus rei natura quærenda sit.

LV. (LV.) Esse ergo in oratione numerum quemdam, non est difficile cognoscere. Judicat[1] enim sensus; in quo iniquum est, quod accidit, non agnoscere[2], si, cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipse versus ratione est cognitus[3], sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit. Ita notatio naturæ et animadversio peperit artem. Sed in versibus res est apertior: quamquam etiam, a modis quibusdam[4] cantu remoto, soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui λυρικοὶ a Græcis nominantur[5], quos quum cantu spoliaveris, nuda pæne re-

verborum in quadam quasi forma et lumine o. s.».

7. *Sitque*. I. e. et utrum sit. Sch.

8. *Et quod moderatione absolutum*. Fortasse *modulatione*, ut et de Orat. lib. 1, cap. 60, ubi omnes vulgati «adstrictus certa quadam numerorum moderatione, et pedum», Hic etiam placeat *modulatione*. Munst.

LV. 1. *Judicat*. Schutzius dat *indicat*, quia h. l. non agitur de judicio, sed tantum de iudicio ejus quod accidit.

2. *Agnoscere*. Sic Schutzius cum Gu. 3, pro vulg. *cognoscere*.

3. *Neque enim ipse versus ratione est cognitus*. Si rythmus et metrum ratione cognita essent, ratio redderetur: sed a natura parta sunt, a sensu notata, ratione dimensa. Quamobrem tantum dici potest rationem mensura comprehendisse, quæ natura peperisset. Ergo ratio versum numerumque metitur, sed non parit. Stres.

4. *A modis quibusdam*. Vulgo male post *quibusdam* comma positum: quod si sustuleris, non opus est Ernesl. conjectura «in modis quibusdam». Sch.

5. *A Græcis nominantur*. Lambin. addit *apparet*.

manet oratio. Quorum similia sunt quædam etiam apud nostros : velut illa in Thyeste,

Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute [6];

et quæ sequuntur : quæ, nisi quum tibicen accessit, orationi sunt solutæ simillima. At[7] comicorum senarii propter similitudinem sermonis sic sæpe sunt abjecti, ut nonnumquam vix in eis[8] numerus et versus intelligi possit : quod est ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quam in versibus.

Omnino duo sunt, quæ condiant orationem; verborum, numerorumque jucunditas. In verbis inest quasi materia quædam; in numero autem expolitio. Sed ut ceteris in rebus necessitatis inventa antiquiora sunt, quam voluptatis : ita et[9] in hac re accidit, ut multis seculis ante oratio nuda ac rudis ad solos animorum sensus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, causa delectationis aurium, excogitata.

LVI. Itaque et Herodotus[1], et eadem superiorque ætas numero caruit[2], nisi quando temere ac fortuito; et scriptores perveteres de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt. Nam quod et facilius est, et magis necessarium, id semper ante cognoscitur. Itaque translata, aut facta, aut juncta verba, facile sunt cognita, quia sumebantur e

6. *Qui tarda in senectute.* Sic quoque Pall. nostri, nisi quod unus *quin.* Hoc pono, quod editiones Lambini perperam exhibeant, *quid.* Gaut.

7. *At comicorum.* Schütz. cum Go. 3, *ac com.*

8. *In eis numer.* Sic Go. 3. Vulgo, *his.* Sch.

9. *Ita et... excogitata.* Hæc absunt ed. Ven. Ern.

LVI. 1. *Itaque et Herodotus*, etc. Dissentit Quint. IX, 4, 16. Nec mihi, inquit, quamlibet magnus auctor, Cicero persuaserit Lysiam, Herodotum, Thucydidem parum studiosos ejus numeri fuisse. Paust.

2. *Caruit.* Go. 3, *placuit*, unde Heusingerus conjicit legendum « non numero placuit, nisi quando temere ac fortuito ». Sch.

consuetudine, quotidianoque sermone; numerus autem non domo depromebatur[3], neque habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione: itaque serius aliquanto notatus et cognitus, quasi quamdam palæstram et extrema lineamenta orationi attulit. Quod si et angusta quædam atque concisa, et alia est collatata et diffusa[4] oratio: necesse est id non literarum accidere[5] natura, sed intervallorum longorum et brevium varietate; quibus implicata atque permixta oratio quoniam[6] tum stabilis est, tum volubilis, necesse est ejusmodi naturam numeris contineri. Nam circuitus ille, quem sæpe jam diximus, incitatior numero ipso fertur[7] et labitur, quoad perveniat ad finem, et insistat. Perspicuum est igitur, numeris adstrictam orationem esse debere, carere versibus.

(LVI.) Sed hi numeri, poeticine sint, an ex alio ge-

3. *Non domo depromebatur.* Hanc scripturam revocavit Victorius, cui ridicule Lambinus præponit suum *nondum*. Pall. et olim cusi præferunt « non modo depromebatur, neque habebat, etc. » GAUT.

4. *Collatata et diffusa oratio.* Verbum hoc nuspiam alibi occurrit pro *dilatata*. Edd. quædam vett. et MS Vit. *collocata*, quod locum non habet. Ed. Ven. Gryph. *collata*. ERNEST. — Schützius cum Gu. 3, « dilatata et fusa ».

5. *Accidere natura.* Edd. ante Ald. *accedere*, ut MS Vit. quod non video quare mutatum sit. *Id* de numero intelligendum: is accidit ad orationem, non inest natura. EAN.

6. *Quoniam... contineri.* Hæc sunt sine dubio vitiosa: nec, quomodo corrigenda sint, reperio. Nihil est, unde pendeat « necesse est », in quo est conclusio argumenti: forte delendum est *quoniam*: ut hæc cohæreant, « quibus implicata oratio, tum stabilis est, tum volubilis ». Et reliquum separandum a superioribus « Itaque necesse est » et « ejusmodi naturæ » erit in stabilitate et volubilitate. EAN. — Schützius dedit « ejusmodi veritatem » pro « ejusmodi naturam ». Ceterum Ernest. ante *quoniam* interpungit virgula.

7. *Incitatior numero ipso fertur et labitur.* Schützius dat: « vel incitatior numero ipso fertur, vel tardius labitur ». Sic, inquit, emendavi: nam cum adjectivo *incitatior* non bene coit verbum *labitur*, nec vera est sententia sic expressa, quia non quævis periodus incitatior fertur ad finem. Sic in Fin. cap. 64: « Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius »; et cap. 59: « interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio ».

uere quodam, deinceps est[8] videndum. Nullus est igitur numerus extra poeticos; propterea quod definita sunt genera numerorum. Nam omnis talis est, ut unus sit e tribus. Pes enim[9], qui adhibetur ad numeros, partitur in tria[10], ut necesse sit, partem pedis aut æqualem[11] alteri parti, aut altero tanto, aut ses-

8. *Deinceps est vid.* Abest *est* ed. Lallem.

9. *Pes enim*, etc. Cujus loci hæc est sententia: pedes ex quibus numeri conficiuntur, triplicis sunt generis. Alii sunt æquales, et unam partem habent æqualem alteri: tales sunt spondei, qui constant ex duabus longis; tales dactyli quorum prima longa duabus brevibus æqualis est. Alii duplices sunt, quorum una pars altero tanto major est altera: ejusmodi iambus est, brevis enim syllaba longa est dimidiata. Alii denique sunt sesquiplices, quorum altera pars altera dimidio major est, ut pæon sive pæan, qui longa una syllaba et tribus brevibus constat. At longa syllaba in temporum metricorum ratione duas breves æquare dicitur. Ita fit ut tres breves longam unam dimidio superent. Nam ternarios ad binarium relatos sesquialteram proportionem habet. Ita fere Budæus, lib. I de Asse. PAUST.

10. *Partitur in tria. In tria* MSS tribus aberat, quod non esse de nihilo putat Gruterus. Locus sane durus est, et fortasse vitiosus. Sensus est: pedis, qua partes, tria genera sunt: in primo sunt partes æquales, ut in dactylo, anapæsto, spondeo: in altero inæquales, ut in iambo, trochæo, ubi pars una altero tanto major est altera: in tertio, ut in pæone, una parte scil. longa, reliquæ sunt sesquimajores. Sed res brevitate obscurius expressa est. ERN. — Schützius corrigit «partitur ita». Ut planius intelligantur quæ sequuntur, opportunum est hoc loco exponere quæ sit mensura pedum omnium, de quibus Cicero loquitur. Eorum scilicet duplex est genus, simplicium et compositorum. Simplices duobus vel tribus constant syllabis: duobus scilicet, spondeus, qui fit duobus longis, ut *musæ;* choreus, vulgo dictus trochæus, qui fit longa et brevi, ut *musa;* iambus, qui fit brevi et longa, ut *deo;* pyrrichius, qui fit duabus brevibus, ut *deus:* simplices pedes, qui tribus constant syllabis, sunt dactylus, qui fit longa et duabus brevibus, ut *carmina;* anapæstus, qui fit duabus brevibus et longa, ut *domini;* creticus, qui fit brevi inter duas longas posita, ut *castitas;* tribrachys, a Cicerone dictus trochæus, qui fit tribus brevibus, ut *domina.* Multi sunt pedes compositi, sed de tribus tantum mentionem facit Cicero, de dichoreo, qui fit duobus choreis, ut *comprobare;* de pæone, cujus genus est duplex, alterum quod longa et tribus fit brevibus, ut *conficere;* alterum quod tribus brevibus et longa, ut *celeritas;* denique de dochmio, qui quinque syllabis constat: brevi, duabus longis, brevi et longa, ut *amicos tenes.*

11. *Aut æqualem alteri.* Vulgo *esse alt.* Budæus de Asse, p. m. 111, delet alterum *esse* in «sesqui esse maj.» et transponit verba ultima sic: «altero tanto majorem, aut sesqui», quod Ci-

qui esse majorem. Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, sesqui pæon[12] : qui pedes in orationem non cadere qui possunt? quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit necesse est.

Sed quæritur, quo numero, aut quibus potissimum sit utendum. Incidere vero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi potest, quod versus sæpe in oratione per imprudentiam dicimus (quod vehementer[13] est vitiosum : sed non attendimus, neque exaudimus nosmet ipsos); senarios vero et Hipponacteos[14] effugere vix possumus. Magnam enim partem ex iambis nostra constat oratio. Sed tamen eos versus facile agnoscit auditor; sunt enim usitatissimi. Inculcamus autem per imprudentiam sæpe etiam minus usitatos, sed tamen versus : vitiosum genus, et longa animi provisione fugiendum. Elegit ex multis Isocrati[15] libris triginta fortasse versus Hieronymus, peripateticus in

ceronianæ collocationi convenit, sed « sesqui esse majorem » multo magis. Itaque primum *esse* cum MS Vit. delevi. Ern.

12. *Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, sesqui pæon*. Schutzius corrigit : « ita fit æqualis dactylis, duplex iambis, sesquiplex pæoni ». Vulgatum, inquit, est absurdum. Nam non ipse dactylus fit æqualis, nec duplex iambus. Sed hæc est potius sententia. « Ita fit æqualis » pars alteri parti « dactylis, duplex » pars alterius partis « iambis, sesquiplex » pars altera alterius partis *pæoni*. Et sic c. 57, Vict. « sesqui pæan ». Lamb. « sesquiplex pæan ».

13. *Quod vehementer ... nosmet ipsos*. Hæc sunt in parenthesi dicta, deinde « senarios vero » cohærent cum superioribus, nec est novæ sententiæ initium, ut in vulgatis. Ern. — Nec cavit Cicero, cui interdum versus etiam heroici exciderunt : ut pro Archia : « In quo me non inficior mediocriter esse versatum ». Immo de Orat. lib. III, quo vitium hoc exagitatur, inventum est integrum distichum. Sic enim loquitur Crassus, cap. 5 : « Ac mihi quidem veteres illi majus quiddam animo, *Complexi, plus multo etiam vidisse videntur, Quam quantum nostrorum ingeniorum acies*, intueri possit ». Vide Voss. Instt. Oratt. lib. IV. Prust.

14. *Hipponacteos*. Illi, si credimus Majoragio, nihil ab iambis differunt, nisi quod in his pes ultimus semper spondeus sit, dum in iambicis sit iambus. Similes ergo sunt scazontibus et choriambis.

15. *Isocrati*. Hoc Ernestius vocat antiquariorum sordes, reponitque *Isocratis* cum MS Vit. et edd. vett.

primis nobilis, plerosque senarios, sed etiam anapæsta[16] : quo quid potest esse turpius? etsi in eligendo fecit malitiose : prima enim syllaba dempta in primo verbo[17] sententiæ, postremum ad verbum primam rursus syllabam adjunxit insequentis. Ita factus est anapæstus[18] is, qui Aristophaneus[19] nominatur : quod ne accidat, observari nec potest, nec necesse est. Sed tamen hic corrector, in eo ipso loco, quo reprehendit[20] (ut a me animadversum est studiose inquirente in eum), immittit imprudens ipse senarium. Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratorios, qui sint poetici.

LVII. (LVII.) Sequitur ergo, ut, qui maxime cadant in orationem aptam numeri, videndum sit. Sunt enim qui iambicum putent, quod sit orationi simillimus : qua de causa fieri, ut is potissimum propter similitudinem veritatis adhibeatur in fabulis; quod ille[1] dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ sit accommodatior. Ephorus autem, levis ipse orator[2], sed profectus ex optima disciplina, pæona sequitur, aut dactylum; fugit autem spondeum et trochæum[3]. Quod enim pæon habeat tres breves, dactylus autem duas, brevitate et celeritate[4] syllabarum labi putat verba

16. *Anapæsta*. Margo ad Ven. *anapæstica*. ERN. — Vide *Élémens de Littérature de Marmontel*, verbo *anapeste*.

17. *In primo verbo*. Margo ed. Ven. « ex pr. v. » ERN.

18. *Anapæstus*. Edit. Med. Lips. Gryph. *anapæsticus*. ERN.

19. *Aristophaneus*. Quia frequentissime eo pede usus est Aristophanes.

20. *Quo reprehendit*. Gothof. conj. « quo Isocratem reprehendit ». SCH.

LVII. 1. *Quod ille*. Puto scribendum *quum*, quod res facile docet.

2. *Levis ipse orator*. Quidam corrigunt *lenis*, quod recte improbat Strebæus. Sic tamen MS Vit. ERN.

3. *Trochæum*. Non obliviscendum est Ciceroni eumdem esse trochæum atque tribrachym : quod fugit Ernestium, qui infra male suadet *tribrachy* pro *trochæo*. Vulgaris trochæus a Cicerone *choreus* vocatur. J. V. L. — Et hoc confirmat quod paullo inferius legitur : « Trochæum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem appellat ».

4. *Et celeritate syll*. Schützius dat

proclivius; contraque accidere in spondeo et trochæo[5]: quod alter longis constaret, alter e brevibus fieret, alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed et illi priores errant, et Ephorus in culpa est. Nam et qui[6] pæona prætereunt, non vident mollissimum a sese numerum, eumdemque amplissimum præteriri. Quod longe Aristoteli[7] videtur secus, qui judicat, heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio; iambum autem nimis e vulgari esse sermone. Ita neque humilem, nec abjectam[8] orationem, nec nimis altam et exaggeratam probat; plenam tamen eam vult esse gravitatis, ut eos, qui audient[9], ad majorem admirationem possit traducere. Trochæum autem, qui est eodem spatio, quo choreus, cordacem[10] appellat, quia contractio et brevitas dignitatem non habeat. Ita pæona probat, eoque ait uti omnes, sed ipsos non sentire, quum utantur; esse autem tertium ac medium inter illos; sed ita factos eos pedes esse, ut in eis[11] singulis modus insit aut sesquiplex, aut duplex,

« et proceritate syll. » Sic emendavit ex Quintiliani loco, IX, 4, 82: « licet enim pæonem sequatur Ephorus... dactylumque ut temperatiores brevibus ac longis ».

5. *Et trochæo*. Immo *tribrachy*, quia dicit esse e brevibus, quod in trochæo non est. Mox *e longis* vel *ex* edd. vett. totum forte sic scribendum: « quod alter e longis constet (nam *constaret* locum non habet), alter e brevibus: fieri alteram orationem, etc. » ita recte respondebit superioribus « brev. et cel. syll. labi verba procl. » atque ultima habebunt verbum, quod vix abesse potest. Ern. — Vid. not. 3.

6. *Nam et qui*. Sch. delet *et*.

7. *Aristoteli*. Rhetor. III, 8.

8. *Nec abjectam*. Schützius, « et abjectam ».

9. *Qui audient*. Scribe *audiant*: non enim est præceptum, in quo futurum hoc sæpe occurrere scio. Ern.

10. *Cordacem*. Schützius scribit κορδακικόν. *Cordacem*, inquit, Aristuteles non poterat appellare trochæum sc. tribrachyn. Nam *cordax* est ipsum saltationis genus. Immo potius eum κορδακικώτερον appellavit, Rhet. III, 8. Et jam Meursius in lib. de Orchestra, p. 41, prætulit *cordacicum*. Sch. — Vid. Clav. in h. v. Ern.

11. *In eis singulis*. *Eis* libenter deleverim: nam et per se elegantius est, et mox præcedit *eos*. Ern.

aut par. Itaque illi, de quibus ante dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem, nullam dignitatis. Iambus enim et dactylus in versum cadunt maxime: itaque ut versum fugimus in oratione, sic hi sunt evitandi continuati pedes. Aliud enim quiddam est oratio, nec quidquam inimicius, quam illa versibus. Pæon autem minime est aptus ad versum: quo libentius eum recepit oratio. Ephorus vero ne spondeum quidem, quem fugit, intelligit esse æqualem dactylo[12], quem probat. Syllabis enim metiendos pedes, non intervallis, existimat: quod idem facit in trochæo, qui temporibus et intervallis est par iambo; sed eo vitiosus in oratione, si ponatur[13] extremus, quod verba melius in syllabas longiores cadunt. Atque hæc, quæ sunt apud Aristotelem, eadem a Theophrasto Theodecteque de pæone dicuntur. Ego autem sentio, omnes in oratione esse quasi[14] permixtos et confusos pedes: nec enim effugere possemus animadversionem, si semper iisdem uteremur; quia neque numerosa esse, ut poema, neque extra numerum, ut sermo vulgi[15], esse debet oratio. Alterum nimis est vinctum, ut de industria factum appareat; alterum nimis dissolutum, ut pervagatum ac vulgare videatur: ut ab altero non delectere[16], alterum oderis. Sit igitur,

12. *Æqualem dactylo.* Æqualis est dactylo spondeus ratione non syllabarum, sed intervallorum: ut enim quatuor habet spatia dactylus, duo priora ratione unius longæ, duo posteriora ratione duarum brevium, sic spondeo propter duas longas quatuor sunt spatia. PAUST.

13. *Si ponatur extremus.* Numerosum est hoc quartæ Catilinariæ exordium: «Video, P. C. in me omnium vestrum ora atque oculos esse conversos». Desinat trochæo *conversos esse* vel *esse conversos video*, mirum quantum deficiet. PAUST.

14. *Esse quasi perm.* Aut addendum est, aut intelligendum *debere.* ERN.

15. *Ut sermo vulgi, esse debet or.* *Esse* rescripsi ex edd. Ven. Med. pro *est*, quod Aldus dedit, efficitque duriorem orationem: si repetitio verbi *esse* displicet, per me deleatur. Et abest ab ed. Lips. quæ habet: «ut sermo vulgi, debet or.» ERN.

16. *Ab altero non delectere, alte-*

ut supra dixi, permixta et temperata[17] numeris, nec dissoluta, nec tota numerosa, pæone maxime (quoniam optimus auctor ita censet), sed reliquis etiam numeris, quos ille prætcrit, temperata.

LVIII. (LVIII.) Quos autem numeros, cum quibus, tamquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est, atque etiam quibus orationis generibus sint quique[1] accommodatissimi. Iambus enim frequentissimus est in iis, quæ demisso atque humili sermone dicuntur; pæon autem in amplioribus; in utroque dactylus. Ita in varia et perpetua oratione hi sunt inter se miscendi et temperandi. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium, et quadrandæ orationis industria : quæ latebit eo magis, si et verborum et sententiarum ponderibus utemur. Nam qui audiunt, hæc duo animadvertunt, et jucunda sibi censent, verba dico et sententias : eaque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos et prætervolat numerus; qui tamen si abesset, illa ipsa[2] delectarent. Nec vero nimius[3] is cursus est numerorum, orationis dico (nam est longe aliter in versibus), nihil ut fiat extra modum; nam id quidem esset poema : sed omnis nec

rum oderis. Ab altero, sc. nimis dissoluto, *non delectere; alterum*, sc. nimis vinctum, et quod de industria factum appareat, *oderis*, i. e. tædio ex affectata concinnitate afficiaris. Sch.

17. *Temperata numeris*. Sch. dat « implicata numeris », quia sic Cicero supra c. 53 extr. dixerat.

LVIII. 1. *Sint quique acc.* Vulgo *cuique*, quod vitiosum esse ipse sensi olim, et *quique* reponendum : id deinde reperi in MS Vit. edd. pr. etiam Victor. Lambin. *Cuique* est vitium typographicum, quod temere repetitum est.

2. *Illa ipsa delectarent*. Schutzius, « qui tamen si abesset, illa ipsa minus delectarent », de Purgoldi conjectura.

3. *Nec vero nimius is c. est numerorum.* Hic Sch. delevit *nimius*, pro quo omnes codd. J. V. L. habent *minus*. Lambinus malebat « nec vero nimius is cursus esto numerorum ». Ern. *numerorum* uncis inclusit, ut alienum, quia numeri non currunt et labuntur, sed oratio, quod et diserte additur, et verba : nos certe hic imperativum vel subjunctivum desideramus.

claudicans, nec quasi fluctuans, et æqualiter[4] constanterque ingrediens, numerosa habetur[5] oratio. Atque id in dicendo numerosum putatur, non quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit. Quo etiam difficilius est oratione uti, quam versibus: quod illis[6] certa quædam et definita lex est, quam sequi sit necesse; in dicendo autem nihil est propositum, nisi ut ne[7] immoderata, aut angusta, aut dissoluta, aut fluens sit oratio. Itaque non sunt in ea tamquam tibicini percussionum modi, sed universa comprehensio et species orationis clausa et terminata est; quod voluptate aurium judicatur.

LIX. (LIX.) Solet autem quæri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus, atque in extremis[1]. Plerique enim censent cadere tantum numerose oportere; terminarique sententiam. Est autem, ut id maxime deceat, non id solum[2]: ponendus est enim ille ambitus, non abjiciendus. Quare quum aures extremum semper exspectent, in eoque acquiescant, id vacare numero non oportet; sed ad hunc exitum[3] tamen a principio ferri debet verborum illa comprehensio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum veniens ipsa consistat. Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint, et quæcumque etiam sine scripto dicerent, si-

4. *Æqualiter.* Schützius conjicit *æquabiliter.*

5. *Habetur... putatur.* Lamb. *habetur... putetur.*

6. *Quod illis.* Lallem. « quod in illis ».

7. *Ut ne.* Sic MS 7708. Ernest. et alii quidam male *aut ne.* Lambin. « ne aut ».

LIX. 1. *Atque in extremis.* Sch. præterea addit : « an solum in extremis », propter ea quæ proxime sequuntur.

2. *Non id solum.* Schützius, « non ut id solum ».

3. *Sed ad hunc exitum tamen a pr.* Non satis video quare *tamen* h. l. sit. An Cicero scripsit « jam inde a pr. » Sic infra paullo post, « ut jam a pr. » in eadem sententia. In margine ed. Lips. est varia lectio *tam*, et pro conjectura *etiam.* Ern.

milia scriptorum effecerint, non erit difficillimum. Ante enim circumscribitur mente sententia, confestimque verba concurrunt : quæ mens eadem, qua nihil est celerius, statim dimittit, ut suo quodque loco respondeat; quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur : atque omnia illa et prima et media verba spectare debent ad ultimum. Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio : ut jam a principio videndum sit, quemadmodum velis venire ad extremum. Nec in numeris magis, quam in reliquis ornamentis orationis, eadem quum faciamus, quæ poetæ, effugimus tamen in oratione poematis similitudinem.

LX. Est enim in utroque et materia et tractatio : materia in verbis, tractatio in collocatione verborum. Ternæ autem sunt utriusque partes[1] : Verborum; translatum, novum, priscum; nam de propriis nihil hoc loco dicimus. Collocationis autem, eæ, quas diximus, compositio, concinnitas, numerus. Sed in utroque frequentiores sunt, et liberiores poetæ. Nam et transferunt verba quum crebrius, tum etiam audacius; et priscis libentius utuntur, et liberius novis. Quod idem fit in numeris : in quibus quasi necessitati parere coguntur. Sed tamen hæc[2] nec nimis esse diversa, neque ullo modo[3] conjuncta intelligi licet. Ita fit, ut non item in oratione, ut in versu, numerus exstet[4], idque, quod numerosum in oratione dicitur, non semper numero fiat, sed nonnumquam aut concinnitate, aut constructione verborum.

LX. 1. *Ternæ... utr. partes : Verborum; translatum*, etc. Male vulgo interpungitur «Ternæ... utriusque partes verborum : translatum, etc.» Sch.

2. *Hæc.* Scil. orationem et poesim.

3. *Neque ullo modo conj.* Schutz. «neque nullo non modo conj.» quia, servata vulgata, alterum distinctionis membrum nihil differret a priori.

4. *Numerus exstet.* I. e. manifeste appareat. Sic de Orat. I, 16 : «appareat atque exstat». Sch.

(LX.) Ita, si numerus orationis quæritur qui sit; omnis est, sed alius alio melior atque aptior: si locus; in omni parte verborum: si, unde ortus sit; ex aurium voluptate: si componendorum ratio; dicetur alio loco, quia pertinet ad usum, quæ pars quarta et extrema nobis in dividendo fuit: si, ad quam rem adhibeatur; ad delectationem: si, quando; semper: si, quo loco; in tota continuatione verborum: si, quæ res efficiat voluptatem; eadem, quæ in versibus, quorum modum notat ars[5], sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt.

LXI. (LXI.) Satis multa de natura: sequitur usus, de quo est accuratius disputandum. In quo quæsitum est, in totone circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον[1], nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus; an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit? deinde, quum aliud videatur esse numerus, aliud numerosum; quid intersit? tum autem, in omnibusne numeris æqualiter particulas deceat incidere[2], an facere alias breviores, alias longiores; idque quando, aut cur, quibusque partibus; pluribusne, an singulis; imparibus, an æqualibus; et quando aut istis, aut illis sit utendum; quæque inter se aptissime collocentur, et quomodo? an omnino nulla sit in eo genere distinctio; quodque ad rem maxime pertinet, qua ratione numerosa fiat oratio? Explicandum etiam est, unde orta sit forma verborum; dicendumque, quan-

5. *Quorum modum notat ars.* Speciosa est Victorii conjectura; Varr. Lect. XIII, 6: «quorum modum non notat ars», neque tamen vera. Conf. cap. 55. Sch.

LXI. 1. *Quem Græci περίοδον.* Ed. Ven. addit *appellant*, quod nescio cur omissum sit. Ern.

2. *Æqualiter particulas deceat incidere.* I. e. membra periodi. Sic et mox «de earum particulis», i. e. periodorum. Ern.

tos circuitus facere deceat; deque eorum particulis, et tamquam incisionibus disserendum est, quærendumque, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures; et, si plures, quo loco; aut quando, quoque genere uti oporteat : postremo totius generis utilitas explicanda est, quæ quidem patet latius; non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur.

Ac licet non ad singulas res respondentem de universo genere sic dicere, ut etiam singulis satis responsum esse videatur. Remotis igitur reliquis generibus unum selegimus, hoc[3], quod in causis foroque versatur, de quo diceremus. (LXII.) Ergo in aliis, id est, in historia, et in eo, quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Isocrateo Theopompeoque more, illa circumscriptione, ambituque, ut tamquam in orbe inclusa currat oratio, quoad insistat in singulis perfectis absolutisque sententiis. Itaque posteaquam est nata hæc vel circumscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, si ita licet dicere : nemo, qui aliquo esset in numero, scripsit orationem generis ejus, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a judiciis forensique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Nam quum is est auditor, qui non vereatur, ne compositæ orationis insidiis sua fides attentetur, gratiam quoque habet oratori, voluptati aurium servienti.

LXII. Genus autem hoc orationis neque totum assumendum est ad causas forenses, neque omninò repudiandum. Si enim semper utare, quum satietatem affert, tum, quale sit, etiam ab imperitis agno-

3. *Hoc, quod in c.* Ed. Ven. » hoc quidem, quod in c. » Ern.

scitur[1]. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum sensum actoris, tollit funditus veritatem et fidem. (LXIII.) Sed, quoniam adhibenda nonnumquam est, primum videndum est, quo loco, deinde quamdiu retinenda sit, tum quot modis commutanda. Adhibenda est igitur numerosa oratio, si aut laudandum est aliquid ornatius, ut nos in accusationis[2] secundo de Siciliæ laude diximus; ut in senatu[3] de consulatu meo : aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat[4], quam doloris, ut in quarto accusationis de Ennensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ[5] diximus. Sæpe etiam in amplificanda re, concessu omnium funditur numerose et volubiliter oratio. Id nos fortasse non perfecimus, conati quidem sæpissime sumus : quod[6] plurimis locis perorationes nostræ, voluisse nos, atque animo contendisse declarant. Id autem tum valet, quum is, qui audit, ab oratore jam obsessus est, ac tenetur. Non enim[7] id agit, ut insidietur et observet[8]; sed jam favet, processumque vult, dicendique vim admirans non inquirit[9], quod reprehendat.

LXII. 1. *Tum, quale sit, etiam ab imp. agn.* Minus bene Lamb. « tum etiam, quale sit, ab imp. agn. »

2. *In acc. secundo.* Verrin. act. II, lib. II, cap. 1 sqq.

3. *Ut in senatu.* Scripsimus *ut* pro *aut*, quod vitiosum esse quivis admonitus videat. In hoc jam supra vidimus peccatum esse. Ern.

4. *Desiderat.* Videtur esse legendum *desideret.* Ern.

5. *De Ennensi Cerere, de Segest. Diana, de Syrac. situ.* Verrin. act. II, lib. IV, c. 48 sqq. c. 52 sqq. c. 53 sqq.

6. *Quod plurimis l.* Quod mihi suspectum est de vitio : nam male convenit principio, *id nos.* Puto esse delendum. Si abessent media, « voluisse nos, atque animo contendisse », locum haberet. Ern.

7. *Non enim id agit.* Schützius dat « non enim tum id a. » nexus causa.

8. *Ut insidietur et observet.* Lambinus e MSS suis edidit, « ut insidiatorem observet », bene. Gryph. *insidiantem.* Si vulgatum placet, int. oratori, et eum observet. Ern.— amer. « ut insidiantem observet ». Verum tamen esse potest *insidietur*, modo *insidiari* eo sensu capiatur, ut sit astute speculari, quid alter agat. Ita ponitur Orat. 1, cap. 21. Sch.

9. *Inquirit.* Ed. Ven. Med. *acquierit;* videtur dare voluisse *anquirit*,

Hæc autem forma retinenda non diu est, nec dico in peroratione, quam ipse includit[10], sed in orationis reliquis partibus. Nam quum sis his locis usus, quibus ostendi licere; transferenda tota dictio est ad illa, quæ nescio cur, quum græce κόμματα et κῶλα[11] nominent, nos non recte incisa et membra dicamus. Neque enim esse possunt, rebus ignotis, nota nomina; sed quum verba, aut suavitatis, aut inopiæ causa, transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum[12] id

quod non spreverim: et sic correxit *inquirit* manus docta in ed. Lips. Ern.

10. *Quam ipse includit.* Hæc verba arbitror non esse Ciceronis, sed aliena, atque ab aliquo ad oram libri adscripta, quibus significabat ille, quisquis fuerit, perorationem numeratam, et quodam modo inclusam esse in iis orationis partibus, in quibus numerose fusam orationem locum habere dicit M. Tullius. Quod si quis contendat esse Ciceronis, ita esset legendum « quam ipse inclusi », quod tamen loquendi genus non esset satis concinnum. Quod autem alii hæc verba, « quam ipse includit », sic interpretantur: quam ipse orator terminat, ut sit hæc ejus loci sententia, de peroratione non esse opus præcipere, quamdiu hæc numerosa oratio in ea sit retinenda; utpote quam ipse orator includit et terminat, ut longior esse non possit: multo minus probo. Dixisset enim potius, « quam ipse finit ac terminat », vel « claudit ac terminat ». Lamb. — Gulielmius conatur legere « quam ipsam cludit ». Sch. dat « quam ipse finis includit ». *Finis* addit e conj. Cicero, inquit, dicit formam hanc numerosam et periodicam non diu retinendam esse, neque id se monere de peroratione, quam scilicet ipse finis orationis includat, ut in ea illa forma per se diu continuari non possit, sed potissimum de reliquis orationis partibus.

11. *Κόμματα et κῶλα.* Κῶλον *membrum*, et κόμμα *incisum*, nonnisi longitudine differre sentit Hermogenes, de Inventione, lib. IV. Periodus sententiam comprehendit, in qua protasis est, et apodosis. Quæ autem sententia est uniusmodi, simplex, nec in se reflexa, si ultra versus heroici longitudinem progrediatur. Hermogeni membrum dicitur ut illud Ciceronis, Philippica II, cap. 22: « omnino nulla causa justa cuiquam esse potest, contra patriam arma capiendi ». Quæ brevius concluditur sententia, appellatur incisum: ut « furor arma ministrat: trahit sua quemque voluptas ». Membratim dixit Cicero in Verrem, lib. I, cap. 89: « Placent vobis hominum mores? placet ita geri magistratus, ut geruntur? placet socios sic tractari, ut per hæc tempora tractatos videtis? Cur hæc a me opera consumitur? Quid sedetis? cur non in media oratione consurgitis, atque disceditis? Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? Desinite dubitare, utrum sit utilius, propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere ». Paust.

12. *Quum id app. sit.* Puto recte abesse *id* in ed. Ven. Ern.

appellandum sit, quod, propter rerum ignorationem ipsarum, nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum, aut a simili mutuari.

LXIII. (LXIV.) Quo autem pacto deceat incise membratimve dici, jam videbimus: nunc, quot modis mutentur comprehensiones conclusionesque, dicendum est. Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum [1], tum proceritate tardius; cursum contentiones magis requirunt; expositiones rerum, tarditatem. Insistit autem ambitus modis [2] pluribus, e quibus unum est secuta Asia maxime, qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus: explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis. Dichoreus non est ille quidem sua sponte vitiosus in clausulis; sed in orationis numero nihil est tam vitiosum, quam si semper est idem. Cadit autem per se ille ipse præclare: quo etiam satietas formidanda est magis. Me stante, C. Carbo, C. F. tribunus plebis, in concione dixit his verbis, « O Marce Druse, patrem appello ». Hæc quidem duo [3] binis pedibus incisim. Dein membratim, « Tu dicere solebas, sacram esse rempublicam ». Hæc item membra ternis [4]. Post ambi-

LXIII. 1. *Tum incitatius br. pedum.* Id præcipue patet in versibus. Quid bis Virgilii numeris incitatius? « Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes Haud mora prosiluere suis, ferit æthera clamor »: his autem quid tardius? « Belli ferratus rupit Saturnia postes ». PRUST.

2. *Insistit autem ambitus modis pluribus.* Lambinus omnino pertendit reponendum « pedibus pluribus », oblitus præcessisse « nunc quot modis mutentur comprehensiones, etc. » item dixisse Tullium supra, cap. 48, sub finem: « itaque uuu sunt in ea tamquam tibicini percussionum modi ». GAUT.

3. *Hæc quidem duo.* Nempe verba *O Marce Druse* et *patrem appello* exprimuntur incisim duobus pedibus: *o Marce* antibacchius est, *Druse* choreus: *patrem appello* duplex spondeus, vel iambus et choreus. PRUST.

4. *Hæc item membra ternis.* Horum membrorum « tu dicere solebas » et « sacram esse rempublicam » primum quidem continet spondeum, tribrachyn et spondeum: alterum autem,

tus, « Quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei pœnas persolutas ». Dichoreus[5]. Nihil enim ad rem, extrema illa, longa sit, an brevis. Deinde, « Patris dictum sapiens, temeritas filii comprobavit ». Hoc dichoreo tantus clamor concionis excitatus est, ut admirabile esset. Quæro, nonne[6] id numerus effecerit? Verborum ordinem immuta[7]; fac sic, « Comprobavit filii temeritas » : jam nihil erit, etsi « temeritas » ex tribus brevibus, et longa est; quem Aristoteles[8] ut optimum probat; a quo dissentio. At eadem verba, eadem sententia. Animo istuc satis est, auribus non satis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoscitur; deinde satiat; postea cognita facilitate contemnitur.

LXIV. Sed sunt clausulæ plures, quæ numerose, et jucunde cadant. Nam et creticus, qui est e longa, et brevi, et longa, et ejus æqualis pæon, qui spatio par est, syllaba longior, quam commodissime putatur in solutam orationem illigari, quum sit duplex : nam aut e longa, et tribus brevibus, qui numerus in primo viget, jacet in extremo; aut e totidem brevibus, et longa, in quem optime cadere censent veteres; ego non plane rejicio, sed alios antepono. Ne spondeus quidem funditus est repudiandus : etsi[1], quod est e

si nulla fiat elisio, constat ex anapæsto, iambo et dactylo. Paust.

5. *Dichoreus.* Qui hoc vocabulo *persolutas* habetur. Neque enim refert ultima syllaba longa sit an brevis. Ex Terentiano Mauro, ut versus sic «Commataque hoc ipsum juris habere volunt». Paust.

6. *Nonne... effecerit.* Edd. Med. Lips. *numne.* Scribendum est aut *annon*, aut *effecit*, quod quidem magis placet. Ern.

7. *Verborum ordinem immuta : fac sic.* Manus docta in ed. Lips. correxit : «Verb. ordine immutato fac sic, » non male. Sed illa incisa huic loco bene conveniunt. Similis locus est cap. 70, non longe a principio. Ern.

8. *Aristoteles.* Conf. Art. Rhetor. lib. III, cap. 8.

LXIV. 1. *Etsi, quod est.* Lambin. « etsi enim, quod est e longis duabus, etc. »

longis duabus, hebetior videtur et tardior; habet tamen stabilem quemdam, et non expertem dignitatis gradum: in incisionibus vero multo magis, et in membris[2]; paucitatem enim pedum[3] gravitatis suæ tarditate[4] compensat. Sed hos quum in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adjungo (quod minimum sit) proximum superiorem[5], sæpe etiam tertium. Ne iambus quidem, qui est e brevi et longa; aut par choreo[6], qui habet tres breves, sed spatio par, non syllabis; aut etiam dactylus[7], qui est

2. *In incisionibus vero multo magis, et in membris.* Sensus indicat legendum « multo magis, quam membris ». Incisa enim Cicero distinguit nominatim a membris, quod manifesto exponet paullo posterius. Et quod sequitur nostram sententiam confirmat: « paucitatem enim pedum gravitate sive tarditate compensat ». Scilicet, quum in *incisionibus* pauciores sunt pedes, quam in *membris*, spondeus in illis compensat « paucitatem sua tarditate ». Etenim si spondeus aptus sit *incisionibus*, et *membris*, nullum video tertium, cui minus aptus esse possit. ANONYMUS.

3. *Pedum.* Lambin. *syllabarum.* Si verum est *pedum*, intelligitur de aliquot spondeis deinceps positis. SCH.

4. *Gravitatis suæ tarditate.* Fortasse legendum « tarditatis suæ gravitate ». SCH.

5. *Proximum superiorem.* Scribendum de more Ciceronis et ex latinitate vera *proxime sup.* ERN.

6. *Aut par choreo.* Schützius dat cum Lambin. et Camer. « aut par trochæus ».

7. *Dactylus.* Tradit hic Tullius dactylo et spondeo periodum volubiliter finiri. Qui congruit hæc præceptio cum iis quæ superius dixit? et in Part. orat. cap. 21, expressis verbis ait, orationem circumscribendam esse numerose, non ad similitudinem versuum. Qui convenit cum præcepto Quintiliani, lib. IX, cap. 4: « Ne dactylus quidem spondeo bene præponitur, quia finem versus damnamus in fine orationis »? Mihi quidem vitiosa tum videtur conclusio, quæ fit duabus vocibus, quarum vel altera sit dactylus, altera spondeus, ut *gaudia pelle*, vel altera sit choreus, altera bacchius, ut *pelle timorem*. Sic enim vulgo desinunt hexametri versus. At si unico vocabulo comprehendantur et dactylus et spondeus, numerose claudet periodum, ut patet in Verrem ex lib. I, cap. 13: « Quum in tantis incommodis aratorum injuriisque decumanorum, nullum ex isto præclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem judicium inveniatur ». Item eleganter claudet periodum vox ex duabus brevibus totidemque longis composita, præsertim si ex pluribus syllabis compositum vocabulum præcedat: ut oratione post reditum in senatu, cap. 9: « Qui mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dexteramque porrexit: qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revoca-

e longa, et duabus brevibus, si est proximus a postremo, parum volubiliter pervenit ad extremum, si est extremus choreus, aut spondeus: numquam enim interest[8], uter sit eorum in pede extremo. Sed iidem hi tres pedes male concludunt, si quis eorum in extremo locatus est, nisi quum pro cretico postremus est dactylus: nihil enim interest, dactylus sit extremus, an creticus; quia postrema syllaba, brevis, an longa sit, ne in versu quidem refert. Quare etiam pæona qui dixit aptiorem, in quo esset longa postrema, vidit parum; quoniam nihil ad rem est, postrema an longa sit[9]. Jam pæon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam[10], non pes habetur. Est quidem, ut inter omnes constat antiquos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Ephorum, unus aptissimus orationi vel orienti, vel mediæ, putant illi etiam cadenti; quo loco mihi videtur aptior creticus. Dochmius[11] autem e quinque syllabis, brevi,

vit». Aurium enim judicio hujuscemodi clausulæ, licet in iis sit dactylus et spondeus, vix ullam videntur habere cum versu similitudinem.

8. *Numquam enim interest.* Dissentit a Cicerone Fabius, lib. IX, c. 4: «Neque enim ignoro, inquit, in fine pro longa accipi brevem, quod videtur aliquid vacanti tempori ex eo quod inseritur, accedere. Aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrumne longa sit quæ cludit an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere *incipientem timere*, quam illud *ausus est* confiteri». Pr.

9. *Postrema an longa sit.* Sic legendum non, ut Victor. Lambin. alii «quam longa sit»: nam si brevis est in fine, pro longa valet. Et sic est paullo ante in eadem sententia. Sic MS Vit. inde recepi. Ern. — Gothofr. conj. «postrema brevis an longa sit».

10. *A quibusdam.* Quibus accedit Quintilianus, lib. IX, cap. 4, ubi ait pedes non excedere tres syllabas, adeoque pæonem et dochmium numeros esse, non pedes. Pr.

11. *Dochmius.* Vulgo *Dochimus.* Primam habet brevem, deinde duas longas, quartam brevem, ultimam longam, ut *amicos leves.* Grammatici nonnulli volunt duas primas esse breves ut *hyacinthini.* Turn. — Nescio quo bonarum literarum fato factum fuisse dicam, ut post tot Fabianæ Institutionis editiones a tot tamque doctis viris adornatas hæc barbara vox *Dochymus* huc usque locum tenuerit τοῦ *dochmius*, quam veram esse lectionem satis demonstratur ex Hephæstionis opusculo περὶ μέτρων, et ex veteribus grammaticis edit. Putsch.

duabus longis, brevi, longa, ut est hoc, « Amicos tenes », quovis loco aptus est, dum semel ponatur : iteratus, aut continuatus, numerum apertum et nimis insignem facit. His igitur tot commutationibus, tamque variis si utemur, nec deprehendetur manifesto, quid a nobis de industria fiat, et occurretur satietati.

LXV. (LXV.) Et quia non numero solum numerosa oratio, sed et compositione fit, et genere (quod ante dictum est) concinnitatis : compositione potest intelligi[1], quum ita structa verba sunt, ut numerus non quæsitus, sed ipse sequutus esse videatur; ut apud Crassum, « Nam, ubi lubido dominatur, innocentiæ læve præsidium est ». Ordo enim verborum efficit numerum sine ulla aperta oratoris industria. Itaque si quæ veteres illi (Herodotum dico, et Thucydidem, totamque eam ætatem) apte numeroseque dixerunt; ea non numero quæsito, sed verborum collocatione ceciderunt. Formæ vero quædam sunt orationis, in quibus ea concinnitas inest, ut sequatur numerus necessario. Nam quum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut, quæ similiter cadunt verba, verbis comparantur : quidquid ita conclu-

in quibus constanter legitur δόχμιος, *dochmios*, et *dochmius*. Vide Diomedem, p. 419; Cæsium Bassum, p. 267, et Rufinum, p. 2714. Attamen pravæ lectionis illius *dochimus* macula omnes, quas quidem viderim, Ciceronis ipsius editiones infecit. Quid? quod ipse Vossius, et ipse Jovita Rapicius, qui de oratorio numero unus fere omnium optime scripsit, depravatam illam lectionem passim sequuti sunt. Futurum jam spero, ut qui oratoriarum artium scriptores in lucem deinceps edituri sunt, pro τῷ *dochimus*, quod ferri nequit, τὸ *dochmius* typis curent excudendum. Capper. ad Quint. IX, 4, n. 346, p. 605.—Favent huic Capper. emendationi etiam MS Vit. edd. vett. Ciceronis h. l. ut Ven. Med. Asc. quæ habent *dochimius*, ex quo Aldus fecit *dochimus*, quum facere deberet *dochmius*. Itaque et hic recepimus; præsertim quum apud Quint l. c. MS Goth. habeat pariter *dochimius*, editio autem Jensoniana plane *dochmius*, quod editores Quintiliani non notarunt. Ern.

LXV. 1. *Compositione potest int.*

ditur, plerumque fit ut numerose cadat. Quo de genere cum exemplis supra diximus, ut hæc quoque copia facultatem afferat non semper eodem modo desinendi. Nec tamen hæc ita sunt arcta et adstricta, ut ea, quum velimus, laxare nequeamus. Multum interest, utrum numerosa sit, id est, similis numerorum, an plane e numeris constet oratio. Alterum si fit, intolerabile vitium est; alterum nisi fit, dissipata, et inculta, et fluens est oratio[2].

LXVI. (LXVI.) Sed quoniam non modo non frequenter, verum etiam raro in veris causis, aut[1] forensibus, circumscripte numeroseque dicendum est: sequi videtur, ut videamus, quæ sint illa, quæ supra dixi incisa, quæ membra. Hæc enim in veris causis maximam partem orationis obtinent. Constat enim ille ambitus et plena comprehensio e quatuor fere partibus, quæ membra dicimus, ut et aures impleat, et ne brevior sit, quam satis sit, neque longior[2]. Quamquam utrumque nonnumquam, vel potius sæpe accidit, ut aut citius insistendum sit, aut longius procedendum, ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. Sed habeo mediocritatis rationem: neo enim loquor de versu, et est liberior aliquanto oratio. E quatuor igitur, quasi hexametrorum instar versuum quod sit, constat fere plena comprehensio. His igitur singulis versibus quasi[3] nodi

Male Lambin. compositio poteat intelligi. SCH.

2. *Alt. si fit... oratio. Alterum si fit,* nt plane e nnmeris constet oratio, « intolerabile vitium est », qnia nimis prope accedit ad versnnm similitndinem; « alterum nisi fit », nt nnmerosa sit oratio, *dissipata*, prorsns incondita, *et inculta*, neglecta, *et fluens*, intervallis haud temperata, « est oratio ».

LXVI. 1. *Aut forensibus.* Malim *et forensibus*. SCH.

2. *Neque longior.* Sch. dat *neve longior* cum edd. vett. Vict. « et neve brevior sit, neqne longior ».

3. *Quasi nodi.* Hi sunt scilicet particulæ quibus varia periodi membra conjunguntur, v. g. « sed, quam-

apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus. Sin membratim volumus dicere[4], insistimus; idque quum opus est, ab isto cursu invidioso facile nos et sæpe disjungimus. Sed nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, et valet plurimum. Ex hoc genere illud est Crassi, « Missos faciant patronos; ipsi prodeant ». Nisi intervallo dixisset[5], «ipsi prodeant», sensisset profecto effugisse senarium: omnino melius caderet, «prodeant ipsi». Sed de genere nunc disputo[6]. «Cur clandestinis consiliis nos oppugnant? cur de perfugis[7] nostris copias comparant contra nos?» Prima sunt illa duo, quæ κόμματα Græci vocant, nos incisa dicimus; deinde tertium, κῶλον illi, nos membrum. Sequitur non longa[8]; ex duobus enim versibus, id est, membris, perfecta comprehensio est, et in spondeos cadit[9]. Et Crassus quidem sic plerumque dicebat; idque ipse genus dicendi maxime probo.

LXVII. (LXVII.) Sed quæ incisim aut membratim

quum, tamen, non solum, etc. » et relativa pronomina *qui*, *quæ*, *quod.*

4. *Sin membratim volumus dicere.* Illud Lambini *nolumus* videtur exstare in Pal. quart. reliqui tamen duo præferunt alterum: quod non video cur toto cælo autumet adversari sententiæ Monstroliensis ille. GRUT. — Totum locum sic legendum Schütz. conjicit: « quos in ambitu conjungimus, sin membratim volumus dicere, incidimus. Itaque quum opus est, etc. »

5. *Nisi intervallo dixisset.* Vulgo *dixisses*, quod est ab errore operarum temere servatum. Illud et res postulat, et habent edd. vett. etiam Aldus, Lipsius, Gryphius, MS Vit. ERN.

6. *Sed de genere disputo.* Hic necesse est membrum aliquod orationis Crassi interciderit. Hic, inquam, neque infra, post *oppugnant*, ut Schütz. annotavit. J. V. L.

7. *De perfugis.* Edd. pr. *perfugiis.* Vulgatum est et apud Quint. IX, 4. ERN.

8. *Sequitur non longa.* Sch. « sequitur non longa comprehensio », quod verbum inferius positum huc transposuit. Lambinus edidit: « sequitur non longa (ex duobus enim membris perfecta est) comprehensio, et in spondeos cadit ».

9. *Et in spondeos cadit.* Nempe « comparant contra nos ». Cf. Quintil. Instit. Orat. XI, 4, 101, ubi nunc falso legitur: « comparat is contra nos ». SCH.

efferuntur, ea vel aptissime cadere debent; ut est apud me: « Domus tibi deerat? at habebas. Pecunia superabat? at egebas». Hæc incise dicta sunt quatuor. At membratim, quæ sequuntur, duo, « Incurristi amens in columnas; in alienos insanus insanisti[1] ». Deinde omnia, tamquam crepidine[2] quadam, comprehensione longiore sustinentur, « Depressam, cæcam, jacentem domum pluris, quam te, et quam fortunas tuas æstimasti ». Dichoreo finitur. At dispondeo proximum illud[3]; nam in iis[4], quibus, ut pugiunculis, uti oportet, brevitas facit ipsa liberiores pedes. Sæpe enim singulis utendum est, plerumque binis (et utrisque addi pedis pars potest), non fere ternis amplius. Incisim autem et membratim tractata[5] oratio in veris causis plurimum valet, maximeque his locis, quum aut arguas, aut refellas; ut nostra in Corneliana[6] secunda: « O callidos homines! o rem excogitatam! o ingenia metuenda! » Membratim adhuc; deinde cæ-

LXVII. 1. *In alienos... insanisti.* Conjicio legend. esse « in antis æneis insanis insanlati ». Antæ sunt columnæ quadræ. Cf. Vitruv. VI, 7, ed. Schneid. Sch. — De qua conj. J. V. L. ait ridendum. Oratio e qua hæc sententia excerpta est non superfuit. Sigonius et Strebæus arbitrantur eam in oratione pro Scauro exstitisse. Asconius dicit ab accusatore Triario Scauro exprobratum fuisse, quod magnificam domum haberet, in qua essent quatuor columnæ maximi pretii. Fingunt hic Ciceronem idem crimen in accusatorem retorquere, quæ quidem conjectura incertissima est; nec eam firmant fragmenta orationis pro Scauro nuper inventa. J. V. L.

2. *Tamquam crepidine.* Ad Græcorum imitationem Victorius ostendit expressam hanc metaphoram, l. VIII, cap. 9, Varr. Lectt. Prust.

3. *Proximum illud.* Nempe *insanisti.* Sch.

4. *Nam in iis.* Sch. *illis.* Se. incisis et membris.

5. *Membratim tractata oratio.* Legit Manutius *tracta*, quod verbum ad sententiam et ad usum latinæ linguæ aptius existimat. Prust. — Ern. quoque dedit *tracta;* sic, inquit, semper Cicero, et *fusa.* Vulg. *tractata* sensum cum istis adverbiis non habet; et hæc duo verba sæpe in libris confunduntur, ut supra in hoc ipso libro. *Tracta* plane MS Vit.

6. *Corneliana.* Ex illis pro Cornelio orationibus quæ inter Ciceronis pulcherrimas habebantur, nihil nisi fragmenta supersunt.

sim : « Diximus [7] ». Rursus membratim, « Testes dare volumus ». Extrema sequitur comprehensio, sed ex duobus membris, qua non potest esse brevior : « Quem, quæso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos ? » Nec ullum genus est dicendi aut melius, aut fortius, binis aut ternis [8] ferire [9] verbis, nonnumquam singulis, paullo alias pluribus : inter quæ [10] variis clausulis interponit se raro numerosa comprehensio; quam perverse fugiens Hegesias [11], dum ille quoque imitari Lysiam vult, alterum pæne Demosthenem, saltat, incidens particulas. Et is quidem non minus sententiis peccat, quam verbis : ut non quærat, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Sed ego illa Crassi, et nostra posui, ut, qui vellet, auribus ipsis, quid numerosum etiam in minimis par-

7. *Deinde cæsim : Diximus*. Vulgo male « deinde cæsim diximus ». At vocabulum *diximus* est ipsum illud incisum, quod ex Corneliana secunda affertur. Id manifestum est ex Quintiliani Inst. Orat. IX, 4, 122, ubi *fiunt autem*, inquit, *etiam singulis verbis incisa, ut « Diximus, testes dare volumus » incisum est « diximus »*. Sch. — Idem Sch. infra pro « nec ullum genus » dat « nec illud g. »

8. *Binis aut ternis*. Durum est omitti *quam*. Videtur addendum. Comparativus non coit cum verbo et infinitivo. Ern. — Quem Schützius secutus est.

9. *Ferire*. Edd. vett. quædam *finire* ut et Lips. quæ *ferire* habet in margine. Ed. Ven. *fere*, quod e compendio natum est. Manus docta in ed. Lips. *verbis* correxit *versibus*, id est, membris, quo sensu ante dictum est « duobus versibus », i. e. membris : non male, nam de membris sermo est. Ern. — Exemplum in eo genere sit illud ex Catilinaria I, cap. 1, « o tempora ! o mores ! senatus hæc intelligit, consul videt : hic tamen vivit : vivit ? immo etiam in senatum venit : fit publici consilii particeps : notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. Nos autem viri fortes satisfacere reip. videmur, si istius furorem ac tela vitemus ». Vides Catilinam incisis primum acriter urgeri, tum membra succedere, quæ omnia denique periodo tamquam crepidine sustinentur. Proust.

10. *Inter quæ*. Nihil est quo referatur vulg. *quas :* scribe *quæ*, i. e. membra, incisa. Sic ed. Lips. Sensus est : inter quæ incisa, propter varietatem clausularum raro locum habet numerosa oratio. Ern.

11. *Hegesias*. Hegesias Magnesius, ridiculus scriptor qui de incendio Delphici templi dixerat non esse mirandum si templum illud Dianæ sacrum

ticulis orationis esset, judicaret. Et, quoniam plura de numerosa oratione diximus, quam quisquam ante nos; nunc de ejus generis utilitate dicemus.

LXVIII. (LXVIII.) Nihil enim[1] est aliud, Brute (quod quidem tu minime omnium ignoras), pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis[2] dicere. Et nec sententia ulla est, quæ fructum oratori ferat, nisi apte exposita, atque absolute; nec verborum lumen apparet, nisi diligenter collocatorum; et horum utrumque numerus illustrat. Numerus autem (sæpe enim hoc testandum est) non modo non poetice junctus, verum etiam fugiens illum, eique omnium dissimillimus: non quin iidem sint numeri non modo oratorum et poetarum, verum omnino loquentium, denique etiam sonantium omnium, quæ metiri auribus possumus[3]; sed ordo pedum facit, ut id, quod pronuntiatur, aut orationis, aut poematis simile videatur. Hanc igitur sive compositionem, sive perfectionem, sive numerum vocari placet, et[4] adhibere necesse est, si ornate velis dicere, non solum (quod ait Aristoteles et Theophrastus) ne infinite feratur, ut flumen, oratio, quæ non aut spiritu pronuntiantis, aut interductu librarii[5], sed numero coacta

arsisset ea nocte qua natus est Alexander, quia tunc Diana Olympiæ laboranti succurreret. Vid. Natur. Deor. II, 27.

LXVIII. 1. *Nihil enim. Enim* referri debet ad præcedens *dicemus*, quasi scripsisset « scio enim nihil, etc. »

2. *Lectissimis.* Sic Ernest. corrigi voluit e MS Vit. Vulgatum *lectissime*, et sic jam dederat Fr. Gryphius. Sch. sequutus est.

3. *Metiri auribus possumus.* Sic de Orat. III, 48 : « Distinctio et æqualium, et sæpe variorum intervallorum percussio, numerum conficit : quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus; in amni præcipitante non possumus ».

4. *Et adhibere.* Schütz. cum Lambino delet *et*.

5. *Aut interductu librarii.* Id est, virgula aut puncto quod figit is qui libros manu scribit. Non enim quia punctum est, quiescit ambitus : sed quia desinit comprehensio, signum interducitur. STAEB.

debet insistere; verum etiam, quod multo majorem habent apta vim, quam soluta. Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quamdam; ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adspectum etiam sit venustum : sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis recte[6] declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. Itaque, qualis eorum motus, quos ἀπαλαίστρους[7] Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias; tantumque abest, ut[8], quod ii, qui hoc aut magistrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non sunt assequuti, solent dicere, enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus, nec vis esse possit.

LXIX. (LXIX.) Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc sequuti non tenuerunt, simile faciamus; ne aut[1] verba trajiciamus

6. *Nec satis recte.* Vulgati *tecte*, quod ab h. l. est alienum : quid enim ad decorum valet, ut *tecte* declinemus impetum? *Recte* habent edd. Med. Lips. Asc. *tecte* vitio operarum irrepsit. MS Vit. *tute*. Ernest. — *Recte* confirmatur his Quintiliani verbis, IX, 4, 8, ubi h. l. imitatur : « Jam in certamine armorum atque in omni palæstra, quid satis *recte* cavetur ac petitur, cui non artifex motus et certi quidam pedes adsint ». *Tute* quod est in MS Vit. bene respondet antecedenti « vitando facere caute ». Sch.

7. Ἀπαλαίστρους. Vulgo ἀπαλαίστους : sed hoc esset « lucta non devictos ». Itaque prætuli (cum Ernest. in Ind. Gr.) ἀπαλαίστρους, quod in multis codd. Quint. IX, 4, 56, legitur, quamquam Walckenario quoque placuit ἀπαλαίστους in Callimacheis, p. 90. Sch. — Multi e codd. nostris *apalæstros*. J. V. L.

8. *Tantumque abest, ut, quod ii*, etc. Vulgo est *ne* pro *ut*. Sed hoc loco *ne* stare non potest. Est loci sententia : Tantum abest, ut compositio verborum enervet orationem (quod ii solent dicere qui hoc non sunt assequuti), ut sine compositione nec impetus ullus, nec vis in oratione esse possit; sic enim Cicero sæpe *ut* geminatum ponit cum ea formula *tantum abest*. Exempla suppeditat Godescalcus Stewechius in libro de Particulis linguæ latinæ, v. « tantum abest ut, ut ». Anonym.

LXIX. 1. *Ne aut verba.* Quia nullum aliud *aut* sequitur, Gulielmus corrigebat *neve*. Cur non potius trans-

aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio: quod se L. Cœlius Antipater[2], in procemio belli Punici, nisi necessario, facturum negat. O virum simplicem, qui nos nihil celet[3]; sapientem, qui serviendum necessitati putet! Sed hic omnino rudis. Nobis autem in scribendo, atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur: nihil est enim necesse; et, si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc a Lælio, ad quem scripsit, cui se purgat[4], veniam petit, et utitur ea trajectione verborum, et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias. Apud alios autem, et Asiaticos maxime, numero servientes, inculcata reperias inania quædam verba, quasi complementa numerorum. Sunt etiam, qui illo vitio, quod ab Hegesia maxime fluxit, infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abjectum incidant, Siculorum simillimum. Tertium[5] est, in quo fuerunt fratres illi, Asiaticorum rhetorum principes, Hierocles, et Menecles, minime mea sententia contemnendi. Etsi enim a forma veritatis et ab Atticorum regula absunt, tamen hoc vitium compensant vel facultate, vel copia. Sed apud eos varietas non erat, quod omnia fere concludebantur uno modo.

ponendo *aut ne?* quod rescripsissem, nisi posset esse oratio ἀνακόλουθος propter longitudinem interpunctionis, ut cap. 70 init. et quum postea deberet esse « aut ne numero servientes inculcemus inania verba, etc. » nova forma dixit, et sic alia. Sunt enim quatuor genera vitiorum, ut clare patet e fine: « Quæ vitia qui fugerit... genere numerorum ». Ern. — *Verba trajiciamus*, sc. ordinem grammaticum violentius perturbando. Lambin. dat « ut verba ».

2. *L. Cœlius Antipater.* De quo Cicero, Brut. cap. 26, L. Cœlius Antipater scriptor fuit, ut temporibus illis, luculentus. Eum quoque jurisperitum fuisse dicit. Sed satis sibi constat Cicero, quum eum nunc parvi facere videatur. Nam eum in Bruto laudaverat ut temporibus suis laudandum. Cf. et Legg. I, 2; Orat. II, 13.

3. *Celet.* Sic pro *celat* scribendum fuit, quia statim et *putet*: nec enim hæc discrepare modis possunt. Ern.

4. *Scripsit... purgat.* Cur autem hæc diversis temporibus, et non *scribit, purgat?* Ern.

5. *Tertium est.* Vel scripsit Cicero, vel scribere debuit *quartum*. Sch.

Quæ vitia qui fugerit, ut neque verbum ita trajiciat, ut id de industria factum intelligatur, neque inferciens verba, quasi rimas expleat, nec minutos numeros sequens, concidat delumbetque sententias, nec sine ulla commutatione in eodem semper versetur genere numerorum : is omnia fere vitia vitaverit. Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicue[6] vitia contraria.

LXX. (LXX.) Quantum autem sit apte dicere, experiri licet, si aut compositi[1] oratoris bene structam collocationem dissolvas permutatione verborum. (Corrumpatur enim tota res, ut hæc[2] nostra in Corneliana, et deinceps omnia : « Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos et Lælios multi venalitii[3] mercatoresque superarunt ». Immuta paullum, ut sit, « Multi superarunt mercatores venalitiique »; perierit tota res. Et quæ sequuntur, « Neque vestis, aut cælatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Ægyptoque vicerunt ». Verba permuta sic, ut sit, « Vicerunt eunuchi e Syria Ægyptoque ». Adde tertium, « Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco

6. *Perspicue vitia*. Edd. Med. Asc. Ald. etc. *perspicua*, i. e. manifesta, sua sponte intelligenda; de quibus dicere nihil attinet, idque recepi. Ern. — *Perspicue*, quod servavit Sch. est in Gu. 3.

LXX. 1. *Si aut compos*. Vide quam longe distet hinc alterum membrum : « aut si alicujus inconditi ». Id ut animadvertatur, parentheseos notas addidi.

2. *Ut hæc nostra*. Vulgo addunt *et*, quod abest a tribus MSS notria. J. V. L. — Delevit *et* Schutzius.

3. *Venalitii*. Patricius et Lambinus reponendum putant *venalitiarii* : sed alterum restat in Pall. quinque et Pithœano; usurpatumque idem aliis scriptoribus pro « empturibus venalium », ut exemplis palam facit Brissonius, lib. XIX de verborum significatione. Grut. — *Venalitii* jam olim Lipsius, Var. Lectt. cap. 26, auctoritate Nonii Marcelli h. v. et Quintiliani, IX, 4, 14, defendit. Sch.

aut Syro potuisse superari». Fac ita, « Potuisse superari ab aliquo Syro aut Deliaco ». Videsne, ut, ordine verborum paullum commutato[4], iisdem verbis, stante sententia, ad nihilum omnia recidant, quum sint ex aptis dissoluta?) Aut si alicujus inconditi arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque, ordine verborum paullum commutato, in quadrum redigas, efficiatur aptum illud, quod fuerat[5] antea diffluens ac solutum. Age, sume de Gracchi apud censores illud : « Abesse non potest, quin ejusdem hominis sit, probos improbare, qui improbos probet ». Quanto aptius, si ita dixisset, « Quin ejusdem hominis sit, qui improbos probet, probos improbare ! » Hoc modo dicere nemo umquam noluit; nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt. Ita facti sunt repente Attici. Quasi vero Trallianus[6] fuerit Demosthenes; cujus non tam vibrarent fulmina illa, nisi numeris contorta ferrentur.

LXXI. (LXXI.) Sed si quos[1] magis delectant soluta, sequantur ea sane, modo sic, ut si quis[2] Phidiæ cly-

4. *Ordine verborum paullum commutato*. Hæc Schützius delevit, ut temere a librario, ex iis quæ paullo post sequuntur, retracta.

5. *Fuerat*. Sic Lambinus : plerique *fuerit*.

6. *Trallianus*. Trallis Ptolemæo Phrygiæ urbs, ubi corrupta et inquinata dictio, ab Atticorum elegantia longe remotissima. PAUST.

LXXI. 1. *Sed si quos*. Hujus loci sensus est : Si quis pressum, concisum, et a numeris alienum dicendi genus usurpare voluerit, usurpet sane : ea tamen conditione, ut singulis incisis et membris substet laudabilis sententia. Sit ejus dictio similis clypeo Minervæ, quem sculpsit Phidias : qui si dissolvatur, tolletur quidem universa species clypei, at in singulis partibus, supererit venustas. Tolerabile est non absolutas periodus conficere, si reliqua suppetant ornamenta, ut in Thucydide, cui præter orationis comprehensionem et ambitum vix quidquam deest. PAUST.

2. *Modo sic, ut si quis*. Addunt *si* quatuor e MSS nostris Regiis. J. V. L. — Idem dedit Schützius. Ernest. malebat « modo et, qui ». Edd. vett. MS V. « modo si quis ». Pal. pr. sec. Pith. Manutius Nepos habent « modo sic, ut quis » : supra idem Maunt. Nepos habet *sequetur* pro *sequantur*, et tria illa nostra *sequatur*, ita « sed si quem m. d. s. sequatur ». Prius erat « sequan-

peum[3] dissolverit, collocationis universæ[4] speciem sustulerit, non singulorum operum venustatem : ut in Thucydide, orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent. Isti autem quum dissolvunt orationem, in qua nec res, nec verbum ullum est, nisi abjectum : non clypeum, sed, ut in proverbio est (etsi humilius dictum est, tamen consimile[5] est), scopas[6], ut ita dicam[7], mihi videntur dissolvere. Atque, ut[8] plane genus hoc, quod ego laudo, contempsisse videantur, aut scribant aliquid vel Isocrateo more, vel quo Æschines, aut Demosthenes utitur ; tum illos existimabo non desperatione reformidavisse[9] genus hoc, sed judicio refugisse : aut reperiam ipse[10], eadem conditione qui uti velit, ut aut dicat,

tur ea. Sane modo quis Phidiæ », pro quibus aggessit nobis Lambini liberalitas » sequantur ea sane : modo cetera laudare possim : ut, si quis Phidiæ, etc. » Grut.

3. *Phidiæ clypeum*. Phidias clypeo Minervæ effigiem suam inclusit : qua convulsa, tota operis colligatio solveretur. Val. Max. VIII, 14. Paust.

4. *Universæ*. Unus dedit nostrorum MSS. Vulgo minus bene *universam*. J. V. L.

5. *Etsi humilius est, tamen consimile est.* Sic edd. vett. quod non debebat in *simile* mutari. Ern. — Tres voculæ a fine absunt Pall. pr. sec. et Pith. Adsunt in Pall. posterioribus. Grut. — Schütz. duas voces *est* delet.

6. *Scopas..... dissolvere.* Vertit J. V. L. « Ils me semblent mettre en pièces non pas... mais des vils brins de bouleau, bien dignes d'être comparés à leurs discours ». Scopis exprimere voluit Noster minutas illas sententias inter se non cohærentes. Talis est sæpius Senecæ oratio : nec a genere scribendi hujus philosophi abest initium Epist. ad Attic. XII, 6, ubi Cicero per jocum Hegesiæ orationem imitatur.

7. *Ut ita dicam*. Hoc delendum est, quia jam ante est « ut in proverbio est » : utrumque enim stare non potest : uncis inclusi. Ern. — Schützius delevit.

8. *Dissolvere. Atque ut.* Sic distinguendum fuit : et sic ed. Venet. Lips. MS V. Vulgo male conjunguntur, « dissolvere, atque ut ». Ern.

9. *Reformidavisse*. Sic edd. vett. quod male in *formidavisse* mutatum : nam ei apte respondet *refugisse*. Ern.

10. *Aut reperiam ipse... utra voles lingua*. Nos e MSS dedimus *ipse* pro vulg. *ipsa*. Sed forte hic scribendum *at reperiam*, et supra *scribant* pro « aut scribant ». J. V. L. — Ern. dat « aut reperiant, ipsa eadem..... utra volet lingua ». Hic, inquit, possim videri audacior fuisse, qui bis correxerim textum vulgatum, in quo est « reperiam ipsa... voles ». Sed res est

aut scribat, utra voles lingua, eo genere, quo illi volunt. Facilius est enim apta dissolvere, quam dissipata connectere. Res autem se sic habet (ut brevissime dicam quod sentio): composite, et apte, sine sententiis dicere, insania est; sententiose autem, sine verborum et ordine et modo, infantia: sed ejusmodi tamen infantia, ut ea qui utantur, non stulti homines haberi possint, etiam plerumque prudentes: quo qui est contentus, utatur. Eloquens vero, qui non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus, si liceat, movere debet, omnibus oportet ita rebus excellat, ut ei turpe sit, quidquam aut spectari, aut audiri libentius.

(LXXII.) Habes meum de oratore, Brute, judicium: quod aut sequere, si probaveris; aut tuo stabis, si aliud quoddam est tuum: in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc libro asseveravi, umquam affirmabo esse verius, quam tuum.

evidentissima. Primum ordo hic est: «aut scribant aliquid..... aut reperiant» (alium) qui hac conditione, quam ipsis proposui, utatur, ut aut dicat, aut scribat, etc. et cui liberum etiam sit, uti lingua, qua velit, sive græca, sive latina. Nam ad eos qui reperire jubentur, referri non potest: deberet etiam esse «quæ volent». «Ipsa eadem» est expressum e græco αὐτὸ τοῦτο, plane idem. Lenius alias dicunt Latini «eadem illa e.» Quia hic in altero est, «aut dicant, aut scribant», possit aliquis suspicari, in primo excidisse *aut dicant*: sed non semper tam accurate in talibus sibi membra respondent, et alterum ex altero intelligi potest. Ceterum *reperiant* reperi in MS Vit. et ed. Fr. Gryph. Ern.—Sch. qui Ern. emendationes sequutus est, sic locum interpretatur: Atque ut plane genus hoc, quod ego laudo, numerosæ orationis contempsisse, non se contemnere simulasse videantur, aut scribant aliquid vel Isocrateo more, vel quo Æschines aut Demosthenes utitur, numeris apte compositum et bene structa collocatione ornatum; tum illos existimabo non desperatione facultatis suæ illud assequendi, reformidavisse genus hoc, sed judicio refugisse et contempsisse: aut si ipsi aliquid ejusmodi scribere non audent, reperiant alium quemdam, ipsa eadem conditione qui uti velit, aliquid prius Isocrateo more aut Æschinis et Demosthenis conscribendi, ut deinde quasi jure hanc licentiam adeptus, nec imbecillitatem ingenii fateri coactus, sed judicio suo usus, aut dicat, aut scribat, utra volet lingua græca aut romana, eo genere quo illi volunt.

Potest enim non solum aliud mihi, ac tibi, sed mihi ipsi[11] aliud alias videri : nec in hac modo re, quæ ad vulgi assensum spectat, et ad aurium voluptatem, quæ duo sunt ad judicandum levissima[12]; sed ne in maximis quidem rebus quidquam adhuc inveni firmius, quod tenerem, aut quo judicium meum dirigerem, quam id, quodcumque mihi quam simillimum veri videretur, quum ipsum illud verum in occulto lateret[13]. Tu autem velim, si tibi ea, quæ disputata sunt, minus probabuntur[14], ut aut majus opus institutum putes, quam effici potuerit, aut, dum tibi roganti voluerim obsequi, verecundia negandi, scribendi me impudentiam[15] suscepisse.

11. *Sed mihi ipsi.* Schützius cum Gu. 3, « sed mihimet ipsi ».

12. *Ad judicandum levissima.* Ita Pall. priores duo et sextus : nam quart. et quint. accedunt exemplari romano, cujus mentio apud Rivium, ostentantque *novissima*. Gaut. — Ern. restituit *novissima*. Hoc est, inquit, exquisitius, ejusque glossa videtur esse *levissima*. Nam *novissimus* est ultimus, vilissimus. Servant hanc lect. edd. Ven. Lips. Est etiam in MS Vit. Sic de Or. II, 3, *infimus*, de remedio dicitur, pro levissimo; in quo pariter hæsere librarii vel correctores, et fecere *infirmi*. Schützius Ern. sequutus est. —Ut vulgus, sic instabile vulgi judicium, cui tamen probari debet orator. Deinde judicium aurium non modo superbissimum ac fastidiosissimum est, sed etiam incertissimum. Aliud aliis placet, atque hinc non leves inter peritissimos artis magistros de numeris oratoriis controversiæ. Paust.

13. *In occulto lateret.* Cicero Academiam sequebatur, cujus dogma præcipuum erat, nihil certi posse percipi, atque in omnibus nihil aliud quam veri simile posse reperiri.

14. *Si... minus probabuntur.* Etenim non Bruto probatæ sunt opiniones quas in hoc libro Cicero exposuit, ut patet ex Epist. ad Attic. XIV, 20. Nempe Brutus sese Lysiæ applicuerat, et sese hos inter Atticos ponebat, in quos Cicero invehebatur. Hoc atticismi genus assequutus erat Brutus hac in oratione quam in Capitolio habuit, post occisum Cæsarem; de qua dicit Cicero, Epist. ad Attic. XV, 1 : « Si illam causam habuissem, dixissem ardentius. Ὑπόθεσις vides quæ sit, quæ persona dicentis, etc. »

15. *Impudentiam.* Fortasse *imprudentiam*, ut, unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Hinc enim orsa est : « Malo desiderari a te prudentiam meam, etc. » Murat.—Hæc Mur. conj. quam etiam præses *Bouhier* injecerat, nunc confirmatur auctoritate trium MSS ab Heusingero collatorum, in quibus legitur *improvidentiam*. Mihi tamen melius inter se opponi videntur *verecundia* et *impudentia*.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC ALTERO VOLUMINE PRIMÆ PARTIS CICERONIS CONTINENTUR.

DE ORATORE.

FINIS ALTERIUS VOLUMINIS.